Universidad de Deusto
Biblioteca

Sententiæ, et
memorabilia

82

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante 49
Plúteo 1

123,1

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

EXEMPLORVM MEMORABILIVM CVM ETHNICORVM, TVM CHRISTIANORVM è quibusque probatissimis Scriptoribus per Andream Eborensem Lusitanum selectorum, Tomus posterior.

Adiecto duplici indice, vno locorum communium, altero propriorum nominum, rerúmque memoria dignarum locupletißimo.

Esta conforme al expurg. [illegible]

Por comission del S.r Off.

Fr. Fran.co de Hayas

PARISIIS,

Apud Gulielmum Iulianum, sub signo Amicitiæ, prope collegium Cameracense.

1569.

Universidad de Deusto
Biblioteca

REVERENDISSIMO
AC DIGNISSIMO
Prædicatorum ordinis apud
Lusitanos Prouinciali, fra-
tri Ludouico à Granata
Andreas Eborensis
felicitatem.

Lauseram sententiarum riuulos, iámque absoluto gratulabar operi, cum in communes exemplorum locos rusticitatem nostram iterum prouocas, Præsul dignissime. Præcipis homini vestri nominis studiosissimo, vt qui primam stadij mei partem absolueram, ne posteriori deessem. Exempla, ais industriæ tuæ committi-

mus: selectissima quæque ex campo Scriptorum collige, collecta per communes dispone locos: opus erit nostris Fratribus vtile, cæteris gratum, salutare tibi. Vix hæc compleueras, Christianæ doctor eloquentiæ, cùm mihi iam plenissimè persuaseras. Subscribo, totúsque in tuam sententiam abeo. Tui enim nominis dignitas, & expertæ probitatis splendor consultandi iudicium absorpserat. Addis, humilitatis magister, humilitatis exemplum, hortaris, obsecras: & qui consulendo præstabas officium, recepisse fateris, dum collectiones nostras non tantùm tua expectatione, sed etiam lectione dignaris: quasi tuæ eruditionis fluuijs non modò ex tenuissima officina nostra, sed nec ex vllo scriptorum genere quippiam queat accrescere. Quid enim Græca philosophia, quid Romana facundia, quid Christiana pietas, posteritati mandauit, quod tu non legeris? non memoriæ mandaueris? Vt cætera taceam, sint oculi tui testes, quos, dum auidè sapientiam voras, cum lectione partitus es, idque forsan liberalius æquo. Minor enim tibi pars cessit, maiorem sibi literæ vendicarunt. Transeo spiritus tui dotes, quas diuina musa non vulgari tecum mensura diuisit: res enim est dictanti dispar ingenio, & epistolæ commendatione dignior. Clamat orbis, docti pariter & indocti: exteri non minus quàm Hispani Granatensem virum planè Apostolicum, & verum Apostolorum imitatorem. Sit hæc in terris verissima tuæ sortis inscriptio, dum augustior altera differtur in cælis, labori verò huic meo gratulor, te consilij autorem, te editionis patronum sortito. Tuum itaque patrocinium quasi meo iure vendicans, opus tuum tibi commendo, vt quod te consultore conceptum est, te fautore feliciter prouehatur. Vale pater inclite, & quod facis, communem Patrem nobis omnibus propitium para.

Universidad de Deusto Biblioteca

INDEX LOCORVM COMMVNIVM IN HOC exemplorum memorabilium volumine contentorum, ordine alphabetico digestus.

A

ABiectio animi 22.
Abiectio diuitiarum 338.
Abiectio sui 318.
Absolutio reorum quorũdam 199.220.
Abstinentia 26.
Adolescentia insignis 327.
Æmulatio 233.
Æquitas 10.
Æquabilitas animi 200.
Ætas senilis 327.
Ætas puerilis 325.
Affectus animi erga patrem 78.
Affectus religionis 1.
Afflictio corporis 377.
Afflictio corporis per ieiunium 380.
Agilitas corporis 305.
Amicitia 136.
Amor filiorum in parentes 67.
Amor & Fides coniugalis 79.
Amor fratrum 70.
Amor erga patriam 75.
Amor parentum erga filios 61.
Amplitudo. 125.
Animaduersio 256.
Animaduersio parentum erga filios. 61.
Animus gratus 238.
Animi moderatio 200.
Animus ingratus 244.
Animus constans 113.
Annuntiatio verbi Dei 415.
Arrogantia 315.
Ars bene dicendi 292.
Artium præstantissimi 302.

Asperitas animi. 118.119.
Astutè dicta atque facta. 164
Atrocitas 148.
Auaritia 186.

B

Beatitudinis cælestis reuelationes 415.
Beneficentia 176.
Beneficij memor 238.
Beneficij immemor 246
Beneuolentia erga inimicos 58.
Benignitas 176.
Benignitas erga inimicos 58.
Bonitas 142.
Bona fortuna 277.

C

Cælestis beatitudinis reuelationes. 415.
Callidè dicta atque facta 165.
Casuum varietas 265.
Castigatio corporis 377.
Castigatio corporis per ieiuniũ 380.
Castitas 38.
Celebris mors 331.
Censoria nota 208.
Charitas erga Deum 51.
Charitas coniugalis 79.
Charitas erga patrem 75.
Charitas parentum erga filios 61.
Charitas filiorum erga parentes 67.
Charitas fratrum 70.
Charitas erga homines 54.
Charitas erga inimicos 58.
Cibus moderatus. 342.
Clementia 142.
Cogitatio 359.
Comitas 142.
Communio sacrosancta 429.
Compaßio 253.
Concordia 139.
Confeßio peccatorum. 436
Confidentia 100.
Confidentia sui. 194.
Consuetudo 305.
Consuetudinem habere 147.
Constantia 113.
Contemplatio 359.
Contemptus diuitiarum 338.
Contemptus gloriæ 290.
Contemptus religionis 7.
Condemnatio reorum quorundam 199.200.
Contritio 421.
Continentia 26.
Contentio 234.
Conuersatio cum aliquo 134.
Corporis castigatio 377.

Corporis castigatio per ieiunium 380.
Corporis humani sensus 303. 304.
Corporis ornatus 371.
Corporis vires 305.
Crudelitas 148.
Crudelitas parentum erga filios 61.
Cultus Dei 84.
Cupiditas 186.
Cupiditas gloriæ 385.
Cupiditas vitæ 330.

D

Damnatio reorum quorundam. 350.
Decrepitus 327.
Decus 125.
Dei cultus 84.
Deliciæ 281.
Dementia 24.
Desiderium vitæ 336.
Diabolo quomodo resistendum 384.
Dicendi facultas 292.
Dies extremus 393.
Dignitas sacerdotalis 427.
Dignitas publica 125.
Dilectio 136.
Dilectio erga Deum 51.
Dilectio fratrum 70.
Dilectio filiorum erga parentes 67.
Dilectio inimicorum 58.
Dilectio erga homines 54.
Dilectio patriæ 75.
Diritas 148.
Disciplinæ veneratio 291.
Disciplina militaris 210.
Discordia domestica 74.
Discordia fratrum ibid.
Dispicientia 23.
Diuitiæ 189.
Diuitiarum contemptus 338.
Doctrinæ studium 362.
Doli, qui in autorum capita redundarunt 361.
Doloris contemptus 105.
In dominos fides seruorum 94.
Dulcedo animi 142.

E

Effectus orationis 355.
Efficacia orationis ibid.
Egestas 190.
Elatio animi 315.
Eloquentia 292.
Erga Deum Fides 84.
Eucharistia 429.
Excandescentia 173.
Excessus è vita non vulgaris 331.

Expectatio immortalitatis 100.

F

FAcultates 189.
Factio 234.
Facundia 292.
Famæ contemptus 290.
Famæ cupiditas 285.
Familiaritas 134.
Facultas dicendi 292.
Fatuitas 24.
Felicitas 277.
Felix rerum successus ibid.
Fidelis hominum societas 103. 104.
Fidelitas seruorum in dominos 94.
Fidelis seruitus ibid.
Fidelitas erga homines 90.91.
Fides erga Deum 84.
Fides erga Deum contra Iudæos 81.
Fides in Deum contra hæreticos 89.
Fides erga Deum contra Gentiles 85.86.
Fides in Deum contra Magos 86.87.
Fides in Deum contra philosophos 88.
Fides erga homines 90.91.
Fides & amor coniugalis 79.
Fides seruorum erga dominos 94.
Fiducia 100.
Fiducia sui 194.
Firmitas animi 113.
Formidatio 22.
Fortitudo 14.
Fortuna bona 277.
Fortunæ & morum mutatio 274.
Fortuna 265.
Fratrum odium & domestica discordia 73.
Fraudes, quæ in autorum capita redundarunt 301.
Frugalitas 25.26.

G

GEnerositas 142.
Gloriæ contemptus 220.
Gloriæ cupiditas 285.
Gratitudo 238.
Grauitas 125.

H

HOspitalitas 294.
Honor sacerdotalis 427.
Hora mortis 395.
Humanitas 142.250.
Humanæ deliciæ 34.

Universidad de Deusto Biblioteca

Humani sensus 303.304.
Humilitas 318.

I

IEiunium 380.
Ignauia 22.
Immoderatio animi 34.
Immoderatus sumptus 281.
Induendi corporis ratio 371.
Incontinentia 34.
Indigentia 190.
Indulgentia parentum erga filios 61.
Infantia insignis 325.
Infelicitas 279.
Infernalium pœnarum reuelationes 338.
Infidelitas 97.
Infortunium 279.
Ingratitudo 244.
Iniustitia. 21.
Inimicitia fratrum 73.
Inimicorum dilectio 58.
Iniquitas 14.
Iniustitia 14.
Insignis infantia 325.
Insignis adolescentia 327.
Insignis pubertas ibid.
Insignis pueritia 325.
Insolentia 315.
Instituta 305.
Intemperantia 34.
Interitus non vulgaris 331.
Inuidia 141.284.
Ira 173.
Iracundia ibid.
Iudicium temerarium 296.
Iudicium præceps ibid.
Ius fidelitatis in homines 90. 91.
Iustitia 10.

L

LAsciuia 34.
Laudis contemptus 290.
Lectio & studium 362.
Lex 305.
Liberalitas 176.
Libido 34.
Literarum veneratio 291.292.
Luxuria 34.281.
Luxus 281.

M

MAgnanimitas 14.
Magnitudo animi 14.
Maiestas 125.
Meditatio 359.
Meditatio mortis 395.
Memor beneficij 238.
Memoria 303.304.
Militia ibid.
Militaris disciplina 210.
Mirabilia 223.
Miracula 223.

Moderatio & temperatia 54.
Moderatio sermonis 250.
Moderatus animus 200.
Modestia 25.26.
Mors 394.
Mors non vulgaris 331.
Mortis meditatio 394.
Mortis terror 336.
Morum & fortunæ mutatio 274.
Mos 315.
Moderatio animi 200.
Munificentia 176.
Mutatio status 265.
Mutatio morum & fortunæ 274.
Mutua beneuolentia fratrum 70.

N

Necessitas 262.
Necessitudo 136.
Neglecta religio 7.
Neglectus diuitiarũ 338.339.
Nominis sui cupiditas 285.
Nota Censoria 208.

O

Obedientia 320.
Obitus celebris 331.
Obsequium 320.
Odium 141.
Odium fratrum & domestica discordia 73.
Offensio 141.
Opera manu exercenda 371.
Opes 189.
Oratio 350.
Orationis virtus 355.
Ornatus corporis 371.

P

Parentum indulgentia erga filios 61.
Parsimonia 25.26.
Patientia 103.
Parentum patientia inferenda filiorum morte 122.
Erga patriam fides 75.
Paupertas 190.
Pax 138.139.
Peccatorum confessio 436.
Peccatorum pœnitentia 421.
Perfidia 97.
Pietas erga Deum 51.
Pietas filiorum erga parentes 60.
Pœnarum infernalium reuelationes 403.
Pœnitentia peccatorum 421.
Passiones 189.
Præceps iudicium 298.
Prædicatio 415.
Prædictio cælestis beatiudinis 408.

Præstantissimi artium 302.
Precatio 350.
Prodigalitas 281.
Proditio 97.
Prodigia 223.
Promissis stare 91.
Propensio animi in homines 54.
Prosperitas 277.
Prosper rerum successus ibid.
Prosper status ibid.
Prouidentia 16.
Prudentia ibi.
Prudenter dicta atque facta 158.
Pudor 247.
Pubertas insignis 327.
Pudicitia 38.
Pueritia insignis 324.325.
Purgatorium 402.

Q

Quæ cuique magnifica cõtigerunt 215.
Quomodo resistendum sit diabolo 384.

R

Ratio resistendi diabolo 384.
Reconciliatio 139.
Recordatio 303.304.
Religio 1.
Religionis affectus ibid.
Religio Romanorum 2.
Religionis contemptus 7.
Reminiscentia 303.304.
Remuneratio 238.
Rerum vicissitudo 265.
Reuelationes cælestis beatitudinis 408.
Reuelationes infernalium pœnarum 403.
Rhetorica 292.
Ritus 305.
Robur corporis & animi 14.
Robur corporis humani 304.
Romana religio 2.

S

Sacerdotalis dignitas 427.
Sacramentum altaris 429.
Sacrosancta communio 429.
Sagacitas 23.
Sapientia 23.
Sapienter dicta atque facta 158.
Scientiæ veneratio 291.
Sæuitia 148.
Sæuitia parentum erga filios 61.
Seditio 234.
Senectus 327.
Sensus humani 303.304.
Sermonis moderatio 250.

Universidad de Sevilla Biblioteca

Seruorum fides in dominos 94.
Seueritas 118.
Seueritas parentum erga filios 64.
Silentium 250.
Sobrietas 345.
Solitudo 345.
Solitaria vita ibid.
Somnus 347.
Sopor 347.
Speculatio 359.
Spes 100.
Status felix 277.
Status mutatio 265.
Stoliditas 24.
Studium & lectio 362.
Studium famæ 285.
Studium gloriæ ibi.
Stultitia 24.
Sui abiectio 318.
Superbia 315.
Sumptus immoderatus 281.

T

TAciturnitas 250.
Temerarium iudicium 296.
Temeritas 24.
Temperantia & moderatio 25.26.
Tempus mortis 395.
Tenax propositi 118.119.
Tenacitas 186.
Tentationes tempore orationis 358.
Tenuitas 190.
Terror mortis 377.
Timiditas 22.
Timor & ignauia 22.
Tolerantia 103.
Trepidatio 22.
Tumultus 224.

V

VAna gloria 285.
Vafrè dicta atque facta 165.
Varietas casuum 265.
Veneratio scientiæ 291.
Verbi Dei annuntiatio 415.
Verecundia 247.
Veritas 434.
Vestitus 371.
Vicissitudo rerum 265.
Victoria 215.
Vigiliæ 347.348.
Vindicta 256.
Violentia 234.
Virginitas 38.
Virium suarum fiducia 94.
Vires corporis 304.
Virtus orationis 355.
Vis 234.

Vis corporis & animi 14.
Vis cogens 262.
Vis Eloquentiæ 292.
Vis Orationis 355.
Visus 304.
Vitæ cupiditas 336.
Vita solitaria 345.
Vltio 256.

Autores, è quorum scriptis exempla, quæ hoc in Tomo referuntur, excerpta sunt.

Valerius Maximus.
Marcus Antonius Coccius Sabellicus in Exemplorum libris.
Baptista Fulgosus in Latinum sermonem à Camillo Gilino conuersus.
Aelianus.
Guido in Exemplorum libro.
Marullus.

Universidad de Deusto Biblioteca

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

HOrum duorum Tomorum editionem, candide lector, si volueris, cum alijs impressis conferre, quid in hac præstiterimus facilè videbis. Nã in altero infinitos errores, qui operarũ negligentia irrepserãt, sustulimus: auctores quãplurimos falso citatos correximus. In hoc autem voces multas à multis mendis purgauimus: nonnulla exempla superflua & bis posita expunximus: & quamplurima in suum ordinem restituimus. Interim hoc vnum te monitum velim: hic Andreas Eborensis tres exẽplorum classes facit, Græcorum, Romanorum, Christianorum: Græcorum verò nomine Scythas, Ægyptios, Arabes, & alias omnes exteras nationes. Abutitur autem hoc nomine ne singularum gentium classem vnam facere cogeretur: vel quia hæc omnia ferè exempla è scriptoribus Græcis desumpta sint.

Vale.

Universidad de Deusto Biblioteca

TOMVS POSTERIOR, DICTORVM AC FACTORVM memorabilium cùm Ethnicorum, tum Christianorum exempla complectens.

De Religione, & Religionis affectu, Græcorum exempla.

De Ægyptiorũ religione.

Ægyptus portentorum mater an sanę fuit mentis, quę in hortis sibi Deũ inuenit? nam vt Apis, Ibis & Crocodilus sileantur, aliáque monstra animalium, cæpas & allium religiosè colere, nihil aliud certè fuit quàm desipere. Sabel. lib. 4.

De barbarico Mineruæ sacro.

Voces licet non delirium solùm, sed dirum etiam, quòd in parte Africæ quadam Mineruæ sacro indigenæ puellæ fustibus inter se certabant, cum ipsarum pernicie. Graue & infestum numen, quod magis colentiũ supplicio gaudeat, quàm pietate & officio. ibid.

De Scythicæ Dianæ ara.

Fuit & Scythicæ Dianæ ara nihilo mitior, qua hospites immolari consueuerunt. Dira religio, & quæ hospitalia iura vinculum inter homines sanctissimum sustulit, tanquam parum esset hominem violare, nisi in vniuersum vita ipsa violaretur. ibid.

De Timoleõte Corinthio

Timoleon Corinthius, qui Dionysij regnum, euertit in Sicilia, tantum abfuit vt post clariss-

simam victoriam sit aliquo modò religionis oblitus, vt paternam domum in templi vsum verterit.ibidem.

De Alexandro Magno & Pompeio.

Cæli prouidentia, non hominum consilio accidit, quòd in Iudæa duo qui Magni cognomen habuere, Alexander Macedo, & mox Pompeius Hebraicæ religionis cultũ non modò non aspernati sunt, sed inoffensum etiam ab omni iniuria præstiterunt: hic Hierosolymis captis à direptione templi militem prohibuit: ille summum sacerdotem sibi obuiam venientẽ venerabũdus excepit, ac velut numẽ quoddã adorauit.ibi.

De Sotero Antiocho Syriæ Rege.

Non tulit Antiochus Rex Syriæ Hierosolymorum tẽplum sine sacrificiis: nam cùm vrbem illam eo tempore obsideret, quo tabernaculorum festa celebrabantur, atque à populo Hierosolymitano rogatus esset septem dierum inducias ad ea sacra colenda dare, non solùm postulata concessit, verumetiam vt nõ minus à se, quàm à Iudæis religionem coli ostenderet, taurum auratis cornibus ac multa aurea vasa cum thure ad vrbis portas, sacerdotibus ferre iussit, atque eos rogari, vt illa Deo offerrent.Bap. Fulg.lib.1.

De Regibus Æthiopum.

Æthiopum reges vsque ad Ptolomæi regis Ægypti tempora cõsueuerũt, cùm eis à Sacerdotibus Iouis denuntiatum esset, Deo inuisam esse eorum vitam, sibi mortem consciscere: quin inter eos nullus est inuentus, apud quem pluris salus, quàm religio haberetur, vsque ad Erganem regem, qui, ne per sacerdotes ei mors denuntiaretur, omnes ipsos interemit, primúsque morem illum sustulit. ibid.

De Arsacenis.

Arsaceni nihil Deo gratius esse arbitrati sunt, quàm si absolutè principibus paruissent,

cuius propositi certissima antè signa ediderant, pericula adeuntes, vndè regressus nullus patebat. Sed cùm aliquando publica fide accepta ad eos profectus esset Henricus Campaniæ comes, eorum princeps, vt hunc obediendi morem Henrico præsente declararet, ostensis in altæ turris summitate aliquot hominibus vnum nominatim euocauit, qui nulla mora facta, in ipsorum conspectu à turri se demisit, statimque ex casu vitam obiit: & cùm alios etiam vocare vellet, Comitis precibus, qui totus admiratione simul atque horrore obstupuerat, vix retentus fuit: adeò populi illi sola religione moti vitæ suæ prodigi sunt.ibi.

De Diomedonte.

Diomedon cùm ad supplicũ duceretur, nihil aliud loquutus est, quàm vt vota pro incolumitate exercitus ab ipso nũcupata soluerentur. Max.lib.1.

ROMANORVM EXEMPLA.

De religione quam Romani habuerunt.

NVlla fuit aliarum gentium religio non aliqua ex parte contemptu & risu digna, quia delirio & diritati proximà, nisi Romana ciuitas, quæ arx fuit & caput humanarum gentium, scitè præclaréque fecisse dicatur, quod Soricis occentum tam religiosè obseruauit, vt is auditus dictaturã & magisterium Equitũ summis viris ademerit.Sab.l.4.

De simulachro Ideæ matris.

Haud illud piè institutum dixerit aliquis, vt simulachrũ Ideæ matris probrosis verbis cùm propitiatum numen voluerunt, prosequerentur sacerdotes ad Almonem vsque fluuiũ: & quæ ne impudica quidẽ fœmina æquis auribus audiuisset, alta claráque voce in hymnis audiente populo in Deorum matrem iactarentur.ibi.

De Ridiculis institutis.

Mitto quòd Febris, & Pallor

inter Deos recepti, suum in eadem urbe cultũ tenuere. quòd verò nudo corpore Luperci vagarentur, obuiámque turbam cæderent loris, insanientium, non religionem colentium erat. Cæterùm quòd serpens ex Epidauro adductus, salutaris fuerit ciuitati, malorum dæmonũ præstigiis iure imputatur, quibus præpotens alioqui populus tam perditè seruiuit, quàm humanis gentibus fortiter imperauit. ibid.

De Cornelio Sylla.

Cornelius Sylla dimidium Thebani agri Ioui Olympio & Apollini Pithio consecrauit, vt ex eius fructibus pecuniæ, quas ex ipsorum templis ad alendum exercitum abstulerat, ipsorum templis restitueretur: non ignarus sacrilegium sæpè vniuersi exercitus & Imperatoris exitio expiatum, atque eo grauius, quò tardior pœna sequuta esset. ibid.

De Paulo Æmilio.

Dimicaturus acie Paulus Æmilius aduersus Persen Macedoniæ Regem, cum prima luce Herculi sacrificare cœpisset, nec litaret, religione perfusus, viginti hostias vnam post aliã mactauit, nec prius ab incœpto destitit, quam in prima post vicesimum certa victoriæ argumenta extiterunt. Expertus est Æmilius sine religione nihil à mortalibus feliciter moueri. ibidem.

De Romano Senatu.

Romanus Senatus adeò semper magni religionem fecit, vt, quemadmodũ vir doctissimus Varro scribit, quotiensciunque Senatum magistratus coëgisset, id ipsum quod primò proponebatur, ad religionem pertineret, nullàque quamquam grauior causa, vel quæ celeritatem requireret, hunc morem anteuertebat, vt publicorum consiliorum, quemadmodum etiam aliarum rerum, diuino cultui primæ partes darentur. Bap. Fulg. lib. I.

De Vespasiano Principe.

Vespasianus ex Oriente reuersus, cum ciuilibus bellis deformatam vrbem offendisset, à sacris ædificiis, capitolinique ipsius Iouis templo eius instaurationem orsus, ante alios ipse se operi accinxit. sublatis inde collo suo primis ruderibus, iactisq; manu sua fundamentis, minimè abitratus Cæsareq; maiestati labem illaturum, si operam sacræ rei manu sua nauasset. ibid.

De Aurelio Alexandro Seuero Romano Principe.

Silentio prætereundum non est Alexandri Seueri religiosum verbum: qui cùm eius temporibus Christiana fides iam inualuisset, & Christiani publicum quendam locum orandi gratia occupassent, cõtrà autem cauponæ quidam Gentiles antè suũ esse cõtenderent. Alexander audita controuersia respondit, quoquomodo esset, satius esse in eo loco Deum coli, quàm cauponas exerceri. Verbum certè tanto principe dignum. ibi.

De eodem.

Apud hunc tanti religionis autoritas ac reuerentia valuit, vt iudicatas à se causas à Pontificibus atque Auguribus retractari, atque aliter quam ipse iudicasset, terminari pateretur. Minimè dedecori sibi arbitratus, in ijs quæ ad religionem pertinerent, imperatoriam maiestatem sacerdotum autoritati cedere. ibi.

De Metello Pontifice.

Metellus Pontifex Maximus Posthumium Consulem eundémque Flaminem Martialem ad bellum gerendum Africam petentem, ne à sacris discederet, mulcta indicta, vrbem egredi passus non est, religioniq; summum imperiũ cessit, quòd tutò se Posthumius Marcio certamini commissurus non videbatur, cæremoniis Martis desertis. Maxi. lib. I.

De Sulpitio.

At Sulpitio inter sacrificandum è capite apex prolapsus,

eidem sacerdotium abstulit. ibid.

De Publio Licinio.

Adijciendum his, quòd Publio Licinio Pontifici maximo virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens æterni ignis custos fuisset, digna visa est quę flagro admoueretur. ibid.

De Lucio Albino.

Vrbe à Gallis capta, cùm Flamen Quirinalis virginęsq; Vestales sacra, onere partito, ferrent, eásque pontem Sublicium transgressus, & cliuum qui ducit ad Ianiculum descedentes, L. Albinus plaustro coniugem & liberos vehens aspexisset, propior publicæ religioni quàm priuatæ charitati, suis vt plaustro descenderent, imperauit, atque in id virgines & sacra imposita, omisso cępto itinere, Cære oppidum prouexit: vbi cum summa veneratione recepta grata memoria ad hoc vsque tempus hospitalem humanitatem testantur. ibidem.

De Senatu & matronis Romanis.

Senatus Romanus post Canensem cladem decreuit, ne matronæ vltra trigesimum diem, luctus suos extenderent, vti ab his sacra Cereris peragi possent: quia maiore pene Romanarum virium parte in execrabili ac diro solo iacente, nullius penates mœroris expertes erant. Itaque matres, coniuges, ac filiæ & sorores nuper interfectorũ, absterſis lachrymis, depositisq; doloris insignibus, candidam induere vestem, & aris thura dare coactæ sunt: qua quidem constantia obtinendæ religionis magnus cælestibus iniectus est rubor vlterius aduersus eam sæuiendi gentem, quæ ne iniuriarum quidem acerbitate ab eorum cultu absterri potuit. ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Christo.

Docuit ad hæc veritatis magister, quin ipsa veritas potius supremáque sapientia nõ pœna, non præmio hominẽ subigi oportere, ne à præcepta religione aberret: & quamquàm ipsius erant omnia, adduci potuit vt quod infra Deum esset adoraret, testatus venisse se nõ vt legem tolleret, sed præcepto impleret & exemplo. Sabel. lib. 4.

De Martyribus.

Abundat obseruationis huius exemplis Christiana religio: innumeri martyrio cælum adepti sunt, multi serra dimidiati, altis alij voraginibus mersi, ignibus consumpti, præcipitati, truncati, lapidibus obruti, bestiis obiecti: omnibus tamẽ res vna fuit curæ, vnum propositum, ne à pietate deflecterent, cuius vera obseruatio est non terrestrium admiratio rerum, sed cælestium cura & assidua meditatio. ibidem.

De Ruberto Francorum Rege.

Vnum etiamnum inter tot illustria sibi locum vendicat exemplum, etsi citra martyriũ, non minoris tamẽ affectus. Rubertus Francorum Rex adeò diligens fuit pietatis cultor, vt nõ tantùm omnibus sacrorum interesset horis, sed etiam hymnos caneret, ceu ex initiatis vnus. Hinc, vt credi par est, contigit, vt vrbium muri qui armato obstiterunt, sacris operanti cesserint. ibid.

De Constantino Imperatore.

Cõstantinus cùm in Chalcedonensi concilio vltimus inter sacerdotes sederet, auditis accusationibus, quibus se inuicem sacerdotes criminabantur, delatas ex scripto ad se, in gremium concluſit, omnésque illectas cõbussit, dicẽs sacerdotes ceu numina ad hominem regendum constitutos esse, propterea intactum se Deo eorum iudicium reseruare velle. B. Fulg. lib. 1.

De eodem.

Cùm Helena eius mater à Hierosolymis clauos tulisset, quibus Dominus affixus est,

ipse quamquàm religionis plenus, militaris tamen, vnum ex eis galeæ infixit, siue, vt Ambrosius refert, regum diadema insignuit: ex altero frænum equo suo confecit, quod nunc Mediolani cernitur: fretus, id quod verè ei contigit, horum adiumento non pericula solùm se euasurum, verùm de hostibus victoriam reportaturum: tertiùm aiunt eum, quòd in Adriatico mari de salute periclitaretur, ad sedandam vim tẽpestatis, in profundum demersisse. ibidem.

De Theodosio Seniore.

Quod in clauis Dominicæ crucis reposuisse fidei Constantinus visus est, id non minus constanter Theodosius ex oratione sperauit: siquidem pridie quàm cum Eugenio & Arbogaste pugnaret, eam diem totam orando, sacrisque aliis operando consumpsit: quibus rebus bonæ spei plenus, in certamen descendit, ex eóque victoriam ingentẽ mirámque tulit, cum ad vincendum venti quoque plurimum ei contulisse videretur. ibidem.

De Heracleo Imperatore.

Heracleus Imperator graui Cosdroë regis Persarum bello pressus, cùm is omnes pacis cõditiones aspernaretur, ad diuinam opem confugit. Nam cùm sæpius solemni more supplicasset, & supplicationibus ieiunia atque orationes addidisset, constãtinopolim ipso Paschatis die aggressus, manu dextra sacræ Virginis imaginem tulit, atque in hunc modum fide spéque armatus, cum immani hoste duobus prælis conflixit, ac semper victoriam reportauit. ibidem.

De Alarico Gotthorum Rege.

Alaricus Gotthorum Rex barbarus intra bella atque extra omnem religionis cultum enutritus, cùm in Italiam cum ingentibus copiis Honorico Imperatore venisset, ob Stiliconis perfidiam, conuersus ad vrbem Romã, eámque ingressus, priusquàm militi vrbis populationem permitteret, edicere iussit, corpora bonáque eorum qui in Apostolorum templa se recepissent, salua fore. Ostendit ferus homo nihil se pluris quam religionem facere ibidem.

De Theodosio IIII.

Referenda est admirabilis Theodosij religionis obseruantia, qui ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo publicè prohibitus templo, nisi antea pro innoxio sanguine, quem Thessalonicæ & in Pannonia sparserat, Deo palàm satisfaceret: eam nõ tam patienter humanéque tulit princeps, neque ante ad templum redire est ausus, quàm iis quæ ab Ambrosio ad criminis emendationem iniuncta erant, peractis. Discant nostræ ætatis gentes reuereri sacerdotem, quẽ princeps terrarũ dominus tam humiliter tulit: etenim victoriarum plenus, cum lachrymis ante Ambrosij pedes prouolutus est. B. Fulg lib. I.

De Edgaro Britannorum Rege.

Edgarus Britanniæ Rex cum virginem deperiret, quam in Vincestrensi monasterio viderat educari, quæ vt virginitatẽ à Regis iniuria tueretur, velo vnius ipsius monasterij monacharum se texerat, neque ob id ab iniuria rex deslitisset, Dunstanus Canturiensis Archiepiscopus qui aderat, porrigentẽ in congressu dexteram honoris gratia regem à contactu repulit, tanquàm propter incestum indignum, qui sacerdotem contingeret: restitit princeps, eámque notam non solùm patienter tulit, verùm agnito errores, ad sancti Sacerdotis pedes prostratus lachrymabũdúsque, criminis veniã petit: & cùm pœnitentiæ loco ei, vt à gestando diademate septẽ annos abstineret, & sacris quoque virginibus monasterium conderet, iniunctum esset, vtrunque obedienter peregit. ibidem.

De Innocentio III.

Innocentij tertij decreto Otho quartus imperio deiectus est, quòd catholicæ ecclesiæ subdi-

tos vexabat, atque ei Federicus secundus suffectus est.ib.

De Gregorio nono & Innocentio quarto Pontificibus.

Is quoque Federicus primùm ab Honorio, mox à Gregorio nono, postremò ab Innocẽtio quarto Pontificibus, cùm varia ei crimina obiicerentur, imperij honore deiectus est: quanquàm versutus valde, virium quoque satis haberet: adeò enim religionis existimatio in subditorũ animis radices iecerat, quæ siue iure, siue iniuria obiecta crimina fuere, cedere ei necesse fuit, cum maior pontificis voluntatem numerus sequeretur. ibidem.

De Alexandro & Caio Martyribus.

Martyres Caius & Alexãder cùm capite dãnati, ad suppliciũ, vt cũ Marcionistis quidã Christiani ducerentur, muneris ingẽtis loco à carnificibus petierunt, vt separatim à Marcionistis occiderẽtur, ne eorum sanguis cum iis misceretur, qui parum rectè de catholica fide putabantur sentire. ibidem.

De Innocentio tertio & Bonifacio octauo Pontificibus.

His qui verè Catholici habebantur, visum est è Christiana re esse, non modò in viuẽtes, vt ab errore religionem vindicarent, sed cõtra mortuos quoque agere. hoc Bonifacius octauus ostẽdit, qui Hermani Pongilupi eremitæ corpus Ferrariæ Sanctorũ honore in sepultura decoratũ, post viginti annos erui cremarique, cineresque in profluẽtem amnẽ prouci iussit: quoniã quibusdam indiciis post mortem eius detectũ fuerat, ipsum ex Fratricellorum hæresi fuisse.

Pontifex quoque Innocentius tertius per Parisiensem Episcopum egit, vt ex sepulchro eruerẽtur Almaricus Parisiensis doctor, & cremaretur. Quoniã quanquàm eum pœnituisse visum est hæresis, quã aliàs laborarat, hæresis ipsa adhuc repullulare putabatur.

Mediolani quoque regnante Matthæo Vicecomite, postremis eius imperij diebus detecti sunt Andreas Seramita & Guilielma post vndecimum cœpti sceleris annum, principes fuisse mares & fœminas occulto in loco sub Bariloti nomine ad bacchanalem exercendam licentiam congregãdi: nam peractis sacris quæ Guilielma in sacerdotali veste obibat, cũ cæteri in clericorum habitu ministrarẽt, extincto lumine, promiscuè libidinis genus omne permittebatur. itaque Andreas viuẽs cũ aliquot huius sectæ hominibus cõbustus fuit, additúmq; Guilielmæ cadauer, quæ antè mortua erat, & vsq; ad id tẽpus in Clareuallis monasterio sepulta sanctarum honore colebatur. ibid.

De Ferdinando Hispaniarum Rege.

Aragonius Ferdinãdus Castulonẽsis rex haud dissimilia egit: detecto enim magno Christianorum numero, qui per eius regna passim sparsi erant, potẽtia atque opibus insignes, quorũ genus ab Hebræis manarat, cũ palàm in Christianam fidem recepti essent, secretò Iudaicam legem ac ritum seruare, nõ solũ permultos ex eis cõburi, qui pertinaces in scelere permanebant, verùm etiam ex sepulchris eorũ corpora erui iussit. ibidem.

De Gotofredo Bolionio Lotharingorum Duce.

Gotofredus Bolionius Lotharingorum dux inter Christianos præmisso crucis signo priuata pecunia triennium integrũ in Barbara longinquáque regione inter mille pericula, rerúmque omnium egestatem Hierosolimam atque Syriam ex infidelium manu recepit. ibidem lib.3.

De Ioãne Cõstantinopolitano Imperatore & Eugenio quarto Pontifice.

Religio quoque Ioannem Cõstantinopolitanum Imperatorẽ mouit, vt parui pericula laboresque omnes faceret, dũ in Italiã Florentiam vsque se conferret, illic enĩ ab Eugenio quarto

maximo Pōtifice, etsi graui bello premebatur, magno stipendio conductus est, vt vtraque Ecclesia, Orientalis scilicet, & Occidentalis (nam de Spiritu sancti processione, nonnullisque aliis ad catholicam fidem pertinentibus discordes fuerant) reformaretur: tunc Armenij, Æthiopes, Indi, Maronitæ ac Syriaci cùm in eandem catholicam opinionem concordes trāsissent, Christi tunica, quæ discissa erat, redintegrata fuit. idem lib. 7.

De Ludouico VII. Gallorum Rege.

Cùm Ludouicus Gallorum Rex comperisset Heleonoram ipsius coniugem arcta sibi propinquitate contingere, quanquàm secum Guienæ ducatum aliarúmque regionum hæreditatē traheret, atque ex ea duas tam filias suscepisset, diuortiū tamē fecit, ne aduersus catholicæ fidei leges matrimonio vteretur. itaque eius connubio soluta Heleonora, Henrico tertio nupsit, Ludouicus Constantiam Hispaniarum Regis filiam duxit. ibidem.

De Philippo Deodato Gallorum Rege, qui cognominatus est Augustus.

Cùm Honorij tertij Pontificis legati à Philippo poscerēt, vt Ingebergam, siue (vt alij dicunt) Viceburgam coniugem in coniugalem thalamum reciperet, quam, quia non satis grata erat, ficto propinquitatis gradu ceu non iustam vxorem dimiserat, atque in eius locum Mariam Bohemiæ Ducis filiā duxerat, etsi ægrè, vt id ageret, adducebatur, legatis tamen de Ingeberga reducenda paruit. ibidem.

De Ramiro Rege Aragonis

Non est ab iis, de quibus diximus, dispar Ramiri olim monachi factum: nam cùm fratris eius morte Aragonicum regnum vacaret, petētibus Aragonis, Pontifex monacho concessit, vt regnum religione solutus acciperet. Ducta igitur vxore, qua filiam Viracam suscepit, neque coniugalis charitas, nec regni cupido, validissima duo in humanis rebus vincula, eum retinuere, quominus ad Ecclesiasticam humilitatem, quam in monasterio expertus erat, reuertetur. ibid.

De Veremūdo Primo Hispaniarum Rege.

Veremundus primus Hispaniarū rex præcipuus religionis cultor, postea quā duos ex vxore filios suscepit, memor quod ante connubium diaconatus dignitatem accepisset, ne parum diuinas leges obseruasse videretur (adeo penes eum religionis reuerentia valuit) consobrino regno cessit, & monastico ordini se dicauit. ibidem.

De Alphonso Legionis Rege in Hispania.

Alphonsus Legionis in Hispania Rex æquo animo tulit, vt ab Ecclesia matrimoniū ipsius primum cū Tiresia Portugalensis Regis filia, ac deinde aliud quod postea cum Berengaria Castulonensis Regis filia contraxerat, dirimeretur, quanquā ex vtraque filios procreasset: quoniam cū vtraque in tertio affinitatis gradu coniunctus esse arguebatur. ibidem.

De Durante Podiensi.

Regnante Philippo Deodato cum internecinum bellum inter Rothomagum Regem ac sancti Ægidij comites esset, neque ei vllius opera finis imponi posset, pauper quidam vir Podio pusillo loco ortus, cùm in parua membrana pictam Virginis imaginem cū Filio gestaret, in cuius margine Latinè inscriptum erat, Agnus Dei, dona nobis pacem, eam sibi à Deodatam dicebat, et inuīctum vt bellantes inter se populos pacem inire verbis Dei iuberet. eius orationis fides habita est, atque inita pace, imagini illi similes permultæ factæ sunt, quæ gestātes eas in pileis, non incolumes solùm inter arma præstabant, verùm vt viatico quoque in itinere iuuarentur efficiebāt. ibi.

DE CONTEMPTV RELIGIONIS, Græcorũ exẽpla.

De Cambyse Rege.

MIsit Cambyses maioris Cyri filius quinquaginta hominum millia, qui templum Ammonis Iouis diriperent, cõtemptu (quis nescit?) religionis, direptum incendio fœdarẽt. sed ingens illa hominum manus cum inter Oasim & ammonios pransa esset, subita ventorũ tempestate priusquam ad locũ veniretur arenarum cumulis obruta est, vt nemo ex tanto agmine sit nuntius repertus, ex proximis tamen arenarum accolis eius rei fama ad posteros manauit. Sabel. lib. 4.

De eodem.

Creditur Cambyses, de quo est superiore loco memoratum, eodẽ ferro consumptus, quo Apim in Ægypto violarat: sed malorum id schema fuit dæmonum, ne ex iis tenebris in quas Ægyptum deiecerant, vllus ipsi genti pateret ad lucem reditus. ibidem.

De Dionysio.

Syracusis genitus Dionysius tot sacrilegia sua, quod iam recognoscimus iocosis dictis prosequi voluptatis loco duxit. Fano enim proserpinæ spoliato Locris cùm per altum secundo vento classe veheretur, ridens, Amici videtis (ait) quàm bona nauigatio ab ipsis diis immortalibus sacrilegis tribuatur. Detracto etiã Ioui Olympio magni põderis aureo amictu, quo eũ Tyrannus Hiero è manubiis Carthaginensium ornauerat, iniectoque ei laneo pallio, dixit æstate grauem esse aureum amiculum, hyeme frigidum, laneum autem ad vtrunque tempus anni aptius.

Idem Epidauri Æsculapio barbã aureã demi iussit, quòd affirmaret non conuenire patrẽ Apollinem imberbem, ipsum verò barbatum conspici.

Idem mensas argenteas atq; aureas è fanis sustulit, quódque in his more Græciæ scriptũ erat, bonorum deorum eas esse, vti se bonitate eorũ prædicauit.

Idem victorias aureas & pateras & coronas, quæ simulachrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebant, & eas se accipere nõ auferre dicebat. per quam stultũ esse, argumentando, à quibus bona precamur, ab iis porrigentibus nolle sumere. Qui tametsi debita supplicia nõ exoluit, dedecore tamẽ filij mortuus, pœnas repẽdit, quas viuus effugerat. Lẽto enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, & tarditatẽ supplicij grauitate compensat. Max. lib. 1.

De vindicta Cereris.

Milesia Ceres Mileto ab Alexandro capta, milites qui templum spoliaturi irruperant, flãma obtecta priuauit oculis. ibi.

De Antiocho Epiphanæ, Asiæ ac Syriæ Rege.

Antiochus cùm Iasonis ac Menelai Hebræorũ opera Hierosolymam cepisset, parũ ducens thesauris atque ornamentis omnibus tẽplũ spoliase, sanxisseque ne in posterũ in eo veteri cultu sacra fierent, Olympio Ioui templũ dicauit. & vt Iudæorũ legẽ cæremoniásque penitus deleret, perquisitas omni cura sacras Iudæorũ scripturas omnes cõbussit. quamobrẽ concitata in se diuina iustitia in sæuũ incidit morbũ, ex putrida eius carne subinde nascẽtibus, ceu in aquarum scaturigine, vermibus. vnde cùm in omniũ odiũ fastidiúmq; simul venisset, ac post lõgos cruciatus à charioribus quoque deuitaretur, rabie atq; ira plenus mortẽ obiit, cũ ante obitũ et cognouisset et fassus esset propter violatum Iudæorũ templum, id se perpessum fuisse. Baptista Campofulgosus lib. 1.

De Seleuco Assyriorum Rege.

Seleucus ingentium opum fama, quæ in Hierosolymitano templo ferebatur esse, nulla religionis habita ratione, Heliodorum ad spoliandum templum misit, quẽ cùm Onias Pontifex in sacrariũ duxisset, duo ingẽtes equites, qui aurei videbantur, aggressi sunt. Cæterùm cùm He

liodorus ita malè mulctatus, Pontificis precibus pristinas vires recepisset, ad Regem suum redut, monuitque, si quem in regnis suis inuisum haberet, eum ad spoliandum Iudæorum phanum mitteret, quibus verbis damnata sacrilegij grauitate, diuinam etiam potentiam, quanta esset, testari voluit. Baptista Campofulgosus. ibidem.

De Cābyse Persarū Rege.

Cambyses post deuictā Ægyptum, cùm videret bouem Api consecratum, tanquam omnis religionis hostis, percussa bouis coxa, eum interemit. In eo impius quòd quanquā idololatram belluam peremisset, tamen vero Deo vim se fecisse arbitrabatur. itaque cum ab eo falsus Smerdis haud multò post rebellasset, dum equum conscendit, lapso vagina ense, quo bouem antè occiderat, in coxa vulnus accepit, quà parte ipse Apis boue vulnerarat. itaque ex eo vulnere breui decessit: quæ ideo posita sunt, vt intelligant homines omni tempore & in omni religionis cultu sacrilegos Deo abominabiles fuisse. ibidem.

De Hurcato Æthiopum Rege.

Hurcatus Æthiopum Rex cùm non posset Iphigeniā Christo dedicatā nec minacibus verbis, nec alio quouis pacto in matrimonium ducere, monasteriū illud quod inhabitabat, cremari præcepit: sed flāmæ statim in eius palatium conuersæ, totum prorsus absumpserunt. Isq; demum horrida lepra percussus cùm nulla medendi foret occasio, sese mucrone proprio interemit. Guido Exemplorum lib.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Potitio non obseruante sacra.

HErcules detractæ religionis suæ et grauem et manifestam pœnam exegisse traditur: nam cùm Potitij sacrorum eius ritum quem pro dono Genti eorum ab ipso assignatum velut hæreditariū obtinuertā, autore Appio Censore, ad humile seruorum ministeriū transtulissent, omnes, qui erāt numero triginta puberes, intra annum extincti sunt, nomēque Potitium in duodecim familias diuisum propè interiit: Appius verò luminibus captus est. Maximus. lib. I.

De Appoline vindicante se de sacrilegio.

Acer etiam sui numinis vindex Apollo, qui Carthagine à Romanis oppressa, veste aurea nudatus id egit, vt sacrilegæ manus inter fragmēta eius abscissæ inuenirentur. Brenus Gallorum dux Delphis Apollinis templum ingressus, Dei volūtate in se manus conuertit. ibi.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Iuliano Imperatore.

IVlianus Imperator cùm se Christianum fingeret, et vt nonnulli affirmant, sacris initiatus vsque ad diaconatū conscēdisset, ex Christi cultore persequutor factus: adeo impiè egit, vt ad vltionem Deum impelleret: suscepto igitur aduersus Persas bello, cùm in ipso prælio lethale vulnus accepisset, sanguine suo manum repleuit, atque in cælū iaculatus, in hæc verba prorupit, Exple iram tuam Galilæe (ita enim Christum appellare cōsueuerat) à te enim me fateor superari. B. Fulgent. lib. I.

De Valente Imperatore.

Iustè quoque sceleratum Valentis opus pœnas tulit, à quo Arriana hæresi laborāte, Gothi petierūt, vt mitteret Episcopos, à quibus in Christi fide instituerentur: ad quos pro catholicis Arrianos misit. itaq; simplex Gotthorū genus pro fideli doctrina peruersam accepit. Verùm ne impunitum Valentis scelus maneret, tulit Deus, vt Gotthi Valentis auaritia cogente, rebellarent. capta igitur Antiochia, Valente victo, saucióque, cùm iis fessus in pastoralē casam diuertisset, superue-

nientibus Gotthis viuus combustus est: vt quibus ignibus, missis peruersis doctoribus Gotthorũ incenderat animos, iis viuentis corpus Valẽtis (quia mali autor fuerat) cremaretur. ibidem.

De Paulo Græco, qui in Hispania tyrannidem vsurpauit.

Quàm manifestè in Pauli quoque Græci pœna cælestis vltio apparuit? qui cùm à Bãbo Gotthorum rege desciuisset, Hispaniarúmque regis nomen vsurparet, ac præter alia multa impiè facta, coronã quoque in vrbe Gerunda à Bambo rege sancto Felici dono datam de templo tulisset, haud diu post id factum perpetrati sceleris pœnã tulit: captus enim à Bambo in Toletum Hispaniæ vrbem perductus, piceo diademate coronatus, luminibúsque orbatus, non sine magno eorum qui hominem viderant, ludibrio, camelo eum ferenti auersus insedit. ibidem.

De Vrraca Aragoniæ Regina.

Vrraca Arragoniæ Regina cùm in bello quod aduersus Alphonsum filium gerebat, pecunia ei deesset, et sancti Isidori fanum spoliare decreuisset, cæteris contingere sacros thesauros reformidãtibus, ipsa manu sua multa auferens, dum templo egreditur, mortua concidit. ibid.

De Honorico Vandalorum Rege.

Honoricus Vandalorum Rex in Africa, cùm Arriana hæresi laboraret, cõplures catholicos episcopos aut ab Africa exilio mulctauit, aut morte affecit, non multò pòst in phthiriasim morbum incidit, scaturientibúsque à corpore eius vndique pediculis, hoc supplicij genere sceleris sui pœnas luit. ibid.

De Fabrianensi populo.

Scelus Fabrianensis populi ingens fuit, cùm in principes suos Clauella gente ortos conspirauit. In templo enim cædem peragere coniurati statuerunt,

hora aggrediũdi facinoris sumpta, cùm sacerdos qui coniurationis conscius erat, sacra peragere, & de cantando symbolũ, ad partem eam peruenisset, quæ incarnationis mentionem facit: scelestè enim voluit, vt verbũ quo humanæ salutis ortus ac memoria renouatur, proditionis atque alterius peragendæ mortis signũ haberetur. Bap. Fulg. lib. 9.

De Petro Sermonetano Minorum ordinem profitente: item de quodam sacerdote Gallo, & quibusdam aliis.

Omne scelus atque impietatem lõgè superarunt Petrus Sermonetanus qui Minorum ordinem profitebatur, & sacerdos quidam Gallus, nonnullique alij scelesti mirum in modum, non ob id tantùm quòd immẽsus est is quem læserũt: verùm etiam propter sacerdotalem ordinem, qui eos impellere debebat, vt acerrimi propugnatores eius rei essent, quam impiè impugnauerũt. Petrus enim (proh immane nefas) asini ori Christianam hostiam manducandã inseruit, vt dæmones in magica arte sibi fauentiores faceret. Altera autem cum malè de catholica fide sentiret, à Iudæis seductus, non modò missarum solennia celebrabat hostiæ immolatione non peracta, verùm etiam ad tantam in Deum impietatem exarsit, vt quo die per vrbem magnis cæremoniis deferri Christiana hostia solet, de episcopi manu tollere eam, & palàm in contumeliam pedibus proculcare deliberaret. quod cùm à frequenti hominum numero, qui episcopum circunstabant, agere prohibitus esset, in maiori Parisiorum templo de sacerdotis celebrantis manu calicem extorsit, sparsum Redemptoris sanguinẽ ac pedibus calcatum, purum esse vinum affirmans, quibus sæuis criminibus ambo, Innocentio octauo Pontifice, Romæ Petrus, Parisiis, autem alter, viui combusti fuerunt. Anno quoque salutis quadringentesimo nonagesimo nono supra mille in Valle Ca-

monica Brixiensis agri, horrendum scelus atque ante hoc tempus inauditum, complures sacerdotes approbatarum congregationum, freti se facilius magicam artem consecuturos, spe ita eis ab humani generis hoste facta, quem in vno montium illius vallis palàm alloquebantur, in eam impietatem præcipites ruerunt, vt hostiam quam ipsi immolarant, alij in ventrem leuarent, alij pedibus eam proculcarent, nõnulli (quod nihilo leuius est) comburerent. ibidem.

DE IVSTITIA GRÆCORVM exempla.

De Aristide Atheniẽsi.

ARistides Atheniẽsis ob insignem iustitiæ opinionẽ Iustus cognominatus, vniuersæ Græciæ populis cẽsum descripsit, tantáque æquitate & iustitia, & Græcorum felicitas sit dictus, & quæ eum tulit ætas, aurea sit appellata. Sabel. lib. 4.

De Alexandro Magno.

Alexander magnus postremo prælio, quo Persarum regẽ deuicit, cùm Bessum cepisset, qui fugientem regem (quanquam ei arcta affinitate propinquius occiderat) ab eo petiit quamobrem id facinus perpetrasset: respondentem autem id se, vt ipsi rem gratã faceret, egisse, pedibus eum deflexis ad terram duabus arboribus alligauit: indéque in pristinum statum redeuntibus arboribus, in duas partes eum diuisit. Bapt. Fulg. lib. 6.

De Cinamo Parthorum Rege.

Cùm Parthi ciuilibus discordiis regno Artabanum regem deiecissent, & is Lazatæ Adiabenorum regis armis adiutus redire in regnũ satageret, Parthi non modo propter imminens bellum, verùm etiam aliis rationibus moti, cùm depulsi Artabani eos pœniteret, ad ipsum atque Lazatem legatos

miserunt, monentes, libenter se ab eis optata facturos. Sed cùm depulso Artabano, ei Cinamum in regnum suffecissent, & ceu regi, fideles se fore iurassent, à iureiurãdo discedere religio erat. quam rem cùm Cinamus intellexisset, Artabano atque Lazatæ scripsit, vt venirent. Cinamus regia veste diadematéque ornatus obuiã profectus est: & cùm primũ Artabano appropinquauit, ab equo descendens, ita loquutus est, Cùm Parthi te regno pepulissent Artabane, atque ad aliũ transferre tibi ademptum vellent, eorum precibus illud accepi: sed vt primùm cognoui illos deliberare te verũ propriúmque ipsorum regem in regnum restituere, vnúmque illud obstare, ne me inuito ab eis ageretur, non modò eis non obstiti, verùm (vt vides) mea sponte tibi regnum restituo. Et cùm hæc dixisset, detractam capiti suo tiaram, ipse Artabani capiti manu sua imposuit. ibidem.

De Artaxerxe Longimano Persarum rege.

Artaxerxes Longimanus Persarum rex semel rem iustissimam & omnibus exemplo futuram peregit. Nam cùm Satibarses à cubiculo pergratus eius minister, rem ab eo enixè peteret, quam Artaxerxes iniustam esse prospiciebat, sciréque inde ad Satibarsen Daricorum triginta millium numos peruenturum, perferre totidem Quæstorem suum iussit, eáque Satibarsæ dono dedit, monens hac summa data, nihilo se pauperiorem fore: cæterum si quod Satibarses petebat egisset, minus se iustum habitum iri. & re & verbo verè regio reges principésque alios monens quãto pluris iustitiam, quàm amicos, aut thesauros facere debeãt ibidem.

De Antiocho Asiæ rege.

Antiochus tertius Asiæ rex omnibus regni sui vrbibus scripsit, si quid in literis quæ eius nomine scriberentur esset, quod legibus aduersum videretur, crederent ignaro se eiusmodi literas scriptas fuisse: &

propterea eis non parerent. Sanctissimum profecto verbum, & iusto regi maximè conueniens. ibidem.

De Pittaco Mitylenæo.

Pittacus Mitylenæus, cuius aut meritis tantùm ciues debuerunt, aut moribus crediderunt, vt suis suffragiis tyrannidem deferrent, tãdiu illud imperium sustinuit, quandiu bellum de Sygæo cum Athenienſibus geredum fuit. Postquam autẽ pax victoria parta est, cõtinuò reclamantibus Mitylenæis deposuit, ne dominus ciuiũ vltrà, quàm Reipubl. necessitas exegerat permaneret. Atque etiam cùm recuperati agri dimidia pars consensio omnium offerretur, auertit animum ab eo munere, deforme iudicans, virtutis gloriam magnitudine prædæ minuere. Max. lib. 6.

De Zeleuco Locrensi.

Nihil illis etiam iustitiæ exẽplis fortius. Zeleucus vrbe Locrensium à se saluberrimis atque vtilissimis legibus munita, cùm filius eius adulterij crimine damnatus, secundum ius ab ipso constitutum vtroque oculo carere deberet, ac tota ciuitas in honorem patris necessitatem pœnæ adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnauit: ad vltimum precibus populi euictus, suo prius, deinde filij oculo eruto, vsum vtrique videndi reliquit. Ita debitum supplicij modum legi reddidit: æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem & iustum legislatorẽ partitus. ibidem.

De Lacedæmoniorum magistratu.

Cùm Lacedæmonius quidam adolescens vili pretio fundum emisset, ad magistratum accersitus est, & multa affectus. optimè enim cùm omni ætati, tum adolescentiæ turpem auaritiam esse iudicauit Ælianus lib. 12.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Romano populo.

Seruauit Capitolium Marcus Manlius, sæpius in acie stetit, pro patria strenuè dimicauit, accepit aduersa vulnera, ciues seruauit, præmia tulit, & in toga multos alienò leuauit ære: est nihilo secius populi suffragiis damnatus, quia supra fortunam priuati ciuis aliquid optare crederetur. Adeò nullum ciuem ab initio ferre potuit Romanus populus, qui legibus, cùm esset opus, cogi nõ posset. Sabel. lib. 4.

De P. Cassio.

Sic P. Cassius, sic Spurius aliquanto antea in conspectu populi ambo interfecti sunt, quòd vterque ciuili multitudini ambitiosè, nec sine affectati regni suspicione gratificaretur. Tantus fuit tunc iustitiæ & æquitatis amor, quanta proprij commodi ratio. ibidem.

De Romano populo.

Proscriptus Atherius, à seruo suo accusatus est, qui triumuirali lege liberatus, fortunas etiam patroni eadem lege consequebatur. Seruus igitur cùm patroni liberos despectui haberet, & ipsi rei atrocitate, præsertim cùm adhuc tenella ætas esset, territi lachrymantes, silentésque, eum sequerẽtur, vel vti sæuam nimis illam rem omnis populus abominatus est, atque ea Triũuiris declarata voluit, vt ingratus seruus denuò apud Atherij filios in seruitutem rediret, eisque patris bona restituerentur. Bap. Fulg. lib. 6.

De Nerua Coceio Imperatore.

Nerua Coceius iustitiæ cultorem se ostendit statim vt Domitiano occiso ad imperij successionem vocatus fuit. nam seruos omnes, à quibus ipsorũ dominos accusatos inuenit, ceu ingratos perfidósque iussit occidi, vt exemplum omnibus illius ordinis constitueret, ne ingratè eos accusarent, quorum seruitutis iure acerrimi defensores esse debuerant. ibidem.

De Maximino Imperatore.

Eadem iustitia vsus est Maximinus, à quo Asdroeni rebellauerant, & Titum Imperatorem elegerant. Nam comiti eius Macedonio, qui Titum ipsum occidit, & in castra Maximino caput eius tulit, posteaquàm longa oratione gratias egit, quòd hostem Romani imperij occidisset, eum postea, quia socium suum proditione interemerat, securi percuti iussit. ibi.

De Aureliano Imperatore.

Aurelianus Imperator cùm in Asia Tianam vrbem obsideret, quia vi capere eam non poterat, Heracleonis Tianæ ciuis (qui in ea vrbe opibus plurimum poterat) opera in vrbem admissus, tulit vt à militibus Heracleon occideretur: quia eius qui patriam suam prodidisset, conspectum ferre non poterat: & ne auaritia id egisse putaretur, quia vir ditissimus Heracleon erat, eius fortunas omnes liberis incolumes seruauit. Cùm autem ad Manlium Chilonem scriberet, vt gesta res erat, à se proditores inquit diligi non posse, neque illis vnquam fidem seruaturum, qui patriæ non seruassent. ibid.

De Senatu.

Camillo Cõsule Phaliscos circumsedente, magister ludi plurimos & nobilissimos inde pueros velut ambulandi gratia eductos, in castra Romanorum perduxit, quibus interceptis nõ erat dubium quin Phalisci deposita belligerandi pertinacia traditurí se nostro Imperatori essent. ea re cognita, Senatus cẽsuit vt pueri vinctum magistrum virgis cædentes, in patriã remitterentur: qua iustitia animi eorum sunt capti, quorum mœnia expugnari non poterãt. nanque Phalisci beneficio magis quàm armis victi, portas Romanis aperuerunt. Maxi. lib. 5.

De eodem Senatu.

Eadem ciuitas aliquoties rebellando sempérque aduersis cõtusa prælijs, tandem se Q. Luctatio Cõsuli dedere coacta est, aduersus quam sæuire cupiens Pop. Rom. postquàm à Papyrio, cuius manu, iubente Consule, verba deditionis scripta erant, doctus est, Phaliscos nõ potestati, sed fidei se Romanorum cõmisisse, omnẽ iram placida mẽte deposuit, paritérque & viribus odij non sanè facilè vinci assuetis, & victoriæ obsequio, quæ promptissimè licentiã subministrat, ne iustitiæ suæ deesset obstitit. ibidem.

De eodem Senatu & Fabritio.

Timochares Ambraciensis Fabritio Consuli pollicitus est, se Pyrrhum veneno per filium suum, qui potionibus eius præerat, necaturum. Ea res cùm ad Senatum delata esset, missis legatis Pyrrhum monuit, vt aduersus huius generis insidias cautius se gereret, memor vrbem à filio Martis conditam, armis bella non venenis gerere debere: Timocharis autẽ nomẽ suppressit, vtroque modo æquitatem amplexus, qui nec hostem malo exemplo tollere, nec eum, qui bene mereri paratus fuerat, prodere voluit. ibidem.

De Iucio Crasso.

Lucius Crassus Cnei Carbonis nomen infecto animo vt pote inimicissimum detulerat: sed tamen scrinium eius à seruo allatum ad se, complura cõtinens, quibus facilè opprimi posset, vt erat signatum, cum seruo catenato ad eum remisit. Quo pacto igitur inter amicos viguisse tunc iustitiam credimus, cùm inter accusatores quoque & reos tantum virium obtinuisse videamus? ibidem.

De Collegio Tribunorum.

Cùm Tullus Hostilius Mancinus Ædilis Curulis Maniliam meretricem ad populum accussasset, quòd nocte prætereũti eius ædes saxum in ipsius caput demisisset, vulnúsque ad faciendã acceptæ iniuriæ fidem

ostendisset, Manilia autem Tribunos appellasset dicens, Mancinum post cœnæ tempus fortasse plus æquo potum ad ædes eius accessisse, vt ingrederetur: & quia non admittebatur, fores euertere molientem, saxis à foribus esse repulsum. Tribuni maiori iustitiæ, quàm dignitatis ac magistratus Mancini, aut etiam quàm Maniliæ turpis vitæ, habita ratione, iudicarunt ædilem iure ab eo loco depulsum fuisse, quem adire ipsi honestè non licebat. & propterea prohibuerunt Mancinum Maniliam ad populum in iudicium trahere. Bap. Campofulgosus lib. 6.

De Augusto.

Augustus iam rerũ potitus, cùm accepisset, à Cassio Seuero veneficij reum factum esse Nonium Asprenatẽ amicissimũ suũ, veritus si pro Nonio in iudicio cõparuisset, ne ipsius præsentia iustitiæ officeret: et si cõparere abstinuisset, ne præiudicium amico faceret, tanquã de eo malè sentiret: Senatũ consuluit quidnam sequi eum oporteret. multorum igitur suasu ad iudicium profectus est, vbi neque pro Asprenate, neque in Cassium aliquid loquutus, eam rationem tenuit, vt neque amicitiæ deesset, neque iustitiam violasse putaretur. Ita igitur exemplum reliquit summæ moderationis plenum, vt scilicet amicorũ quidem periculo subueniatur. sed ita tamen, ne aliorum iustitia opprimatur: etsi in alterutro peccandum sit, debere homines, præsertim qui publicam personam sustineant, amicitiæ iustitiam anteferre. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Ferdinando rège Aragonio.

INsigne inter iustitiæ egregia facinora illud fuit, quod Ferdinandus patrauit, qui postea per creationem ad Aragonium regnũ conscendit. Hunc Henricus frater Castulonẽsis rex tutorem filio puero reliquit. Is autem regnum tanta iustitia rexit, quod in magno Castulonensium conuentu actum est, vt ad ipsum Hispaniensis regni titulus deferretur: quem honorem cùm se accepturum ostendisset, omnésque in locum rei agendæ designatum conuenissent, ipse ingentem chlamydem regio more amictus, in qua nepotem puerum occultum tenebat, cùm omnium sententiam postulasset, quæ eiusmodi fuit vt ad ipsum Hispaniarum regnum deferretur, repentè nepotem paruum è chlamyde extulit: & cùm collo suo imposuisset, exclamauit. En Castulonenses regem vestrum: cui restituto postea regno, auctisque omnibus rebus, ostendit quàm in eum iustus fuisset. B. Campofulgosus lib. 6.

De Carolo comite Charolois Philippi Burgundiæ ducis filio.

Ioannes Dinus Ioannem Costanum Burgundionem accusauit, compellatum se ab eo dicens, vt accepta grandi pecunia, venenum perferret, quo Carolus Charolois comes de medio tolleretur: is Comes posteaquàm Costanum securi percussit, Dinum quoque ad se vocatum interrogauit, si Costanus pecuniam, quam promiserat præstitisset, eúmne accusaturus fuisset: cui Dinus ne mentiretur, fretus quoque indultum iri, palàm fassus est, non detecturum. quamobrem Comes iussum Dinum Christiano more sacerdoti crimina sua fateri, eadem hora ipsum quoque securi percussit. Iusta neque tarda mercede ei data duarum proditionum, quas & amico & domino suo simul patrarat. ibid.

DE INIVSTITIA, Græcorum exempla.

De Athenienſibus.

Vò magis gentes à vero aberrarunt, hoc plura in eorũ rebus est huiusmodi exempla reperire: & vt ab ea ciuitate ordiar, quæ omnium

sapientissima diu iudicata est, quid magis alienum à iustitia fieri potuit, quàm ciuem optimum totius ciuitatis suffragio vrbe eijcere? non imprudentes, aut quia patriæ ciuiúmue cuiquam obfuisset, sed quòd ferre non potuit ciuitas, vt ipsa testata est, vnius virtutes viri passim prædicari. Sabel. lib. 4.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Romano populo.

PRæstitit Romanus populus cæteris mortalibus non minus iustitia, quàm bellica virtute: & illius in publicis iudiciis sæpiùs seruata clarissima extant exempla. sed vt Ægyptus, quæ optima gignit medicamenta, eadem & venena deterrima: sic fœdissima extiterunt aliquando apud Romanos publica iudicia etsi rara, extiterunt tamen. quale illud, cùm Romanus populus Ardeatibus & Aricinis ambigui agri vtrorúmque factus iudex, deliri senis consilium sequutus, sibi agrum addixit, publicúmque iudicium in suum beneficium vertit. Sabel. lib. 4.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Herode.

INiustus Herodes Antipas vel potiùs impius, qui priuignæ gratificatus, Ioannem Zachariæ filium, quo post Christũ nemo fuit sanctior, interfecit. dignus qui cùm incesta coniuge extremo affectus sit supplicio, & per exquisitissimas vterq; pœnas discruciatus. ibid.

DE FORTITVDINE, Græcorum exempla.

De Tomyri illustri Scytharum regina.

Tomyris Scytharũ illustris Regina fuit, in quam Cyrus Scythici regni tractus cupidine, mouit exercitum, cuius aduẽtum cùm prænouisset Tomyris, etsi toti Asiæ & ferè orbi gestorum amplitudine formidabilis esset Cyrus: non tamen vt territa fœmina latebras petiit, quinimo congregatis copiis & belli dux facta, cùm posset nauali opere obsistere, eum cum omni exercitu Araxem transire passa est, & suos intrare fines: arbitrata sagax mulier longè melius expugnari posse Cyri rabiẽ intra suos terminos, quàm extrà: demum adulescentulo filio vnico tertia copiarum parte cõcessa, iussit vt Cyro obuiam pugnaturus procederet. Cyrus verò qualitate locorum & gentium moribus pensatis, sentiens venientem cum exercitu iuuenem, eum magis fraude quàm armis vincere statuit, castrisq; & vino (quod nondum nouerant Scythæ) epulisque relictis, & deliciis cæteris confertis, fugam finxit. quæ vacua omnia cùm intrasset iuuenis, quasi victor cibos & pocula incognita cùm aliis ingurgitare cœpit, quibus vino somnóque sepultus est: statim autem superueniens Cyrus, illum cum reliquis dedit in mortem. Nec his adhuc exterrita Tomyris, cum residuo copiarum locorum gnara, fugã simulauit: quam cum persequeretur Cyrus, eum inter steriles gelúque horridos montes deduxit, atque conclusit totúmque Cyri exercitum conuersa ferè deleuit. Nec ipse Cyrus euasit, quin cruenta morte viduæ satiaret iram. Tomyris autem efferato animo iussit inter cadauera Cyri corpus exquiri, cui cõperto auferri caput & in vtrẽ sanguine suorum plenum immitti mandauit: & quasi superbo regi dignum exhibuisset tumulum, dixit, Satiare sanguine quem sitisti. Guido Exẽplorum lib.

De Brasida.

Brasidas vir magnanimus eadem ipsa, quam è vulnere hastam eduxisset, hostem interemit. ibidem.

De Cinigero.

Cinigeri Athenienſis gloria magnis est scriptorum laudibus celebrata, qui Marathonia pugna cùm palantes Medos ad

naues compulisset, nauem hostibus onustam dextra manu tenuit, quà hostium ferro amputata, læua remorari conatus est. Cæterùm hanc quoque vis hostilis abscidit: tum ille ob duplicem cladem nihilo remissior factus, mordicùs nauem defixit, cædibúsque fatigatus, ambabus manibus amissis, ceu fera quædam rabida morsu & dentibus dimicauit, quando alia vi non potuit. Sabel. lib. 4.

De Aristomene Missenio

Fabulosum videri possit: cæterùm quia ab autoribus minimè obscuris est res memoriæ prodita, non indigna relatio est. Aristomenes Missenius trecẽtos vno prælio Lacedæmonios interfecisse memoratur, cùm totidem vinctos etiam iugulare magnum fuerit. sed Græcia tãtum sibi scribendi indulsit, vt nihil propemodum de fide cogitarit. ibid.

De Leonide.

Leonides desperatis aliquando rebus alacri animo suos ad id prælium, quo perituri erant, cohortatus est, inquiens, Prandete commilitones mei, tãquam apud inferos cœnaturi. mors erat denuntiata, Lacedæmonij perinde ac si victoria esset promissa, ductori intrepidè paruerunt. Max. lib. 1.

De Epaminonda.

Epaminondas maxima Thebarum felicitas, idémque Lacedæmonis prima clades, cùm vetustam eius vrbis gloriam inuictámque ad id tempus publicam virtutem apud Leuctram & Mantineam secundis prælijs contudisset, traiectus hasta sanguine & spiritu deficiens, illum recreare conantes interrogauit, primùm an clypeus suus saluus esset, deinde an fusi hostes penitùs forent: quæ postq̃ ex animi sententia comperit, Non finis, inquit, commilitones meæ vitæ, sed melius & altius initium aduenit. nũc enim vester Epaminõdas nascitur, quia sic moritur. Thebas ductu & auspiciis meis caput Græciæ factas video, & fortis & animosa Spartana ciuitas iacet, armis nostris abiecta, & amara dominatione Græcia liberata est: orbus quoque non tamen sine liberis morior: quoniam mirificas filias Leuctram & Mantineã relinquo. E corpore deinde suo hastã educi iussit, eóq; vulnere expirauit: dignus, quem nostra exempla referant. Maxi. lib. 3.

De vxore Asdrubalis.

Carthagine capta, vxor Asdrubalis exprobrata ei impietate, quòd à Scipione soli sibi impetrare vitam contentus fuisset, dextera læuáque tres communes filios mortem non recusantes, trahens, incendio se flagrantis patriæ iniecit. ibidem.

De duabus puellis Syracusanis.

Cùm pestifera seditione Syracusarũ tota regis Gelonis stirps, euidentissimis exhausta cladibus, ad vnicam filiã Harmoniã virginẽ esset redacta, & in eã certatim ab inimicis impetus fieret: nutrix eius æqualem illi puellam regio cultu ornatã hostilibus gladiis obiecit, quæ ne cùm ferro quidẽ trucidaretur, cuius esset conditionis, ederet: proclamauit admirata illius animũ Harmonia, & tantæ fidei superesse non sustinuit, reuocatósque interfectores, professa quænam esset, in cædem suã cõuertit. Ita alteri tectum mẽdacium, alteri veritas aperta finis vitæ fuit. ibid.

De Alexandro magno.

Alexander cùm milites in traijciendum amnem, quo ab vna parte vrbs cingebatur, segniores videret amnis altitudine territos, ipse scuto suo innixus, quod pectori subiecit, primus fluuium tranauit.

In India aliam quoque vrbem oppugnare adortus, primus scalis appositis in vrbis murum euasit, in quibus cùm effractis scalis cum duobus tantum remansisset comitibus, quanquam multis acceptis vulneribus, nunquam de hosti se dedendo verbum fecit: sed vt erat confossus, à muris saltu ad suos se recepit. B. Fulgosus. lib. 3.

Universidad de Sevilla Biblioteca

De Philopœmene Megalopolitano.

Cùm Philopœmenes Megalopolitanus in castris cum Antigono Macedonum rege esset, nimio pugnæ ardore non expectato signo, primus qui in hostes irrueret feriretque fuit. itaque dum prælium continuaret, vtránque coxam sagitta perfossus, cùm veluti vinctus (euelli enim sagitta non poterat) remaneret, altera coxarũ in partem contrariam extensa, sagittam in duas partes effregit, atque ita eam conuulsit. eo igitur vulnere nihil inualidior factus, redintegrata pugna, tantum animi, feruorisque suis iniecit, vt eo die Philopœmenis virtute Antigonus victor euaserit. ibidem.

De Eleazaro Iudæo.

Non minus animi Eleazarus Iudæus ostendit, qui cùm diu contra Romanos Hierosolymis arma tulisset, post captas Hierosolymas in arcem Messadæ cum noningentis viris se recepit, in ea obsessus à Sabino Flauio Romano præfecto, cùm iam euersi essent muri, paruáq; sui tuendi reliqua esset spes, non fuga sibi consulere, non pacem ab hoste, quod multi in eiusmodi statu fecere, petere tentauit: sed plena fortitudinis oratione confirmatis suorũ animis, eos demum in hanc sententiam traxit, vt sorte decem eligerent, à quibus omnes vnà cum liberis, & vxoribus occiderentur: itaque re peracta, illi ipsi decem succensa arce, ne quid prædæ ad hostẽ peueniret, integra ab incendio ea tãtum, quæ victui parata erãt. seruauere: vt intelligeretur veram virtutem & non famem eos in audax consilium perduxisse. post hæc autem ipsi quoq; decem ad id facinus relicti, mutuis se vulneribus trucidarunt, neque ex tanto numero vllus superfuit præter fœminam vnam, quæ audita illius deliberationis atrocitate, in subterraneos cuniculos cũ quinque pueris se recepit, dum res perageretur, latitans: à qua postea vt res gesta erat, intellectum fuit. ibidem.

De ado-

De Adolescente Lacedæmonio.

Adolescens Lacedæmonius cùm domino, cui seruebat, in cæteris diligentem promptámque nauasset operam, iussus matulam ferre, in eo vno seruili genere propter rei obscœnitatem amissæ libertatis renouata memoria, parêre recusauit, dominúmque indignatum aspiciens, erumpit in hæc verba, Disce alios emere: & ab altioribus ædium fenestris se præcipitauit. ibidem.

De Abisai Hebræo.

Quàm ingens etiã animi & corporis vis in Abisai Hebræo fuit? qui cùm iter faciens, leonis qui in fossam considerat, rugitum sentiret, solo fuste armatus in fossam intrepidus descẽdit, statimque (maioris audaciæ opus, quàm quod de Hercule perhibetur) leonem occidit. siquidem maius fuit Abisai in arcto aduersus valentem ferã fortè inuentam, feliciter rem gessisse, quàm Herculi spacioso in campo præparatam clauo vel vincere vel interimere. ibidem.

De Lysimacho Macedonum rege.

Lysimachus adhuc priuatus, ab Alexrandro magno in cõclaui vnà cùm leone feritatis immensæ inclusus, quanquàm sciret se morti expositum, minime animo concidit: cæterùm chlamyde in caput belluæ iecta, statimque gutture ea veste circumuoluto, feram tandiu tenuit, quòd eam oppressit. Quod factum quanquam à necessitate expressum videtur, magnæ tamen audaciæ, magnarúmque virium fuisse putatur. quam rem ne irremuneratam Alexander omitteret, Lysimachum vita donauit: effecitque vt in Macedonico regno succedere posset. ibidem.

De Socrate.

Socrates Delphico Oraculo mortalium sapientissimus iudicatus, semper eodem fuisse vultu traditur, neque hilarior visus die quo vxorem duxit,

aut turbatior extremo vitæ tẽpore, cũ venenum hausit. Hinc cuncta Græciæ ingenia humanæq; sapiẽtiæ flumina illa vberrima, quæ omnes terras inundarunt, fuitque tanta virtus nihilominus inuidiæ obnoxia. Damnatus publicè est, venenóque sublatus: cuius supplicij tanta sequuta est pœnitentia, vt accusatoribus ĩsigniter multatis, statua sit illi publicè decreta. adeò leuiter interdũ multitudo & amat & odit. Sab. lib. 1.

De Milone Crotoniate.

De Milone Crotoniate traditur, solitum eum frequentissimo Græciæ spectaculo ingentem taurum gestare humeris. idem (nisi forte alius fuit ab eo diuersus hoc nomine.) cum vestigio constitit, à nullo potuit submoueri, nec eius digitus corrigi, cùm pomum manu teneret. ibidem.

De Alexandro Macedone.

Quin illa potius fortitudo cẽsenda, quæ audendi fortia sit scientia quædam in quo genere laudis Alexander Philippi tã eminens fuit, vt nemo fortium Imperatorum aut Regum sit illum rerum gestarum gloria æmulatus: nullus tantum terrarum subegit armis aut tam numerosos profligauit exercitus: nihil ille bello tam arduum & difficile tentauit, quod non sit demum adeptus, & quod eius felicitati vel vigori potius, inuictóque animo iure imputes, nulli de tot gentibus tam celeris victoria contigit, tantum enim terrarum cepit, quantum obequitare potuit. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Sceua Centurione.

Sceua Centurio in Dyrrhachina munitione tuẽda Cæsarianorum fortissimus iudicatus est: enimuero oculo sagitta excusso, femore & humero trãsixis, scuto centum & viginti ictibus perforato, fortiter tamẽ portæ suo præsidio creditæ custodiam retinuit. idem lib. 4.

De Mutio Scæuola.

Mutius cui Scæuolæ à clade dextræ manus fuit postea cognomen, Porsenæ castra ingressus, regium Scribam pro Rege interfecit: captus, suique erroris admonitus, dextrã flãmis iniecit, vt ea parte qua erratũ erat, à seipso pœnam exigeret. Visum est id spectaculum cùm cæteris, tum ipsi Regi atrox, qui vnius Romani ciuis fiducia constantiáque commotus pacem reddidit vniuersæ ciuitati, vrbémque soluit obsidione. ibidem.

De Valerio Coclite.

Fuit Scæuolæ æqualis Valerius Cocles. Is eodem bello omnem Hetruscorum vim solus tandiu sustinuit, quoad pons, quo hostes erant in vrbem irrepturi, fuisset ab iis, qui in tutum refugerant, à tergo abruptus: tunc verò à suis exclusus, quamlibet hostium manum secum conserendam prouocans, vbi ab vniuersis impetum in se fieri vidit, in subiectum Tyberin desiliens, incolumis ad suos enatauit. ibidem.

De M. Seruilio.

De Marco Seruilio traditur, quòd vicies & ter amplius pugnauerit ex prouocatione, ac semper victor in castra sit reuersus, hostilibus spoliis onustus. ibid.

De Marco Sergio.

Magna in his hæc virtutis opera, sed fortunæ adhuc maiora in Marco Sergio fuerunt, cui nõ solum non fauit fortuna fortiter in acie stanti, sed vehemẽter fuit illi infesta. perdidit secundo stipendio dexteram manum: duobus deinde stipendiis ter & vicies est vulneratus, & ob eam rem neutra manu, neutro pede satis validus militauit: deinde nihilominus vno tantùm seruo vsus, bis à Pœnis captus, bis vinculorum profugus, sinistra duntaxat manu præliatus est: dexterã sibi fecit ferream, Cremonam obsidione exemit, Placẽtiam tutatus est, duodena hostium castra cepit

in Gallia, innumeras hauddubie coronas congesturus, si tanta indoles in meliora tempora incidisset, & non in ea quæ iniquissima fuerunt Romano populo. vicerunt alij, sed vicere homines: Sergius ipsam vicit fortunam. ibid.

De Cloelia Virgine.

Clœlia virgo inter cæteras virgines obses Porsenæ data, hosti nocturno tempore custodiam egressa, equum conscendit, celerique traiectu fluminis non solùm obsidione, sed etiam metu patriam soluit. Viris puella lumine virtutis præferēda. Max. lib. 3.

De Romano milite.

In Cannensi pugna cùm Romanus miles ad retinenda arma inutiles manus haberet, spoliare se conantis Numidæ ceruicem complexus, os naribus & auribus corrosis deforme reddidit, ingq; plenæ vltionis morsibus expirauit. ibid.

De Scipione.

Scipio infeliciter Cnei Pompeij defensis in Africæ partibus, classe Hispaniam petens, cùm animaduertisset nauem, qua vehebatur, ab hostibus captā, gladio præcordia sua trāsuerberauit, ac deinde prostratus in puppi, quærentibus Cæsarianis militibus, vbinam esset Imperator, respondit, Imperator bene se habet, tātúmque eloqui valuit, quātum ad testandam animi magnitudinem æternæ laudi satis erat. Max. lib. 3.

De Porcia Catonis filia & Bruti vxore.

Porcia, cū Bruti viri sui consiliū, quod de interficiendo Cæsare ceperat, ea nocte, quā diestes terrimi facti sequutus est, cognouisset: egresso cubiculum Bruto, cultellum tonsorium quasi unguium resecandorum causa, poposcit, eóque velut forte elapso se vulnerauit: clamore deinde ancillarum in cubiculum reuocatus Brutus, eam obiurgare cœpit, quòd tonsoris præripuisset officium: cui secretò Porcia. Nō est hoc (inquit) temerarium factum meum, sed in tali statu nostro amoris mei erga te certissimum indicium: experiri enim volui si tibi propositum ex sententia parum cessisset, quàm æquo animo me ferro essem interemptura. ibid.

De Diuo Iulio.

Diuus Iulius cùm innumerabili multitudine & feroci impetū Neruiorum inclinari aciē suam videret, timidius pugnāti militi scutum detraxit, eóque tectus acerrimè præliari cœpit, quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentémque belli fortunam diuino animi ardore restituit. Idem alio prælio legionis Marciæ Aquiliferum ineundæ fugæ gratia iam conuersum faucibus comprehensum in contrariam partem detraxit, dexterámque ad hostes tēdens: Quorsum (inquit) abis, illic sunt, cum quibus dimicamus: & manibus vnum militem. adhortatione verò tam acri omnium legionū trepidationē correxit vincique paratas vīcere docuit. ib.

De Manlio Capitolino.

Admirāda quoque Manlij Capitolini fortitudo fuit, qui nondum expleto decimoseptimo anno, spolia de hostibus retulit, primúsque inter Romanos corona murali donatus, ciuicas sex, & septem ac triginta militaria dona per virtutem assequutus, tres ac triginta cicatrices in aduerso corpore ostendebat, vulnerēque in humero & simul altero in coxa accepto, Publium Seruilium magistrū equitum in prælio iam ab hostibus circumuentū liberauit: insuper captū penè à Gallis Capitolium defendit. B. Fulg. lib. 3

De Lucio Sylla.

Lucius Sylla eū in Archodemo fusam aciem suā ab Archelao Mithridatis duce videret, ex equo cōfestim descendēs, signo accepto, in medios irrupit hostes, exclamans: Hic milites Romani, mori delibero: sed vos cū rogabimini vbi ducē vestrū amiseritis, memētote petētibus respōdere, In Archodemo. Hac

ipsius voce moti milites, ad ordines regressi, redintegrata pugna victores tam hostes in fugam verterunt. ibid.

De A. Iunio Valente.

Aulus Iunius Valens, qui sub Augusto Centurionis locũ tenuit, vtribus onustum plaustrum solus, dum deponeretur, onus sustinebat, currúmq; magna equorum vi tractum manibus in contrarium reuocabat. quæ fortitudinis exempla cum multis aliis monumento insculpta sunt. ibidem.

De Catonis filio.

Catonis filius in prælio fortiter & athleticè depugnans, gladium fortuitò amisit. Quãobrem generosus adolescens, valdè perturbatus, nequaquam viuẽdũ esse deinceps existimabat, si tali spolio potiretur hostis: quinetiam in bello qui vel arma perdebat, vel alienabat, capite puniebatur. Is igitur collecta iuuenum manu per medias cædes pérque medios hostes impetu viriliter facto, gladium tandem in maximo tum armorum, tum cadauerum aceruo reperit. Guido Exemplorum lib.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Petro Bar-iona.

Petrus Bar-iona non viribus corporis (quæ in homine exactæ ætatis esse non poterant) sed sui Regis potius fretus præsentia, in aduersam armatorum cohortem, quæ Seruatorem in Olineto circunsteterat, ferrũ stringere ausus est, eúmq; consauciauit, qui temerè in illũ manũ iniecerat: conatus vim arcere ab eo, in cuius potestate sunt non solùm res humanæ, sed vita et mors hominis. Aut igitur Bar-iona tum ardenter amauit (quod credere par est) aut quem tueri conatus est, parum respexit. Sabel. lib. 4.

De Rolando.

Libet recentiora quædam exempla consectari, facitque statim Rolãdi virtus, ne diu quæ-

ram. Hunc enim, quamuis de illo multa fortitudinis edita exempla referantur, quæ fabulis propiora videri possunt, non tamen id in dubium venit, omnibus sui temporis fortitudine præstitisse, Carolique, qui Magni cognomen tulit, felicitatem & gloriam huius potissimùm lacertis constitisse, qui demum in insidias cum fortissimo quoque suorum præcipitatus, circa Pyrenæum saltum post ingentis fortitudinis patrata facinora hostibus magno numero interfectis, ceciderit, ne nuntio quidem tantæ cladis relicto. Sabel. lib. 4.

De Principio & Tarunti-no fratribus.

Magna est fama atque aliquanto vetustior Principij & Taruntini fratrum, qui Gotthicis temporibus ex vrbe Roma ad pugnam egressi, aduersus Totilam inclinata & disiecta Vrbanorum acie, sua hostibus in cædem ruentibus corpora obiecere, ac tandiu pertinaci statu barbarum remorati sunt, quo- ad Principius in vestigio concidit: alter vbi suos in tuto esse videt, defunctus prælio multisque confossus vulneribus, ad Pincianam portam inter suorũ cõplexus & gratulationes expirauit. ibid.

De Andrea Lamponiano

Adijciatur his exemplum recenti memoria, sed animi magnitudine inter rara exponendum: Andreas Lamponianus vir nobili loco natus, sed nobilior adhuc factus facinore ad posteros memorãdo. Galeatium Mariam Mediolanensem ducem ætate & opibus florentem in Protomartyris æde Officiariorum & Satellitum multitudine septum, obuiam illi factus in suorum conspectu sæpiùs ferro repetitum necauit, priusquam à trepidantibus & auxilium ferentibus subueniri potuerit. Dignus qui inter Scæuolas reponeretur, si publicã nõ priuatã esset vltus iniuriã. ibi.

De Ioãna virgine Gallica

Regnante Carolo Sexto qui

insanus dicebatur, cùm Parisiorum vrbem magnámq; Galliæ partem Britanni possidere̅t, Ioanna Iacobo Arco patre orta inope pastore in Lothoringorum pago, qui Dampremum dicitur cum nondum quintumdecimũ annum superasset, propter admirandas visiones fatidica pubatur. At Carolo igitur Lothoringorum principe ad Robertũ Baudiricutũ Gallorum ducem, & ab ipso ad Septimum Carolum regem in Gallia designatũ missa fuit. Huic cùm largè victoriam polliceretur, non antè fides habita fuit, quàm experiendo in multis quæ prædicebat, verax inuẽta est: ita fidem adepta, delatam tandem Gallici exercitus summam atq; imperium suscepit. Armata igitur ingentiq; equo insidens cum voce gestúque à vero militari duce non abesset, ingenti animo Aurelianorũ vrbem arcta obsidione ab eis oppressam liberauit. Vbi pugnando vulnus in humero accepit: nec verò armorum fragor effusiúsque in prælio sanguis & sæua mortis genera, quibus cadere in prælio pugnantes intuebatur, virginis animum terruerant, sed ceu efferata anima & ducis & militis munia impleuit, vnde exercitu ad Trecas perducto, vrbem eam contra omnium opinionem adorta cepit, Carolúmq; septimum, qui designatus Rex erat, diademate, vt moris erat, Rhemis insigniri vt Regem iussit: Salutísque anno millesimo quadragentesimo vigesimonono cùm Parisiorũ vrbem oppugnaret, inter primos milites in muros ascendit, neque quanquam crure sagitta traiecto, ab incœpto destitit, tantúmque formidinis Britannorum animis iniecit, vt quemadmodum ante Galli Britannorum conspectum non sustinebant, ita postea Pullicelam Britanni ferre non potuerint. Baptista Fulgosus. lib. 3.

De Valasca virgine Bohema.

Valasca virgo Bohema, quam Libussa tertia Bohemorum dux fœmina virtute insignis aluit, tanto studio domine mores imitari studuit, vt ea defuncta, cuipiam amplius seruire dedignata, per multas Bohemas mulieres ad perdendos viros impulerit, arreptísque armis, vt imperium sibi eius gentis vendicaret, Primislaum Bohemorum ducem in Visegradi arce, quæ munitissima erat, obsedit. quã rem vt supra vires suas difficilem animaduertit, haud longè à loco munitissimo oppidum statim condidit, quod Dienizon nuncupauit: id verò illius gentis lingua virginem significat: non multò verò post prælio cum Bohemis commisso, vera virtute eos vicit, atque in fugam compulit, occisis manu sua in eo prælio septem viris: quæ cùm virtute inuicta putaretur, à Primislao prodita, vnà cum aliis quæ cum ipsa erant, fortiter pugnando, non ante libertatem, quàm vitam amisit. ibid.

De Ferdinando Gonsalo Castulonis comite.

Gonsalus Castulonis Comes cùm aduersus Celtiberos, quos Nauarrienses præsens ætas appellat, in prima acie pugnaret, & infesta hasta in sauciũ Nauarriensem Regem currens iniecisset ad terram, mortuũ prostrauit, vnóque ictu vniúsque morte bellum confecit. ibid.

De Teia Ostrogotthorũ Rege in Italia.

Quanta etiam laude digna fuit Teiæ Ostrogotthorum regis animi fortitudo ac virtus? nam cùm apud Nuceriam aduersus Narsetis copias pugnaret, perfosso sagittis clypeo, ita vt eo commodeuti amplius non posset, atque eo in pugna impediretur, non modo ob id locum in acie non deseruit, sed ne retro quidẽ aspexit, clara tantum voce ministrorum vnum iussit integrũ clypeum ad se deferri. itaque dum clypeum mutat, lethali vulnere accepto, in vestigio, vbi erat, immobilis manens, in hostem pectore, vt erat verso, mortuus corruit. ibid.

De Marulla Mitylenensi.

Bello Venetis à Mahometo

Turcarum rege moto, cùm classis ingens Mitylenas adorta esset, Coccinúmq; oppidum in ea oppugnare cœpisset, virgo Marulla nomine, virtutem supra omnem credulitatem præstitit: eruptione enim facta, cùm in Turcas oppidani acriter pugnarent, Marulla vt patrem inter pugnantes occubuisse conspexit, Coccinorúmq; aciem ad fugam spectare, non lachrymis, aut fœmineo vlulatu proprio dolori communíque saluti occurrit, sed veluti muliebri abiecto sexu, patrísque assumpta virtute, ante alios paterno clypeo gladióque armata, in primam aciem prodijt, vbi acriter pugnando, hostes iam oppidum irrupturos, sua virtute à muris repulit, cùm eã sequeretur Coccinus populus, quem subpuduit armis arreptis ea virginem efficere, quæ populus non auserat. ibid.

De Ioãne Zissa Bohemo.

Ioannes Zissa Bohemus post Vincislai domini sui mortem, cùm iam altero captus esset oculo, quem in prælio amiserat, Hussitanorum, qui tunc esse cœperant, ducem se præbuit, ædificatáque Tabro vrbe admodum munita, eorúmq; societate, quæ Taluritica nuncupatur, instituta, Bohemiæ maiorem partem imperata facere coëgit: dum autem Rabi castellũ oppugnaret, vulnus accepit, quo altero, qui supererat, oculo orbatus est: & quãquam prorsus amisso lumine, ita vt aliena manu cibum caperet, tamẽ exercitui præfuit, bisq; Imperatore Sigismundo, qui Bohemiæ regnum hæreditario iure repetebat, superato, eorum exercitum, qui cruce signati aduersus parum fideles arma ferebant, in fugam compulit: orta verò cum reliquis Bohemiæ proceribus Pragensíque populo discordia, ab aduersariis, qui numero plus poterant, pulsus fuit: atque alienorum oculorum vsu, propriáque industria adiutus, vbi se in eum locum, quem animo rebus gerendis designauerat, perductum intellexit, nactus rei benè gerendæ occasionem, hostes aggressus est, numero eorum cæso, Pragam vrbem obsedit, et quoad superstes vitæ fuit, Bohemiæ rerũ potitus est. ibidem.

DE TIMORE, ET IGNAVIA

Græcorum exempla.

De Autemone.

AVtemonis vera fama est, quem Heraclides ponticus celebrauit Anacreõtis Poëtæ testimonio: is tam timidus fuisse fertur, vt domi plurimùm vixerit, duobus seruis supra caput æreum scutum tenentibus, ne quid supernè caderet, in aperto lectica nõ nisi adoperta veheretur, qui mos Periphoreti cognomen illi dedit. Sabel. lib. 3.

De Asdrubale.

Asdrubal qui vltimus Carthaginensium dux fuit, Carthagine à Scipione capta, Æsculapij templũ cum vxore & liberis magna transfugarum manu occupauit, metu deinde subactus, solus ad hostes transfugit, vitæ cupidus: cuius turpe effugium vxor filiorum cæde vlta est. ibidem.

De Perse Macedoniæ Rege.

Nec Perses Macedoniæ Rex multò fortior in aduersis apparuit, qui regni opibus fractis, tã humiliter & abiectè prouolutus iacuit ad Æmilij pedes, qui eum vicerat, vt sublatum manibus Romanorum Imperator indignanti similis monuerit, ne clarissimam sibi victoriã turpi formidine inuideret. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Cneo Carbone.

CNeus Carbo Marianarũ partiũ dux haud ignobilis in Silicia captus, cũ ad supplicium traheretur, tempus petiit ad ventrem exonerãdum, moram supplicio quærens, ignarus scilicet non in morte esse

cruciatum, sed in via quà ducit ad mortem. Sabel. lib. 4.

De Vitellio Imperatore.

Potuit & Vitellius Imperator honestius cadere, si vitæ exiguum illud temporis spatium, quod latebræ turpiter impendit, perdere voluisset. enimuerò Flauianis palatium irrumpentibus, ex ianitoris cella, quò sese meticulosè illatebrarat, cũ multa ignominia extractus, sed maiore aliquantò odio ante Romanæ ciuitatis oculos est ad supplicium ductus: sed quantò pulchrius obuiam hostibus factus, mortem appetiuisset? ibidem.

De Heliogabalo.

De Heliogabalo minus mirũ debuit enim mors anteactæ vitæ respondere, qui tumultu militari exterritus, non solùm non obtulit sese irato militi, vt eum motum autoritate sedaret (quod sæpe Cæsar Dictator, & alij fecisse dicũtur) sed cùm matre fœtidam cloacam subijt, vbi multis vulneribus confossus turpem vitam turpissima morte finiuit. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Petro Apostolo.

ENimuerò quid sit magis à pietate alienũ, quàm Barionæ vitio vertere, quòd tam fortiter prima aut altera hora noctis pro suo stetisset Rege, mox captum ter ante gallicinii negarit, Iudæorum sæuitiem veritus? verùm non Barionã quem tam ardenter defenderat, negauit, sed Barionæ humanitas: corpus Iudæos timuit, amentia ex metu ter loquuta est, non mens quæ proposito auerti non potuit. Sabel. lib. 3.

De Alphonso Neapolitano Rege.

Alphonsus Aragonius in magno & opulento regno à patre hæres relictus sub Caroli octaui in Italiam descensum fortuna regni adhuc integra, nec acie victus, incolumi exercitu, ciuitatibus in fide permanentibus, priusquam Gallus suos fines transcendisset, dubium maiore timiditate, an desperatione, regnum reliquit: et qui nuper à tota Italia timebatur, repentè extitit omniũ timidissimus. ib.

DE PRVDENTIA, GRÆCORVM exempla.

De Amasi Ægyptiorum Rege.

QVis nõ Amasis miretur prudentiam? fuit is penèvltimus eorũ qui priscis tẽporibus Ægyptum tenuere. Is cùm omnia Polycrati Samiorũ regi prosperè fluerent, experiretúrque fortunam indulgentissimam per literas (vt fertur) remisit illi omne ius veteris amicitiæ, testatus videre se fortunam insidiari huic, cui tam indulgenter obsequeretur. Præuidit Rex prudentissimus Polycratis exitiũ: at illud quod suo regno imminebat, aut non videt, aut certè vitare non potuit. Sabel. lib. 3.

De Epimenide Cretensi.

Vidit Epimenides Cretensis Munychiam locum Athenis naturâ magis quàm opere munitum, multisque audientibus testatus est, ignorare Athenienses, quantas ille locus esset ciuibus clades allaturus: quod si liquidò sciri posset, dentibus fuisse locum demolituros, si manibus non liceret. Fuerítne diuinatio illa, an præsagium, non facilè dixerim: euentus (quod satis constat) prædicationi non defuit. ibid.

De Hannone Carthaginensi.

PRæuidit & Hannon Carthaginensis Senator nobilis Barchinæ factionis æmulus, secundi belli Punici euẽtum suæ ciuitati calamitosum: qui Magone Annibalis Pœnorum ducis fratre in Curia referente cæsa intra biennium ducenta millia hostium ab Annibale, quatuor Consulares exercitus deletos, magnam Italiæ partem à Romano po. ad Pœnos defecisse,

Universidad de Deusto Biblioteca

& vt maior fides iis quæ diceretur, accederet, cùm tres annulorũ modios in Curiæ vestibulo effudisset, interrogatus Hanno ab homine Barchinæ factionis, an belli quod in Italia gereret, pœniteret, percunctatus Magonem Hanno dicitur, ecquis ex vrbe Roma post tot clades acceptas ad Annibalẽ venisset pacẽ petiturus? an Romæ vlla mẽtio pacis facta diceretur? Cùm ille vtrumque negasset, Bellum inquit Hanno, tam integrũ et periculosum hodie, quàm à principio fuit, cũ Romanis habemus: variatum diu est circa Siciliã priore bello: verùm qualis fuerit exitus, nemo est vestrûm qui aut non viderit, aut fando audierit: et nunc maximè vereor. nam si (quod nolim) fortuna variare cœperit, frustra pacem imploremus, quam nobis vincentibus nemo detulit. ibidem.

De Semiramide.

Et ne non honor sit aliquis huic sexui, in parte operis ne pigeat muliebre exemplũ iis, quæ virorum sunt, sequenti relatione proferre. Semiramis, quæ à Nino Rege postea in matrimoniũ recepta est, priuata adhuc, habitúque ignobili ad Bactrianum bellum profecta, vt cum viro esset, vna omnium monstrauit Regi quomodo cum hostibus breui debellari posset: quo virtutis rudimento Reginæ nomẽ adepta, post viri interitum. nam & hæc quoque traditur, quia filio admodum adolescenti perquam similis esset statura: & oris liniamento: hunc virili habitu & effigie mentita, regnum à Nino relictum, non solùm tutata est, sed maiorem in modum auxit, lætéque propagauit. ibid.

De Epaminonda.

Epaminondas cùm lethale vulnus in Mantinea pugna accepisset, delatus à suis in castra, viuus adhuc Diaphantum ad se accersi iussit, vt ipsum ducẽ declararet: quem cùm occubuisse dicerent, rursus iussit Iolaidam vocari: quem cùm etiam mortuum esse intelligeret, suasit suis, vt pacem cum hostibus

inirent, eo quòd nullum amplius ducem Thebæ haberent. Ælianus lib. 2.

De Atheniensibus.

Athenienses non solùm idoneis ciuibus gerendam Rempub. militiámque administrandam commiserũt, sed sæpe etiã peregrinos ciuibus antetulerũt, eósque Republicæ gubernationi præficere non dubitarunt, quorum, virtutem iustitiámque experti essent. ibidem.

De Berenice Ptolemæi vxore.

Cùm Ptolemæus alea luderet, puer quidam astans condẽnatorum nomina ipsi recitabat, & crimina quibus conuicti erant referebat, vt ille de eorum damnatione absolutionéue decerneret: Berenice verò vxor eius, arrepto libello è pueri manibus, dixit, non obiter aduertendum animum esse, cùm de hominis salute agatur. His auditis delectatum Ptolemæum ferunt, neque postea vnquàm inter ludendum de capitalibus causis audiuisse. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Fabio Maximo.

Fabius ille Maximus, qui cunctando fregit Punicos in Italia successus, Varronis ferocia animaduersa, multùm diúque precatus dicitur Collegam eius Paulum Æmilium, ne temerè quidpiam fieri ab eo pateretur: præuidere se, nisi illius conatibus iretur obuiam, breui fore, vt aliquis in Italia locus supra Trebiam. & Trasimenum Romana insigniretur clade. Sabel. lib. 3.

De Scipione Nasica.

Agebatur Romæ occultè inter Patres de Carthagine funditus delẽda, exiitque ea consultatio in longam & difficilem disceptationẽ, Maiore Porcio Catone, cui antea Prisci fuit nomẽ, censente Carthaginem delendam, vt Roma incolumis esset, multique pedibus iere in eam sententiã: tum Scipio idẽtidem

testatus, viderent illi qui tam cupidè vellent Carthaginem excisam, ne populus Romanus æmulæ & inimicæ vrbis metu liberatus, in domesticam laberetur discordiam. quòd malum multò prius prospexit Nasica, ac prædicauit: sed fatali necessitati ire obuiam non potuit. ib.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Deipara Virgine.

Quid? Virginum decus illud supremũ Christi mater, qua nulla vnquã fuit in terris sanctior, an prudentiæ rudimentum dedit exiguum, cùm sui propositi sibi conscia, non prius cælesti nuntio assensa est, quàm edocta sit futurum, vt virginitate pareret inoffensa? Sabel. lib. 3.

De Lucia Virgine.

Viderunt & Syracusæ in Lucia præclarum virtutis huius exemplum: sensit hæc à pulchritudine oculorum suæ virginitati periculum intendi, qui præter cætera expeterentur ab insana Tyrãni libidine. Satius igitur rata parte corporis vna, etsi nobilissima, quàm anima, quæ multò sit nobilior, periclitari, hos sibi sponte auulsos deferendos dedit insano Regi, vt sciret nihil in se esse amplius, quo ab eo timenda esset iniuria. ibidem.

DE STVLTITIA GRÆCORVM exempla.

De Psyllis.

Vlla gẽs tam populariter desipuit vnquã, nec magis temere induit arma quàm Psylli, qui in Africa circa maiores Syrtes sedes habuerunt. hi qui Austrum vẽtum plus nimio haberent inuisum, vt sibi & suæ terræ noxium, sumptis armis hostiliter in eũ profecti sunt, ceu vnum aliquẽ hominem, & non rem incorporeã peterent: & illi tam stultè bellum ventorũ vni intulerunt magno humanæ mentis ludibrio, sed fortuna adhuc maiore victi sunt: turbatis enim Austrino flatu arenis, ad vnum omnes perierunt. Sabel. lib. 3.

De Athenienſibus.

Est et ipsa sibi exitialiter oblucinata Attica ciuitas à Pisistrato decepta. Diu continuit se ille domi, vt crederetur se ab inimicis iniuria affectus, quo astu tenuit, vt præsidio septus in publicum prodiret: sed dum priuatæ saluti studiosè cauet credula multitudo, publicæ oblita est: vsus cõcessis armis Pisistratus, non vt ciuis, sed hostis, non vt se tegeret, sed vt patriam affligeret: dubiũ maiorne fallẽdi artifex, an carnifex crudelior.

De eiſdem.

Aiebant se purgare ciuitatem iidem Athenienses, cùm ex illustribus viris vnum aliquem ostracismo ex vrbe eiiciebant: cæterum rogati ab Aristide, quo suo merito se tali afficerent ignominia, responsum Quia ferre non possumus te vbique bonum prædicari. Stultũ iudicium, sed iudicij defensio adhuc stultior: vbi enim virtutis laus grauus est, & molesta, virtus illic grata esse non potest. fuit illud non vitium eiicere, sed alere omni præmio laudis repudiato, quo in primis gaudet honestior vita. ibid.

De Corinthiis.

Corinthij nõ stulti solùm, sed demẽtes etiam habẽdi, nõ suã, qui nõ suã non Romani populi virtutem metientes, sed præsentem animi affectum, Romanorũ legatos stercoris iniectu pro concione violarunt. Peperit itaque iniuria illa Corinthiis excidiũ: iis verò, in quos immissa erat, laudis incrementum et imperij propagationem. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Claudio Principe.

Fuit Claudio principi velut ingenita stultitia, sed nihil vnquam stolidius fecit, nec totavita inconsideratius aliquid, quàm quòd Domitium Nero-

nem adoptauit, cùm Britannicam legitimo toro natum haberet, quem imperij hæredem potuit instituere: verùm pellectus osculis Aggripinæ coniugis, facem illam adoptione accendit, qua non solum propria ipsius domus, sed Roma & totius orbis conflagrauit. Sabel. lib. 4.

De Agrippina.

Imprudens is, cuius nunc mẽtio facta est: sed Agrippina, cuius illecebris captus, seipso dementior factus est, nihilo fuit Claudio prudentior, cui solicitè imperium filio astruenti, futurorum peritos siscitanti essetne filius Nero imperaturus, fore, responsum est, vt imperaret: sed ita vt matrem interficeret. Interficiat, inquit, modò imperet. Vox digna Neronis matre, digna Caligulæ sorore, quæ putarit imperanti omnia licere. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Herode.

Quid? Herodes Rex imprudénsne habendus, an stultus & demens potius & delirus, qui pro stolido eum à se demisit, cuius vita absolutissima fuit virtutis idea, ipséque æterni sit Patris sapientia dictus? Sed omnium temeritas, & stultitia mala, Regum verò pessima, vel quia impune peccent, vel quòd ad exemplum multò efficacior sit, quàm priuata. Sabel. lib. 4.

De Ricoclo Frisonũ duce.

Ad Christianam fidem Volfrani Senonensis Episcopi opera cõuersus Ricoclus Frisonum Dux, cùm iam alterum pedem in baptismatis fonte posuisset, priusquàm alterum poneret, ab Episcopo petiit, vbinam maiorem in paradiso an inferno, suorum esse numerum putaret? respondente autem Volfranio, quippe in inferno, quòd eorum nullus Christum redẽptorem agnouisset, pedem ex baptismate retraxit, dixitq; eò proficisci

velle, vbi sui essent, malléque eos, quòd plures essent, quàm pauciores sequi. Impia enim leuitate saluti damnationem antepositit. Baptista Fulgosus. libro. 9.

DE TEMPERANTIA, ET MODERatione, Græcorũ, exempla.

De Diogene Cynico.

Alexander cognomẽ Inuicti assequtus, continentiam Diogenis Cynici vincere non potuit: ad quem cùm in sole sedentem accessisset, hortaretúrque vt si qua sibi præstare vellet, indicaret: quemadmodum erat in crepidine collocatus sordidæ appellationis, sad robustæ vir præstantiæ: Mox, inquit, de cæteris: interim velim vt à sole mihi non obstes. quibus verbis illa nimirum inhæsit sentẽtia, Alexander gradu suo Diogenem diuitiis pellere tentat, celerius Darium armis. Max. lib. 4.

De Xenocrate.

Abstinentis senectæ Xenocratem fuisse accepimus, cuius opinionis, non parua fides erit narratio, quæ sequitur. In Peruigilio Phryne nobile Athenarum scortum iuxta eum vino grauem accubuit, pignore cùm quibusdã iuuenibus posito, an temperãtiam eius corrũpere posset, quã nec tactu nec sermone aspernatus, quoad voluerat in sinu suo moratam propositi irritam dimisit. Factum sapientia imbuti animi abstinens. Sed meretriculæ quoque dictum perquàm facetum: deridẽtibus enim se adolescentibus, quia tam formosa támque elegans poti senis animum illecebris pellicere non potuisset, pactúmque victoriæ pretium flagitãtibus, de homine se cum iis, non de statua pignus posuisse, respondit. Potestne Xenocratis continentia à quoquam magis verè magisque propriè demonstrari, quàm ab ipsa meretricula expressa est? Phryne pulchritudine sua

nulla ex parte constãtissimam eius continentiam labefecit.ib.

De Eodem.

Quid rex Alexander? an diuitiis eum quatere potuit? ab illo quoque statuam equidem æque frustra tentatam putes. Legatos ad eum cum aliquot talentis miserat, quos in Academiam perductos, solito sibi, id est modico, apparatu & admodum paruulis copiis excepit: postero die interrogantibus cuinam adnumerari pecuniã vellet, Quid? vos (inquit) hesterna cœna non intellixistis, ea me non indigere? Ita Rex Philosophi amicitiam emere voluit, Philosophus Regi suam vendere non voluit.ibidem.

De Philopœmene Megalopolitano.

Quantam æstimare debemus Philopœmenis Megalopolitani continentiam fuisse? cùm cupiẽtibus Lacedæmoniis aliquo magno munere pro acceptis beneficiis ei gratiam referre, oratores qui ad eum cum centum viginti talentis missi erant, perspecta eius vitæ abstinentia, nuuquàm de danda ei hac pecunia hiscere ausi sunt. Cæterum data Timoleonti (vtpotè qui ei familiaris erat) huiusmodi cura, ne ipse quidem prima aut secunda vice verbum ei facere ausus est: sed tandem tectis verbis cùm Lacedæmoniorũ animum ostendisset, turbatus est grauiter Philopœmenes. Lacedæmonémque profectus, in senatu Lacedæmonios grauiter increpuit, quòd amicum, quem sine vlla impensa habebant, coëmere pecunia tentarent his, quæ ei iusserant offerri: non minore molestia se affectum ostendens, quàm plerique soleant si eis nihil tribuatur. Bapt. Campofulgosus. lib. 4.

De Epaminonda Thebano.

Epaminondæ fama virtutéque motus Artaxerxes Persarum Rex, cùm sibi eum facere amicum cuperet, hoc munus cũ pecunia simul Diomedonti dedit: qui de hac re Epaminondã compellare non ausus, quinque talenta iuueni cuidam Epaminõdæ familiari, vt ipse cum eo hoc munere fungeretur, dedit. Epaminondas autem vix auditis primis illius iuuenis verbis, Diomedontem vocari iussit, dixitque secum pecunia opus non esse: quoniam si de bona re apud Thebanos eius opera desideraretur, semper eã sine præmio facturus esset. Quòd si mala foret, totius orbis aurum, vt ab ipso obtineretur, non effecturum. Quare vehementer territus Diomedontes ab Epaminonda, petiit ab eo vt cum præsidio mitteretur, cui Epaminondas libenter assensus est, ne si fortè pecunia erepta foret, suspicionẽ à se acceptæ relinqueret: Thebanum quoque iuuenem, cui quinque talenta Diomedonti dederat, accepta restituere iussit.ibidem.

De Hieronis Syracusani coniuge.

Qua debemus credere continentia fuisse Hieronis Syracusani coniugem? cùm querẽti viro, quòd fœtere ei animam nunquàm dixisset, & idcirco ab aliis non sine dedecore de eo monitus esset: respondit, arbitratã se aliis viris idem odoris esse.ibidem.

De Alexandro Magno.

Alexander cùm Darium Persarum Regem prælio victũ persequeretur, grauiter siti vexatus, incidit in quosdã è suis iumenta aquis onusta agentes: è quibus vnus sitienti in galea aquam cùm porrexisset, Alexander priusquam gustaret, petiit quonam eam ferrent: & respondente eo, ad filios se ferre, qui etiam si morerentur, diu superuiuente Alexandro, copia liberorum ei defutura nõ esset, Alexander cùm iam manu teneret galeam vt biberet, dixit nolle se bibendo, aliorum augere sitim, atque aquam illi, à quo acceperat restituit. Expertus sitim solis ardore atque animi corporisque labore partam, facilè huius abstinentiæ magnitu

dinem intelliget.ibidem.

De Tamburlano Tartarorum, qui Scythę dicti sunt, ac Persarum Rege.

Insigne abstinentiæ exemplũ Persarum, & penè totius Oriẽtis Rex Tamburlanus ostendit. Nam quodam tempore cùm iter per Syriam faceret, obtulit se ei arator, qui tunc in ingens vas aureæ monetæ, arando impegerat. Cùm autem omnes qui cum Rege erant, Regis aurum illud esse dicerent (quoniam inuenti qui occultantur thesauri, fisci putantur) iussit Rex agricolam ad se monetam deferre, qui iam omni spe retinendi inuenti auri deciderat, inspecta moneta, Rex ab astantibus petiit, putarentne patris sui imaginem esse, quam pecunia impressam habebat: cui cùm respondissent, Romanorum principum effigiem esse, Rex dixit, Si ergo hæc pecunia maiorum meorum non fuit, aratori eam relinquamus, ad quem Deus eam detulit. Abstinentia profectò singularis, & quæ in permultis principum nostrorum optanda sit. Neque enim contenti sunt inuentos sibi rapere thesauros, verùm quotidie illa quoque rapiunt, quæ priuatorum multo labore ac sanguine parta, ad coniuges liberósque eorum alendos necessaria sunt. ibidem.

De Socrate.

Socrates neque risit in tota vita, nec fleuit, quin vno semper eodémque vultu vsus est. Mirum videri possit, quòd eximiam illam animi temperiem neque nuptialis lætitia variare potuit, neque tristitia illius diei quo venenum hausit, vsque adeo natura illa omni perturbatione caruit: quòd eo sit maiore admiratione dignum, quò insolentior fuit illi coniux, filiique stolidiores, quàm cæteris. Sabel. libro 4.

De Agesilao Lacedæmonio.

Potest Agesilaus Lacedæmonius censeri in hoc genere laudis, cui nisi multum temperantiæ superfuisset, nunquam in perpetuo illo felicitatis cursu (nemo enim Græcorum sæpius vicit hostem) adeptus esset, vt ab omnibus plurimum diligeretur, est enim inuidia felicitatis comes: sed vnius hominis tẽperãtia in lætis rebus nullũ locum reliquit inuidiæ. ibid.

De Alexandro Magno.

Nunquam in conuiuio Clytus periisset, si Macedo tam vini temperans fuisset, quàm veneris: quippe qui cùm Darij hostis coniugem omnium fœminarum quæ ætate illa fuerunt, pulcherrimam, filiásque virgines cũ castris cepisset, tam sanctè eas vidit, ac penes se habuit, quàm sorores ac filias, ac postremò victoriam adeptus, filiarũ vnam matrimonio sibi iunxit, non libidinem (vt credere est) sed officium sequutus. ibid.

De eodem Alexandro.

Sunt eiusdem exempla clementiæ & moderationis non pauca, atque complura fortasse, quàm cæterorum quò pluris vicit gentes, quàm quisquam alius: sed cùm multa & magna sint, illud (vt mea fert opinio) præcipua est memoria dignum quòd Porũ Regem ingenti prælio victum, & in potestatem suam redactum, non tantũ regnare permisit, sed restitutum maiore etiam amplioréque regno donauit. ibid.

De Apollonio Tyaneo.

Apollonius Tyaneus apud Philostratum, docet se semper aquam bibisse neglecto vino, refértque potores aquæ somnum leuem capere, neque vertigines vllas pati, quibus afficiuntur vinolenti: anima præterea (sicuti dicebat) à vino pura, facilius conspicit per somnia vaticinationem, quamobrem satis conuenietер dixit Sidonius Apollinaris scribens de Apollonio Tyaneo, Lege virum à diuitibus ambitu, nec diuitias ambientem, scientiæ cupidum, pecuniæ continentem, inter epulas abstemium & sobrium. Guido Exemplorum lib.

De Lysandro.

Lysandro Sparciatæ in Ioniâ proficiscenti hospites inter cætera dona bouem & placentam miserunt: qui placentam conteplatus, rogabat, quidnam illud cupediarũ esset. cui cũ is qui attulerat, respondisset ex melle caseóque esse confectã: Sed hoc, inquit Lysander, iis date, qui nouerunt. non enim hic est liberi aut ingenui hominis cibus: bouẽ verò patrio ritu mactandum apparandúmque curauit, quem cum voluptate comedit. Ælianus.

ROMANORVM. EXEMPLA.

De Cn. Martio.

CN. Martius patriæ gentis adolescens, Anci regis clara progenies, cui Corioli Volscorum oppidum captũ, cognomen adiecit, cùm editis conspicuæ fortitudinis operibus, à Post humio Cominio Cons. accurata oratione apud milites laudatus, omnibus donis militaribus, & agri centum iugeribus, & decem captiuorũ electione, & totidem ornatis equis, centenario boum grege, argẽtóque quãtum sustinere valuisset, donaretur: nihil ex his præter vnius captiui salutẽ hospitis, equúmque quo in acie vteretur, accipere voluit. Qua tam circunspecta animi moderatione, nescias vtrum maiore cum laude præmia meruerit, an reiecerit. Max lib. 4.

De M. Curio.

Marcus autem Curius exactissima norma Romanæ frugalitatis, idémque fortitudinis perspectissimũ specimen, Samnitum legatis agresti se in scãno assidentem foco, ac ligneo Catino cœnantem (quales epulas, apparatus indicio est) spectandum præbuit: ille enim Sãnitum diuitias cõtempsit. Samnites eius paupertatem mirati sunt. Nam cùm ad eum magnũ auri pondus publicè missum attulissent, benignis verbis inuitatus, vt eo vti vellet, vultum risu soluit, protinúsque, Superuacuæ (inquit) ne dicam ineptæ legationis ministri, narrate Sãnitibus M. Curium malle locupletibus imperare, quàm ipsum fieri locupletem. atque istud vt pretiosum, ita malo hominum excogitatum munus refertote, & memẽtote me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse.

Idem cum Italia Pyrrhum regem exegisset, nihil omnino ex præda regia, qua exercitum vrbémque ditauerat, attigit: decretis etiam à Senatu septenis iugeribus agri populo, sibi autem quinquaginta, popularis assignationis modum non excessit: parum idoneum Reipublicæ ciuem existimans, qui eo, quod reliquis tribueretur, contentus non esset. ibid.

De Fabricio Lucino.

Idem sensit Fabritius Lucinus honoribus & autoritate omni ciue temporibus suis maior, censu par vnicuique pauperrimo, qui à Samnitibus, quos vniuersos in clientelam habebat, decẽ æris, & quinque pondo argenti, totidémque seruos sibi missos in Samnium remisit. Continentiæ suæ beneficio sine pecunia prædiues, sine vsu familiæ abũdè comitatus, quia locupletem illum faciebat non multa possidere, sed modica desiderare. ergo domus eius quẽadmodum ære & argento & mancipiis Samnitum vacua, ita gloria eis his cõtemptis parta referta fuit. ibid.

De Q. Tuberone Catelio.

Curij & Fabritij Q. Tuberonem cognomine Cateliũ discipulum fuisse meritò quis existimauerit, cui Consulatum gerenti cùm Ætolorum gens omnis vsus vasa argentea magno pondere, & exquisita arte fabricata, per legatos misisset, qui superiori tempore gratulãdi causa ad eum profecti retulerant: fictilia se in eius mensa vasa vidisse, monitos ne continẽtiæ quasi paupertati succurrendum putarent, cum suis sarcinis abire iussit. Quàm bene Ætolicis domestica prætulerat, si frugalitatis eius exem-

plum posterior ætas sequi voluisset? Nunc quò ventum est? à seruis vix impetrari potest, ne eam supellectilem fastidiant, qua vti Consul non erubuit. ibidem.

De P. Aemilio.

At Perse Rege deuicto, Paulus cùm Macedonicis opibus veterem, atque hæreditariam vrbis nostræ paupertatẽ eousque satiasset, vt illo tempore primũ Pop. Roman. tributi præstandi onere se liberaret, penates suos nulla ex parte locupletiores fecit: præclarè secum actum existimans, quòd ex illa victoria alij pecuniam, ipse gloriam occupasset. ibid.

De Q. Fabio Gurgite, C. Numerio, Fabio Pictore, & Q. Vgolino.

Atque huic animi eius iudicio. Q. Fabius Gurges, C. Numerius, Fabius Pictor, Q. Vgolinus se subscripserunt, qui Legati ad Ptolemæum regem missi, munera quæ ab eo priuatim acceperant, in ærariũ quidem prius, quàm ad Senatum legationem referrent, detulerunt: scilicet de publico ministerio nihil cuiquam præter laudem bene administrati officij accedere debere iudicantes. Iam illud humanitatis Senatus & attẽtæ maiorum disciplinæ indicium est: data enim sunt Legatis, quæ in ærarium reposuerat, non solùm patrum Conscriptorum decreto, sed etiam populi permissu, eáque Legatis Quæstores prõptè vnicuique distribuerunt. ita in iisdem Ptolemæi liberalitas, Legatorũ abstinentia, Senatus ac populi æquitas, debitã probabilis facti partionem obtinuit. ibid.

De Calphurnio Pisone.

Fabiorum & Vgolini continentiæ Calphurnium Pisonem in cõsimili genere laudis æmulum fuisse res ipsa documento est. Consul graui fugitiuorum bello à se liberata Sicilia, eos, quorum præcipua opera vsus fuerat, imperatorio more donis prosequebatur: inter quos filiũ suum aliquot locis præliatum fortissimè titulo trium librarũ aureæ coronæ decorauit, præfatus non oportere à magistratu è publica pecunia erogari quod in ipsius domũ rediturum esset, tantúmque ponderis de testamento adolescenti legaturũ promisit, vt honorem publicè à duce, pretium priuatim à patre acciperet. ibid.

De Catone Superiore.

Age si quis hoc seculo vir illustris pellibus hœdinis prostragulis vtatur, tribúsque seruis comitatus Hispaniam regat, & quingentorum assium sumptu trãsmarinam Prouinciam petat, eodem cibo eodémque vino, quo nautæ, vti contentus sit, nónne mirabilis existimetur? Atqui ista patientissimé Superior Cato tolerauit: quia illum grata frugalitatis consuetudo in hoc genere vitæ cum summa dulcedine continebat. ibid.

De Catone Posteriore.

Multum à prisca continentia spatio annorum Posterior Cato discedit, vt pote in ciuitate iam diuite & lautitia gaudẽte natus: is tamen cùm bellis ciuilibus interesset, filium secum trahens, duodecim seruos habuit numero plures, quàm Superior, temporũ diuersis moribus pauciores. Exultat animus, maximorum virorum memoriã percurrens. ibidem.

De Scipione Aemiliano.

Scipio Æmilianus post duos inclytos Consulatus, totidémque suæ præcipuæ gloriæ triũphos, septem seruis sequẽtibus officio legationis functus est: & puto Carthaginis ac Numantiæ spoliis comparare plures potuerat, nisi operum suorum ad se laudem, manubias ad patriam redundare maluisset. Itaque cũ per socios & exteras gẽtes iter faceret, nõ mancipia eius, sed victoriæ numerabantur: nec quãtum auri & argenti, sed quãtum amplitudinis pondus secũ ferret, æstimabatur. Continentia verò etiã vniuersis plebis animis sæpenumero cognita est: sed abũdè erit ex his duo exẽpla

longè inter se distantium oculorum retulisse. ibid.

De plebe Romana, C. Mario & L. Cinna.

In illa procella, quam C. Marius & L. Cinna Reipub. inflixerãt, abstinẽtia populi Romani mirifica cõspecta est. Nã cùm à se proscriptorum penates vulgi manibus diripiendos abiecissent, inueniri potuit nemo, qui ciuili luctu prædam peteret. Vnus enim quisque se ab his perinde ac sacris ædibus abstinuit. Quæ quidem tam mi sericors continentia plebis tacitum crudelium victorum conuitium fuit. ibid.

De Iuliano Imperatore.

Continentissimus quoque Iulianus Imperator fuit, qui mortua coniuge Helena, quanquam iuuenis admodum, multos annos in cælibatu sine vllo Veneris commercio egisse creditur, captáque in Perside vrbe Maio Zanalcha, in qua formosæ permultæ mulieres erant, non modò nulla abusus est, verùm vt continentior esset, ipsarum quoque conspectum deuitauit. B. Fulg. lib. 4.

De Catone Iuniore.

Cato Iunior cùm per Lybiæ feruidas arenas iter faceret, & propter solis ardorem, laborémque totus exercitus siti grauiter laboraret, porrecta ei galea aquæ plena à milite, quam solam vix inuenerat, vt tolerantiam suam ostenderet, neque sitientibus aliis, solus sitim expleret, in exercitus conspectu aquam à galea in terram effudit: vt qui potu ora militum explere non poterat, oculis atque exemplo suo expleret: idque assequutus est, vt aqua quæ hausta vix vnius (idque fortasse ægrè) sitim sedasset, ea sparsa sitim faciliùs omnes perferrent. ibid.

De Romulo.

Pauci hauddubiè sunt reperti, quibus in vniuersum laus hæc contigerit: alij alia parte vitæ magnum ex hac virtute nomen reportarunt. etenim quis non temperãtem Romulum iudicet, qui sciat octingentis & amplius Sabinis raptis, vna cõtentum fuisse Hersilia, atque ea iam adulta, & quæ alterius (vt creditur) fuerit vxor? aut quis non vini parcissimum, qui in conuiuio quodam vrbanè increpitus, quòd parciùs potaret: Ego, inquit, quantum volui bibi, non quantum potui? Sabel. lib. 4.

De Africano Maiore.

Magnum & Scipionis exemplum in hac parte, qui Maior est Africanus dictus, Carthagine in Hispania ex hoste capta, virginem ex captiuis vnam eleganti forma ad se perductam, vbi quæ esset, audiuit, & cui viro desponsata (erat is Celtiberorum longè princeps, cæterùm Romani nominis hostis) puellam seruari iussit, ac sanctè custodiri, restituitq; eam cum auro, quod pro ea dabatur, adolescenti sub fide Carthaginem accersito. Conciliauit exemplum illud temperantiæ munificentiæq; non vulgaris, non vnius viri solùm, qui beneficium acceperat, sed magnæ etiã Hispaniæ partis studium & fauorem, vt tam amica iam indè fuerit Romano populo, quàm anteà fuerat inimica. ibid.

De Cæsare dictatore.

C. Cæsar dictator in suis ad amicos Epistolis testatus est, ex vili victoria nullum fructum percepisse, quàm quòd à se quamplurimi seruati essent: quos quia hostes fuissent, & bello victi, iure perdere potuisset. Sabel. lib. 6.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Tatheo Christi Discipulo.

FVit Christi discipulus Tatheus, atque in eo verè discipulus, qui ad Abagarum missus, Edessenorum Toparchã traxit sua prædicatione, & principem ipsum gentis, & multos cum eo ad veræ pietatis cultum. Obtulit itaq; illi abeũti Abagarus centum auri pon-

dius viatici nomine: repudiauit id totum Tatheus, adiecitq; non videre se, quomodo qui vltrò sua relinquunt, accipere possint aut debeant aliena. Sal. lib. 4.

De Gregorio Romano Pontifice.

Ad hoc quoq; dogma pertinet illud Gregorij Romani pontificis temperamentum, qui in pontificia dignitate sublimiq; humanæ pietatis arce constitutus, ita fastigium illud honoris abiectione miscuit, vt seruorum Dei se seruum dixerit, appellationem non modò non inuidiosam, sed etiam grato duarum diuersarum rerum temperamento vehementer popularem. ibidem.

De Alarico Rege.

Alaricus Gotthorum Rex (est enim hic Christiani nominis censendus, etsi Arrianus) Roma capta, & hostiliter direpta, in eo temperauit, quòd edictum proposuit, vt capitale esset, si quis Apostolorum principum templa, aut quæ in his essent, violaret: & vt in vniuersum à cæde abstineretur, est militibus edictum. Sabel. lib. 6.

De Totila Gotthorũ rege

Totila eiusdem Rex gentis Cumis & cæteris Cãpaniæ vrbibus captis, cùm ingẽtẽ Romanarũ mulierũ numerũ in illis intercepisset, quas Romani ciues ob nouos belli terrores vrbi imminentes, procul domo ablegarant, vt earum pudicitia in omnem belli euentum tuta esset, erátque in his omnis Romana nobilitas, captiuas honestè & sanctè Barbarus penes se habuit, honestóque comitatu ad suos Romã sine pretio misit. ibi.

De quodam iuuene Ægyptio.

Iuuenis quidam Ægyptius, quem Hieronymus fidelis testis imperante Valeriano, quia Christianus erat, captum scripsit: & cùm Valerianus faciliùs rebus Veneris ab ætatis incentiua, quàm aliis tormentis à catholica fide se abducturum confideret (cæterùm omnis Venus Christiano homini extra matrimoniũ interdicta est) in amœnissimis hortis nudum in lecto floribus, atque omni odoramentorum genere instructo molliter deligasset, lateri eius formosam mulierem, ipsam quoque nudam, addidit: quæ frequenti amplexu cùm iuuenẽ foueret, suauia quoq; ad corrũpendum iuuenis animum immodestissimè impingeret, haud longè aberat adolescens, quin in Venerem ipsius solueretur corpus carne (quanquam constanter præstaret animus) Veneris tam acres stimulos vix iam ferente. Itaque iuuenis cùm id agnosceret, neque aliud superesset remedium admirationis plenũ laudéque super omnia quæ vlli vnquam egerint, philosophi, digniorem, vt Veneris ardorem compesceret, viam iniuit: dentibus enim linguam abscidit, eiúsque rei dolore affectum totum corpus libidinem, qua iam mouebatur, extinxit, maioribúsque viribus huic animi morbo, quàm Xenocrates philosophus & ebrius & senex restitit. Nam propter vinum seniúmque factus, somni, quàm Veneris auidior, tutò cum Phryne meretrice Athenienſi, salua pudicitia cubare potuit. B. Fulg. lib. 4.

De Alphonso secũdo Legionis Hispaniæ rege, qui Castus cognominatus est.

Alphonsus Legionensis Rex nõ solùm omni alia Venere abstinuit, verùmetiam cum vxore castitatem seruauit. ibid.

De Luchino Viualdo Genuensi.

Luchinus Viualdus Genuensis iuuenis magnis opibus affluens, cùm Genuensem fœminam matrimonio locatam deperiret, & ipsa amori assentiri recusasset, non desinebat tamen in amore persistere: atque cùm casus tulisset, vt propter bella, quibus tunc mare infestum erat, in Sardinia huius mulieris vir caperetur, ipsáque ob eam rem in egestatem coniecta, non habebat vndè sibi filiúsque alimenta præberet, vltima neces-

ſitate premente, cùm amoris Luchini ei in mentem veniſſet, miſit, qui eum ad colloquium inuitarent, profectiſque ad eam Luchinus, cùm veniſſe tempus arbitraretur, vt amata potiri poſſet, mulier pedibus eius prouoluta, manantibus lachrymis dixit, mentem quidem ſibi ſemper fuiſſe, vt inuiolatam coniugi fidem ſeruaret: ſed extrema inopia preſſam victámque paruulorum pietate liberorũ, quos fame iam confectos videbat, cogi ſe vt ſuam filiorúmque vitam eius miſericordiæ commendaret. Quibus verbis Luchinus amore in pietatem virtutémq; conuerſo, ne manu quidem mulierem contigit, ſed ſtatim domum reuerſus, omnia vxori cõmunicauit, atque per eam, ne mulieris fama macularetur, pecuniam & cætera ad victum neceſſaria miſit, neque vltra ei in mentem venit, vt eam aliter quàm ſororem diligeret. ibid.

De Sordello Vicecomite Mantuano Goiti accola.

Haud diſſimilis Sordelli Mãtuani inſignis equitis continentia fuit erga Beatricem Ecelini Romanenſis ſororem, qui tyrannus latè rerum in Tarusina Marchia potiebatur. Nam ab ea nec precibus, nec lachrymis, neque forma, aut amore, quo illa furebat, vinci ſe tulit: quin in ſecretum quoque locum inuitatus cùm à muliere precibus minæ adderentur, omnia ſpreuit, ne erga eius fratres à quibus amanter Veronæ exceptus erat, ingratus videretur. Tunc quoque cùm illa à fratribus profuga in virili veſte Mantuam eum proſequuta eſt, non antè, quod ab ea optabatur effecit, quam Ecelinus frater, vt ipſa ei nuberet, contentus fuerit, cùm illius flammis ac dignitati formæ ſemper honeſtatem opponeret. Plus veræ laudis ex hoc occulto periculoſóque prælio, quàm tribus & viginti perduellionibus aſſequutus, ex quibus variis in locis victoriam reportarat. ibid.

De Ildegunda virgine Germanica, & aliis.

Ildegunda virgo Germanica Naſſiæ orta, quod oppidũ haud longè à Colonia vrbe in Rheni ripa poſitum eſt, multis agitata caſibus, poſt permulta, quę non ſine ingenti admiratione ei acciderãt, anno ſalutis cẽteſimo octuageſimóque octauo ſupra mille, in puerili habitu monaſticam diſciplinã ſubijt in abbatia, quæ prope Vuormatiam vrbem Schuua Benheim dicitur, in ea diu incognita vixit, cùm Ioſephi nomine appellaretur, inter viros ſingulari continentia ac ſanctitate ſemper verſata vſque ad eam diem, qua deceſſit, ne tunc quidem mulier eſſe cognita fuiſſet, niſi dum lauaretur detecto corpore, ſexus patuiſſet.

Hòc quoque Euphroſina Alexandrina puella Smaragdi nomine, ſexum mentita: item Marina ſub Marini appellatione in Monachorum conuentu egiſſe, à ſacris ſcriptoribus perhibentur. ibid.

De Franciſco Sfortia Mediolanenſi duce.

Franciſcus Sfortia princeps illuſtriſſimus, qui multarum virtutũ ætate noſtra ſingulare exemplum fuit, cùm Florentini populi copiarum dux eſſet, vi capto Caſanoua oppido, quidã milites inſigni forma puellam captiuam ducebant, clamantem, vt ad primarium ducem deduceretur. Ad eum perducta, interrogante Franciſco Sfortia, quamobrem ad ſe venire cupijſſet, reſpondit, vt eius voluntati obſequeretur, modò incolumem eam à militum iniuria ſeruaret. Cùm forma inſignis videretur, & ætatis flos ipſe eſſet, parum ſe erraturum Franciſcus putauit, ſi volente ea potiretur. Itaque in lectum eam noctu ſecum adhibuit: & cùm appropinquare, atq; eam complecti vellet, puella lachrymarum plena ad Virginis Dei matris imaginem cõuerſa (quam lecto è more affixam Franciſcus ſingulari veneratione colebat) rogauit, vt per illius quæ in tabella erat, venerationem, item per famam quæ de ipſius bonitate apud omnes erat, ne eam virginitatis

honore priuaret: sed marito intactam potius restitueret qui cum alijs captiuis in vinculis custodiebatur. Adeò ingens Francisci continentia fuit, vt quanquam & formosam & puellam in bello captam nudam prope se in lecto sentiret, pudicitiæ eius cõspecto studio, statim lecto prosiluerit, maneque accersito ad se viro, eam publicè restituerit, adiurãs nihil cum ea sibi fuisse. Scipionem in pari facto non solùm imitatus est, sed etiam, quòd in ætatem minus benè moratam peruenisset, iudicio meo, superauit: præsertim cùm illud accedat, quòd cùm nobili orta genere esset, quæ ad Scipionem perducta fuit, Scipióque in vrbe libera viueret, fortasse ex violata mulieris pudicitia, censuræ iudicium expectare potuisset. At in Francisco nihil prorsus erat, quòd eum ab explenda cupiditate, nisi abesset naturæ bonitas, ob vllam metus suspicionem continere deberet. ibid.

De Clemente quarto Pontifice.

Inexplebilis habendi sitis immensaque cupiditas, quæ in quibusdam sacerdotibus nostri temporis visa est, ecclesiasticis opibus, quæ Dei atque pauperum sunt, filios in immensum locupletandi, difficiliorem, mirámque magis Clementis quarti abstinentiam faciet. Is in agro Narbonensi ortus, Iureconsultus ad Petri Apostoli solium conscendit... Ad eum iam Pontificem cùm duæ filiæ, quas antè ex matrimonio susceperat, venissent, fretæ illius opera se matrimonia non ex pristina fortuna, sed ex Põtificatus magnitudine cõsequuturas, neq; ipsarũ neq; aliorũ cognatorũ precibus adduci Clemens vnquàm potuit, vt rem vllam ex Pontificatus bonis, aut reditibus daret, quorum postulatis semper respondit, Pontificibus Roma. filios non esse, neque eis licere quod suum non esset, propinquis dare, & propterea contentas debere esse, si fortunas quas ante Pontificatum habebat, omnes eis reliquisset: quibus opibus cùm conditionem ex sententia sua in matrimonio non inuenirent, ambæ sacrarum virginum pudicitiam matrimonio præposuerunt. Nepotem quoque è tribus canonicatibus, quos habebat, duos dimittere coegit. Rara profectò abstinentia, sed tamen quæ plurimùm laudetur, non indigna, filiarũ lachrymis tam sublimi fortuna, id non impartiri: quod permulti non modò filiis, verùm Cinædis quoque ac meretricibus mimísque largiter donant. ibid.

De Alphonso Seniore Siciliæ rege.

Nullius virtutis memorabile exemplũ proponitur, in quo Alphonsus Senior Siciliæ Rex partes suas sibi non vendicet. Is cùm Iacobi Candolæ copias, quæ ex parte Vulturnum amnem traiecerant, reiecisset, illic inclinato iam sole consistere decreuit, vt prohibere Candolam posset, si iterum traijcere exercitum tentare vellet: sed quòd repentè illuc Alphonsus iuerat, sub dio manere in armis exercitum nulla ad vescendũ re parata oportuit. Alphonso autem cùm miles panem cum raphano & paruo caseo, in tali casu munus ingens misisset: laudato militis animo, munus accipere recusauit, dicens parum cõuenire vt ieiunio exercitu, ex vlla re vesceretur. ibid.

DE INTEMPERANTIA, Græcorũ exempla.

De Xerxe.

Xerxes opum regiarũ ostentatione eximia eoúsque luxuria gaudens, vt edicto præmium ei proponeret, qui nouum voluptatis genus reperisset. Quanta dum deliciis nimijs capitur, amplissimi imperij ruina euasit? Max. lib. 9.

De Antiocho rege Syriæ.

Antiochus quoque Syriæ rex nihilo contemptioris exempli, cuius cæcam & amentem

luxuriam exercitus imitatus, magna ex parte aureos clauos crepidis subiectos habuit, argenteáque vasa ad vsum culinæ comparauit, & tabernacula textilibus sigillis adornata statuit: auaro potiùs hosti præda optabilis, quàm vlla ad vincendum strenuò mora. ibid.

De Ptolemæo Rege Ægypti.

Iam Ptolemæus rex accessione vitiorum suorũ vixit: ideóque Physcon appellatus est, cuius nequitia quid nequius? sororem natu maiorem communi fratri nuptam, sibi nubere coêgit: postea deinde filia eius per vim stuprata, ipsam dimisit, vt vacuum locum nuptiis puellæ faceret. ibid.

De Cypriis

Effœminata Cypriorum multitudo, qui Reginas suas mulierum corporibus velut gradibus constructis, quò mollius vestigia pedum ponerent currus conscendere æquo animo sustinebant: viris enim, si modò viri erant, vita carere, quàm tam delicato imperio obtemperare satius fuit. ibid.

De Annibale.

At Campana luxuria per quã vtilis ciuitati nostræ fuit: inuictum enim armis Annibalem illecebris suis complexa, vincendum Romano militi tribuit. Illa vigilantissimum ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundantivino, vnguentorum fragrantia, Veneris vsu lasciuiore ad somnum & delicias euocauit. ac tum demùm fracta & contusa Punica feritas est, cùm Seplasia ei & Albana castra esse cœperunt. Quid ergo his vitiis fœdius, quid etiam damnosius, quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam conuertitur, animique pariter & corporis vires extinguuntur: adeò vt nescias, ab hostibúsne, an ab illis capi perniciosiùs habendum sit? ibid.

De Volsiniensibus.

Quæ etiam Volsiniensium vrbem grauibus & erubescendis cladibus implicarunt. erat opulenta, erat moribus & legibus ornata, Hetruriæ caput habebatur: sed postquàm luxuria prolapsa est, in profundum iniuriarum & turpidinis decidit, vt seruorum se insolentissimæ dominationi subijceret. qui primum admodum pauci Senatoriũ ordinem intrare ausi, & mox vniuersam Rempubli. occupauerunt: testamenta ad arbitrium suum scribi iubebant, conuiuia, cœtúsque ingenuorum fieri vetabant, filias dominorum in matrimonium ducebant: postremò lege sanxerunt, vt stupra sua in viduis pariter, atque nuptis impunita essent: ac nequa virgo ingenuo nuberet, cuius castitatem non antè ex numero ipsorũ aliquis delibasset. ibid.

De Cambyse Persarum Rege.

Exhausti ruboris Venus in Cambyse Rege Persarum fuit, qui duas sorores suas in matrimonium duxit. B. Fulg. lib. 9.

De Cypsello Corinthio Tyranno.

Non minus etiam Cypselli Corinthij Tyranni detestanda Veneris cupiditas fuit, cùm Melissæ vxori iam mortuæ libidinosè se commiscuit. Quæ res fidem ijs præbet, quæ ab Herodoto de Ægyptiis scripta fuerunt. Ait enim, apud eos funerum curatores cum ijs Venerem exercuisse, quorum corpora sepulturæ mandanda acceperant. propter quam iniuriam apud Ægyptios mos inoleuit, vt corpora sepulturæ curatoribus quarto die duntaxat post mortem crederentur, vt fœtor ab eiusmodi iniuria mortuorũ corpora defenderet. ibid.

De Eurydice Macedonum Regina.

Effræni quoq; Eurydicis Macedonum reginę Veneris stimuli fuere, quæ Amyntę vxor atque Philippi mater fuit. Hæc enim vt adultero regnum traderet, Alexandrum ac Perdiccam filios veneno sustulit, atq; idem viro fecisset, nisi filia scelus detexisset. ibid.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Mahumete Ottomano Turcarum Rege.

Mahumetes Ottomanus Turcarum Rex, quanquam armis plurimum excelleret, adeò libidinibus superari se passus est, vt in Veneris vsum quadraginta tum fœminas, tum mares septis tanquam cauea inclusos, haberet: apud quos nonnunquã ita perpotabat, vt nimio vino rationem amitteret, & somno captus ferarum modo humi iaceret, militari gloria, insignibúsque victoriis huius vitæ fœditate deturpatis. ibidem.

De quibusdam Tarẽtinis adolescentibus.

Pyrrhus Epirotarũ Rex, cùm audisset se per quosdam adolescentes Tarentinos multis inter bibendum conuitiis multísque maledictis affectum, iussit eos omnes conuocari. quod vbi factum est, eorum primum interrogauit an illa de eo dixisset: tum statim iuuenis respondit, Hæc certè Rex, diximus, multóque plura dixissemus, si plus vini nobiscum habuissemus. Guido Exemplorum lib.

De Paride.

Stetissent Pergama Priamique regna diutius, nisi Paris in alienos toros intemperãtior fuisset, & si immodicæ cupiditati restitisset. Peregrinæ fœminæ forma captus, potitus est optato. sed ea res non tantum voluptatis secum attulit, quantum postea mœroris. Sabel. lib. 4.

De Semiramide.

Magna in fœminis intemperantia omni æuo obseruata. Nihil Semiramide clarius, in nulla vnquã fœmina maior apparuit indoles. Cæterùm tam effrænata & intemperãs libido, vt domesticum equum libidinis causa adamarit, filiúmque ad incestum conata sit allicere. sed filius ab incesta matre debitas exegit pœnas, vel vna re maximè dignus, qui tantum imperium teneret, qui matrem necare maluerit, quàm incestare. ibidem.

De Demetrio Asiæ Rege.

Demetrius Asiæ rex effrænata libidine laborauit: qui cùm vrbem Megaram obsideret, audita Cratesipolis apud Patras insigni forma, omissa vrbe Megara, exercitúque sine duce relicto, vt cùm ea cõueniret, non sine ingenti periculo profectus est: paruo enim tẽporis momento, quin ab eis caperetur, hostes fefellit. neque verò eo periculo factus prudentior, in Lamiæ tibicinis, quanquàm vetulæ atque prostitutæ, amorem incidit: atque ita captus est, vt se ab ea regi pateretur. Quare cũ Lysimacho contigisset Demetrij legatis in colloquio cicatrices ostẽdere, eius vulneris, quod Leo intulerat, cùm ei ab Alexandro esset obiectus, legati responderunt, in brachiis collóque posse Demetriũ meretricis Lamiæ dentium notas ostendere. B. Fulgosus lib. 9.

De Sardanapalo Assyriæ Rege.

Non satis fuit Sardanapalo muliere corruptiorem se præstitisse: quia etiam fœmineo habitu pensa inter mulieres accipere, ac nere solebat, posteritatem quoque turpitudinis suæ testẽ habere voluit: tumulo enim suo inscribi iussit, Id solũ quod ebibi, atque voluptatibus impendi, habeo, reliquórum nullam sentio voluptatem. ibidem.

De Artaxerxe Memnone Persarum Rege.

Artaxerxes Persarum Rex Darij filius adeò libidini frena laxauit, vt non contentus, tercentum ac sexaginta concubinas habere, omni naturali lege bonísque moribus despectis, Attossam atq; Amistrim ambas filias duxerit vxores, quemadmodũ Plutarchus scriptum reliquit. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Sexto Tarquinio.

IMproba libido subegit Sextum Tarquinium ad stuprũ per vim Lucretiæ inferendũ, in

quo eò maius flagitium extitit, quo minus hæc alienæ libidini conniuebat. cæterùm exitus nõ minus huic, quàm illi funestus fuit. Sabel. lib. 4.

De Messalina Claudij.

At fœminei sexus nulla intemperantior fuit Messalina Claudij principis, in nulla portentosior libido, quàm vt satietatem expleret, Lisicæ prostitutæ mulieris nomen mentita, sæpe lupanar sub noctem adiit, et quod omnium fœdissimè fecit, cum famosissimis meretricij quæstus scortis coitu certauit, ex re fœdissima palmam sibi quærens. ibid.

De Faustina Antonij principis.

Pari rerum fastigio locata Faustina, nec Antonij principis non modò pricipum, sed omnium mortalium optimi, qui ætate illa fuerunt, nec patris memor, qui est ipse rerum Romæ potitus adeò in venerem præceps abiit, vt in Caietano secessu nautas sibi conditione quæreret: sed huic suum scelus impunè cessit: non quia in occulto esset id flagitium, sed quia vltor defuit. admonitus Antonius domestici probri, Aut est, inquit, id dedecus ferendum, aut restituendum imperium, quod ab ea accepi. ibidem.

De P. Clodio.

P. autem Clodij iudicium quanta luxuria, & libidine abundauit? in quo vt euidenter incesti crimine nocens reus absolueretur, noctes matronarum, & adolescentium nobiliũ magna summa emptæ, mercedis loco iudicibus erogatæ sunt. quo in flagitio tam tetro támq; multiplici nescias primùm, quẽ detestere, an qui istud corruptelæ genus excogitauit, an qui pudicitiam sequestrem periurij fieri passi sunt, an qui religionẽ stupro permutarunt. Max. lib. 9.

De Gemello Tribunitio.

Æquè flagitiosum illud Cõuiuium, quod Gemellus Tribunitius viator ingenui sanguinis, sed officij intra seruilem habitum deformis, Metello et Scipioni cõsulibus, ac Tribunis plebis magno cum rubore ciuitatis comparauit: lupanari enim domi suæ instituto, Mutiam & Fuluiam tum à patre, tũ à viro vtranque inclytam, & nobilem puerum Saturnium in eo prostituit: probrosa prosapiæ corpora ludibrio temulentæ libidinis futura, epulas Consulibus & Tribunis non celebrandas, sed vindicandas. ibidem.

De Catilina.

Verùm præcipuè Catilinæ libido scelesta. nam vesano amore Aureliæ Orestillæ corruptus, cùm vnum impedimentum videret quo minus nuptiis inter se iungerẽtur, filium suũ, quem & solùm ætate iam puberem habebat, veneno sustulit, protinúsque ex rogo eius maritalem facem accendit, ac nouæ maritæ orbitatem suam loco muneris erogauit: eodẽ deinde animo ciuem, quo patrem egerat: filij pariter manibus, et nefariæ attentatæ patriæ pœnas dedit. ibidem.

De M. Antonio triumuiro.

Quis vnquàm deliciis atque luxuria M. Antonio Triumuiro par fuit? ebrius enim in conspectu Pop. Rom. negotium publicum gerens, externam cœnã euomuit, ac gremium suum totúmque tribunal incoctæ cœnæ frustis vinum redolentibus impleuit, musicis mimísque immensas possessiones oppidáque donauit: nec contentus Cleopatræ arbitrio Orientem totum regere, ei Arabiam, Phœniciã, Syriam, Ciliciam, item Iudææ partem, prouincias omnes maximo populi Rom. labore sanguinéque partas dono dedit: nondum his expletus, quæ antea in Italia libidinosè egerat, diũ exercitus circuiuit, vir temporibus illis insigni honore præditus, lectica vna cum mima defereba tur. B. Fulg. lib. 9.

De Tiberio Imperatore.

Tiberius imperator, vini appetentissimus, gulæq; obnoxius, biduum continuum cum

nocte, quæ media erat, potando epulandóque cum Pomponio Flacco, & L. Pisone perditissimis Senatoribus peregit: atque huic turpitudini prodigalitatē quoque addidit, vt imperium hoc perpetuo dedecore insigniret. ipsorum enim alterum prætorem Syriæ fecit, atque alterum vrbi Romæ præfectum. Crapulæ, atque ebrietati his collatis honoribus, quæ virtuti olim dari consueuerant. A sexto Claudio iam grandi natu atque nimiæ veneris studio infami (quem olim Augustus ob eam turpitudinem damnarat) cœnam ea conditione exegit, ne quid in ea ex sua consuetudine mutaret, atque vt in ea nudæ puellæ ministrarent. in Quæsture quoque competitores ignobilissimum quendam aliis præposuit, quia in conuiuio propinante Claudio, vini vrnam penitus exhauserat. Asellio Sabino ducenta sestertia dono dedit propter confectum dialogū, in quo boleti, ficedulæ, ostrea, turdique introducti inter se, qui suauius gulam explerent, contendebāt. Tandē iā annosus cùm caprearū secessū deleg:isset, vt illic liberius sine multis testibus obscœnas libidines expleret, in syluis, multis in locis antra condidit, vbi vtriusque sexus adolescentulos in nympharum morem exculptos cōstituit: qui cùm ipsum videre contingeret, venerem inter se exercerent, omnibus eius insulæ locis exornatis obscœnæ libidinis, figurarū tabulis, vt ætate intermortua venus his exemplis incitaretur: tantò aliis magis dānandus, quantò scelestius est effœtas iam annis in venere vires arte excitare velle, ac simul naturæ vim afferre, quàm in ætatis flore ipso iuuentæ ardore ad libidinem impulsum continere se non posse. Et vt paucis tantam turpitudinem, quæ in eo erat absoluamus, T. Cæsonīū Priscum veneri deliciisque, nouo inuento magistratu, præfecit: qui omnes alicuius in venere inusitati modi inuentores præmiis afficeret. ibidem.

De C. Caligula Imperatore.

Calicula quoque Lasciuia veneréque perditus, ne intactum aliquid in venere relinqueret, sororibus suis se commiscuit. ibidem.

De Nerone principe.

Quod cum sororibus Calicula perpetrare, ausus est, id Nero dicitur cū matre appetiisse. cætera omnia fœda libidine transgressus animantia, castratum adolescentem Sporum, atque in fœminæ morem comptum, solenni pompa duxit vxorem, & vestibus gemmisque augustalibus exornauit. Et ne aliqua in parte deesset, in qua naturæ vim non afferret, ipse Doriphoro liberto suo nupsit. et dum se simul virum, vxorémque effecit, in ea re studia sua omnia reposuisse visus est, cui prorsus natura repugnaret. Neque verò naturæ leges tam infami scelere violasse contentus, religioni quoque iniuriam addere voluit, Vestali virgine incesta. Itaque omni in parte animi corporisque sensibus corruptis, non minus victus, atque amictus sui deliciis, quàm venere ipsa, modum omnem excessit. ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Romilda Sisulphi cōiuge.

Assistebat hostiliter Cancanus Rex Bauarum Iuliensibus, qui munitissimā habebant vrbem in Venetiæ recessu, erátque totius rei summa penes Romildam, qua Sisulphi Longobardorum ducis vxor fuit. hunc Cancanus non multò prius prælio victum interfecerat. Romilda hostis pulchritudine capta, quem viderat muris obequitantem, vrbem hosti tradidit cum duobus filiis & principali gaza, spem connubij sequuta, quod occultè cum Barbaro pepigerat. præstitit fidem Barbarus, ac noctem vnam pro legitima habuit coniuge: cæterum mulieris intemperiem detestatus, quæ omnem & gentis suæ et filiorum

fortunam intempestiuis nuptiis posthabuisset, duodecim robustissimis militibus vexandā tradidit, atque per hos malè affectam, palo postmodum defixit. Sabel. lib. 4.

De Ioanne Arminiaco Comite.

Ioannes Arminiacus Comes nimia incensus libidine, sororē suam vxorem duxit. quamobrē extra catholicæ Ecclesiæ gremium factus, atque infamis habitus est, Carolúsque septimus armis illatis, euersis eius rebus, fortunáque omni, de viuentiū numero ipsum sustulit. B. Fulgosus lib. 9.

De Genis Scotiæ rege.

In Britanniæ insulæ parte, quæ recentiore nomine Scotia appellatur, Iacobus rex eius gētis appellatione Genis dictus, publicè quidem matrimonia nō contraxit cum duabus sororibus, sed cætera quidem maritalia iura cum eis exercuit. ibid.

De Picente quodam Fabriani accola.

Fera prorsus libido fuit Fabrianensis cuiusdam ciuis: nam cùm desciscente populo à Clauellis eius vrbis principibus, ne fœminis quidem populi rabies ferrúmque pepercisset, ipse cum mortua Clauellorum virgine commiscere se per venerem nō erubuit. ibid.

DE CASTITATE, Græcorum exempla.

De Dimoclite adolescente Athenienſi.

Dimocles adolescens Atheniensis cùm intemperiem Demetrij Regis in balneis declinare non posset, in feruentis aquæ lacum sese proiecit, vitam aspernatus, vt pudicitiam tueretur. Sabel. lib. 5.

De Timoclia Thebana.

Fuit Timoclia matrona nobilissima, quæ captis ab Alexādro Thebis domo excisa, direptísque penatibus, cùm violentum etiam stuprum passa esset à duce quodam Thracum, qui

in Macedonum exercitu erat, rem commenta est non vulgaris exempli ad iniuriam vlciscēdam, testata se locum scire, vbi multum esset auri defossum. credidit Barbarus, perductúsque est ab ea ad profundissimū puteum, qui in remotiore fuit parte domus. hic cū Thrax exploraburdus prono in lapsum statu, puteo immineret, vt quid in imo fundo esset, melius prospiceret, à Timoclia, quæ à tergo stabat, repente impulsus, præcépsque ad ima corruit, saxísque supernè iniectis, hostem exanimauit. Rapitur illa confestim ad iudicium, & ad Regis conspectum destituta, & quænam esset fœmina, iussa dicere, fuisse se, intrepidè respondit, Theagenis sororem, qui aduersus Macedones ad Chæroneam Thebanam instruxit aciem, oppetiitque mortem pro libertate Græciæ. Mulieris cunstantiam miratus Alexander, præclarúmque facinus, liberam cum tota domo esse iussit: adeò nonnunquam vel apud hostes in magno fuit honore virtus. ibid.

De Monima Milesia.

Concupiuit Mithridates rex Ponti Monimam Milesiam: sed cùm ne magno quidē auri pondere mulierem corrumpere potuisset, iunxit illam sibi inuitā matrimonio, atque adeò reluctantem, vt Reginæ nomen & dedecus pertæsa, sibi mortē conseuerit. ibid.

De Hippone Græca fœmina.

Græca fœmina nomine Hippo, cùm hostium classe esset excepta, in mare sese, vt pudicitiā tueretur, abiecit: cuius corpus Erechtheo litori appulsum proxima vndis humus ad hoc tēpus sepulturæ mandatum contegit: sanctitatis verò gloriam æternæ traditā memoriæ Græcia laudibus suis celebrando quotidie florentiorē fecit. Max. lib. 6.

Dè duabus Bœotiis virginibus.

Insigne quoque pudicitiæ exēplum illud fuit, quòd duæ Leu-

ctris Scedaso patre in Bœotia ortæ virgines ediderunt. Nam cùm absente patre duos iuuenes pro veteri hospitio domi excepissent, ab iis vim passæ, eodẽ ferro die postera ambæ concordes, cùm prima eo vsa, alteræ eius vsum concessisset, se interemerũt: hoc testimonio declarãtes, etsi corporibus vis illata erat, animos tamen culpæ insontes mansisse. Bap. Fulg. lib. 6.

De Ciane Syracusana virgine.

Ciane Syracusana virgo violatam ab ebrio patre pudicitiã vlta est. etenim ex ea re cum graui peste Syracusæ laborarẽt, Oraculáque respondissent, de scelerato sacrificandum esse: cũ intelligeret ad quem ea res pertineret Ciana, parentem capillis apprehensum ad aram traxit: vbi manu sua eum pro victima mactauit, atque super occisi corporis se quoque interemit. ibid.

De Thebana quadam virgine.

Narrãt Græciæ scriptores & post eos Hieronymus Thebanã quandam virginem, quam hostis Macedo corruperat, dissimulato paulisper dolore, violatorem virginitatis suæ iugulasse, seque demum interfecisse cũ gaudio, nec viuere voluisse post perditam castitatem, neque antè mori, quàm sui vltrix existeret. Guid. Exemp. lib.

De Theutonicorum fœminis.

Theutonicorum fœminæ Marium victorem orarũt, vt ipsas virginibus Vestalibus dono mitteret, affirmantes se æquè ac illas virilis concubitus expertes fore. quod cùm nollet cõcedere Marius, laqueis sibi nocte proxima spiritum eripuerunt. ibidem.

De Darij filia.

Rhodogune Darij filia post mortem viri, nutricem, quæ illi secundas nuptias suadebat, occidit. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Trebonio adolescente.

Trebonius adolescens cùm à Lucio Tuculo Marij Cõsulis & copiarum Imperatoris propinquo ad stuprum solicitaretur, & iam non procul abesset, quia pollicitationibus nullis flecti poterat, vt vim pateretur, autorem iniuriæ ferro obtruncauit. Maluit probus adolescens caput, quàm famam periclitari. Cognouit causam Caius Marius, ac manifestæ cædis reum non modò non aliquo affecit supplicio, sed pro concione laudatum corona donauit. Sab. lib. 5.

De Lucretia.

Potuit Lucretia Collatini satis honestè viuere post pudicitiam à Tarquinij filio violatã: aberat enim inde dedecus, vnde abfuerat & peccandi voluntas, absoluebatúrque domesticorum iudicio interpolatus perpetuæ pudicitiæ tenor. at odium flagitij fecit, vt suorum desiderio deesse maluerit, quàm vltioni superesse. ibid.

De Virginio viro plebeio

Virginius plebei generis, sed patritij vir spiritus, ne probro cõtaminaretur domus sua, proprio sanguini non pepercit. nam cùm Appius Claudius Decẽuir filiæ eius virgini stuprũ, potestatis viribus fretus, pertinacius expeteret, deductam in foro puellam occidit, pudicæq; interẽptor, quàm corruptæ pater esse maluit. Max. lib. 6.

De Pontio Aufidiano.

Nec alio robore animi præditus fuit Pontius Aufidianus eques Romanus, qui postquam comperit filiæ suæ virginitatẽ à pædagogo proditam Faunio Saturnio, non contentus sceleratum seruum affecisse supplicio, etiam ipsam puellam necauit. Ita ne turpes eius nuptias celebraret, acerbas exequias duxit. ibidem.

De Metello Celere.

Metellus quoque Celer stu-

Universidad de Navarra Biblioteca

prosæ mentis acer punitor extitit, Cneo Sergio Silo promissorũ matrifamiliæ numorum gratia diem ad populum dicendo, cúmque hoc vno crimine damnando: non enim factum tunc, sed animus in quæstione deductus est: plúsque noluisse peccare nocuit, quàm non peccasse profuit. ibid.

De Caio Iulio.

Cuius Iulius Cæsar vxorem repudio misit: quia domi eius Publius Clodius fœmineo habitu deprehensus erat. cúmque peteretur quamobrem vxorem demisisset, respondit vxorẽ Cæsaris non crimine solùm, sed criminis suspicione carere oportere. Bapti. Fulg. lib. 6.

De Marco Flauio Valerio. Constantino Max. Imperatore.

Adeò seuerus in vlciscenda suorum impudicitia fuit, quòd apud se Crispum Spurium filium iam virum, ac militari virtute iam multis experimẽtis insignem, à nouerca Fausta accusatum, tanquàm eam stupri compellasset, statim fide accusationi habita mulctari iussit. Cæterùm post aliquod tempus cùm re detecta cognouisset non à Crispo nouercam compellatam, sed à nouerca Crispum, & ab ea accusatum non præstiti accensus dolore, Faustam quoque capite mulctauit. In his, quæ duo in affectibus humanis plurimum possunt, seuerissimum se ostendit. ibid.

De Papirio Volucre.

Cùm Papirius Volucer filiã Camillã à Romano fratre grauidam esse cognouisset, misso ad filiam gladio, quo se perimeret, filio alterum, vt idem faceret, tradidit. ibid.

De Aemilia Africani vxore.

Æmilia Africani prioris vxor mater Corneliæ matris C. & Tib. Gracchorum tãtæ fuit comitatis & patientiæ, vt cùm sciret viro suo ancillulã ex suis gratam esse, dissimulauerit, ne domitorem

domitorem orbis Africanum fœminæ magnum virum impatientiæ reum ageret: tãtúmque mens eius à vindicta abfuit, vt post mortem Africani manumissam ancillulã in matrimonium liberto suo daret. Max. lib. 5.

De Turia vxore Q. Lucretij.

Q. Lucretium proscriptum à Triumuiris vxor Turia inter cameram & tectum cubiculi abditum vna conscia ancillula, ab imminente exitio non sine magno periculo suo tutum præstitit, singularique fide id egit, vt cùm ceteri proscripti in alienis & hostilibus regionibus per summos animi & corporis cruciatus vix euaderent, ille in cubiculo & in coniugis sinu salutem retineret. ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Amone Aegyptio Abbate.

AMos Ægyptius Abbas à parẽtibus accipere vxorem coactus, virgini virginitatem vt seruaret, persuasit. Diuisis ergo lectulis vsi: sed tamẽ eodem contubernio cùm iam decem & octo annos corpore ac mente integri vnà peregissent, vtilius tutiúsque sibi visum est, si digrederẽtur. Itaque illa mansit domi: ipse verò ad solitudinẽ Nitreæ abiens, ab hominum consuetudine semotus, vixit. Quid magis mirer nescio, tres pueros illos in Babyloniæ fornace inter flammas vinculis cõstrictos ardere nequiuisse, an istos vigente iuuenta nuptiali toro iunctos, nuptiale opus, cùm tam diu simul vixissent, exercere nunquàm voluisse. Magnũ vtrunque miraculum, sed multò maius donum mentem castam habere, quã illæsum corpus. Marul. lib. 4.

De Henrico Imperatore.

Henricum Imperatorem, qui annos tres & viginti imperauit, virginitatem vnà cum Kunegunde vxore seriuasse tradũt. Non illos regalis luxus ad car-

nis inflexit lasciuiam, non suscipiendæ sobolis cura, cui imperij fasces reliquissent, perpetuæ castitatis mutare propositum fecit. Omnia contempserunt, vt se mente & corpore integros Deo offerrent. Id antè multis incognitum vir ipse vita decedens, palàm fecit: testatus se vxorẽ suam, vt virginem acceperat, ita virginem dimittere. ibid.

De Ioanne Anachorita.

Ioannes Anachorita in quadam Ægypti præruptæ rupis spelunca obstruso aditu degens, cum fœminis nunquàm est loquutus, raro cũ viris: ad se tamẽ intrare permisit neminem. Tribuno roganti, vti se coniugi suæ conspiciendum sustineret, non est assensus, sed in quiete se illi appariturũ promisit, quòd eam pio desiderio affici sciret. Proxima itaque nocte mulier somnians, ipsum vidit, quem vigilans nunquàm viderat: & quod viderit formã, habitúmque corporis, & cuncta vultus lineamenta. rectè verèque referẽdo fidẽ fecit. Quantæ quæso perfectionis vir iste fuit, qui imaginem sui dormienti fœminæ spectandam mittere potuit: cui tamen accessum ad habitaculum suum interdixit? Et si talis lapsum pertimuit, quis tutum putabit ingerere se obtutibus mulierum? ibid.

De Paulo Abbate.

Paulum quoque Abbatem, qui solitudinem Panephiso oppido proximam incoluit, ne fœminam videret, impense cauisse accepimus. Et cùm aliquando cum Abbate Archebio ad quendam senem pergerent, videns à longè obuiã venire mulierem, protinus retulit pedem: & comite frustra remitẽte, ipso relicto tuguriolum suum cursu concito repetiit. Cassianus tantam deuitandi sedulitatem immodestiæ ascribit, Deique iudicio factum asserit. vt qui tantopere fœmineum cõspectum execrabatur, paralysi resolutus ad cœnobium virginum deferretur, & languenti mulier assideret: sed ego reor etiam dono Dei factum, ne à muliere prius

tangeretur, quàm cùm se tangi penè non sentiret, valetudinis vi oppressus. Quòd si ab ea tangi antè contigisset, grauius fortasse animo, quã corpore ægrotasset. Puritatis autem eius etiã apud fœminas iacentis testimonium fuit, quòd languentes oleo, quo ipse contactus fuisset, perunctì sanabantur, & infirmus infirmis remedio erat. ibi.

De Pione Abbate.

Pion Abbas Antonij Abbatis discipulus in tantum fœminas aspicere timuit, vt nec sororem viduam, valetudinéque affectã, videre vellet. Cùm enim ab ea accerseretur, dicente si ipsum vidisset, tam sibi gratum fore, vt inde sanitatem se recuperaturam speraret, ire omnino recusabat. Mox tandem Abbate iubente, profectus est, & sororis cubiculũ oculis clausis, alterius ducatu ingressus, se quidem illi videndũ præbuit: sed illam ipse minimè vidit, nec ab ea cognitus abiit. Cùmque rursum vt veniret inuitaretur, Et fui tecum, inquit, & vidisti me. Sic ille excogitauit quemadmodum & Abbati morem gereret, & sororẽ præsentem non conspiceret, ob hoc solum ne à proposito discederet, quo tuẽdam castitatem existimauit. ibid.

De Martino.

Martino Massici Campaniæ montis solitario decretũ ac deliberatum fuit ne fœminem aspiceret: & dum quædam non sancti visendi cupiditate, sed magis propositi eius turbandi causa illi captata occasione repẽte astitisset, pronus humi corruit, vultúque inter palmas collecto tamdiu Deum vti se in tali pudicitiæ discrimine tueretur orauit, donec illa longioris more victa tædio inde discessit: ac ne quis Christi seruis negotium facessere leue crimen putet, fama est mulierem hanc simul atque de monte descendisset, vita decessisse, Deo temeritatem eius vlciscente.

De Christophoro Martyre.

Christophorum Martyrẽ qui mundi opificem in humeris gestare meruit, cui ducenti milites manum iniicere non sunt ausi (quo viso Ammonitarum rex est territus) vicissent fœminæ, nisi ille repente ad orationis arma confugisset. Vinctus & in carcere positus, dum illũ duæ insignis impudicitiæ sorores Niceta & Aquilina ad hoc à Rege missæ, vt turpi voluptate delinitum à Christo auerterẽt, complexu, osculis, alloquiis oppugnare cœpissent, sensit in tali certamine suam sibi haud sufficere virtutẽ, & Domini inuocauit. Eo orante carcer illuxit, subitus perstrinxit oculos fulgor: mulieres expauidæ in terram corruunt, mortem sibi timentes, quæ mortem intentauerant viro: sed tandem ab eo spe veniæ recreatæ, Christo crediderunt, dúmque ipsum palã confitentur, Tyranni gladium immotis iugulis excepere. Tantum itaque valuit casti cordis deprecatio, vt Christophorus & periculũ euaderet, & quas pudicitiæ oppugnatrices habuerat, socias haberet martyrij. ibidem.

De Eusebio Episcopo, & Martyre.

Eusebius Episcopus & Martyr quam virginitatem ab ineunte ætate solicitè custodierat, Deo protegente nullius insidiis amittere potuit. Mulier quædã forma illius capta, cũ ad ipsum impudenter irrumpere vellet, cubiculũ aditu aperto ĩtrare nõ potuit, & culpæ conscia, ac terrore simul perculsa, ante ianuã excito Episcopo crimen confitẽdo, veniam impetrauit: atque abiit mœrens, dum secum reputat, quantum malum est libido, ob quam pudicitiæ cultorẽ ne adire quidem digna fuerit. Et illum profectò quem nullæ vnquàm obcœnitas vicerat, nec persequutoris gladius vicit. ibidem.

De Aequitio Abbate.

Æquitius in Valeriæ partibus Abbas dum in iuuenta immundis tentationibus quateretur, ad precum confugia re-

currebat. Postremò somnianti visum est astitisse Angelum, omnémque sibi genitalium motum ademisse, nec postea sensit se tentari. Quinimò Dei dono fretus, præesse monasterio fœminarum cœpit. Interim tamen discipulos admonere non cessabat, ne se in eo prius æmulari vellent, quàm pari miraculo insuperabiles facti fuissent. ibi.

De Elia Abbate.

Elias quoque Abbas cũ triginta annos natus cœnobij virginum curam suscepisset, & carnis molestias ferre nequiret, ad desertum Scythiæ profugit: deinde in quiete apparentibus Angelis, cur Deo dicatas virgines reliquisset, interrogatus, causam dixit. Et cùm ab eis virilia sibi abscissa putasset, somno experrectus, & corpore se integrum & mente comperit, virginúmque curam securus repetiit: nullum postea pruritũ (licet inter fœminas versaretur) improbæ cupidinis in se sentiens. Quisquis igitur, quãtum poterit, periculum cauerit, Dei tandem auxilio reddetur tutus. ibidem.

De Iphigenia Aethiopũ regis filia.

Iphigenia Egippi Æthiopũ regis filia, Matthæi Apostoli prædicatione à falsa ad veram religionem conuersa, cùm virginitatem Domino vouisset, & iam constructo cœnobio multis præesset virginibus, neque minis, nec blanditiis moueri potuit, vt Hirtacum paterni regni successorem acciperet maritum, æterni regis sponsam se esse dicens, nec licere sibi illo relicto, alteri nubere: tunc Hirtacus ex amore in furorem versus, Iphigeniam cum reliquis, quæ cum illa erant, atque adeò cum ipso monasterio, concremari iussit: admota verò flamma virginitatis pudicitiæ vltrix, inde se auertens, in regiam prosiliit, quam, Hirtaco cum vnico filio vix euadente, funditus cõsumpsit. Sed tamen filius à dæmonio correptus, interiit: pater elephantia perfusus, morbi dolorem non ferens, ipse sibi mor-

tem conſciuit. Itaque qui malè perdere Iphigeniã cũ ſuis virginibus cogitauerat, teterrimè ipſe cum filio diſperiit. ibid.

De Tecla virgine.

Tecla etiam virgo Paulo Apoſtolo Iconij Chriſtum euangelizanti credidit: cúmq; iam deſponſata eſſet, repudiato coniugio, virginitatem ſeruauit: & ob fidei confeßionem in ardentem rogum miſſa, vri non potuit, ſubitis imbribus igne extincto: deinde leonibus, vrſis, tauris expoſita, tot feris belluis repentè manſuefactis, euaſit inoffenſa. Puduit Proconſulem vltrà in illam ſæuire velle, cui tam atroces beſtiæ pepercerant, & liberam dimiſit. ibid.

De quatuor Philippi Apoſtoli filiabus.

Philippi Apoſtoli quatuor filiæ, quia virgines erant, prophetandi donum accipere meruerunt, etiam poſt Ioannem, cùm Prophetas ceſſare oportebat. ibid.

De Agatha Catanenſi virgine.

Agatham Catanenſem virginem, nec Aphrodiſiæ meretricis illecebræ, nec Quintiani Prætoris promiſſa, minæ, ſupplicia ad impudicitiam trahere potuerunt. Omnia contempſit, vt virginitatem illibatã Deo offerret. Cùm apparuiſſet illi in carcere apoſtolus Petrus, mamillã, quæ Quintiani iuſſu auulſa erat, curaturus, exhorruit virilem attactum, & chirurgicam refugiebat manum, donec quis eſſet agnouit, & ſtatim ipſo abeunte ſe ſanatam ſenſit. Cum ſuper acutas teſtas ardentéſque prunas volutaretur, minus pœnam doluit, quàm nuditatis ignominiam. Quod ſcelus nec terra ferens, intremuit, vrbs cõcuſſa eſt, muri ruina Prætoris aſſeclas oppreßit: ac ne ipſi quoque in virginem impietas impune cederet, equorum ſuorum calcibus petitus, perijt. ipſa autẽ virgo cùm omnes viciſſet cruciatus, vltrò optauit mori, & eſſe cum Chriſto: quo annuente læta acceßit. Meritò ergo venit

Angelus ad exequias eius, tumulóq; inſculpſit, Mẽtem ſanctam ſpontaneam Deo, honorem, & patriæ liberationem, ne Angelicis in morte careret laudibus, quæ in vita caſtitatis puritate par Angelis fuit. ibid.

De Lucia Syracuſana virgine.

Lucia quoq; Syracuſana virginitatem vita habuit chariorem. Iuueni, cui pacta fuerat, iũgi noluit, vt iungeretur Chriſto: pro huius amore martyriũ conſtanter pertulit, cum illo viuere recuſauit. Igitur Paſchaſio conſulari poteſtate tumẽti haud tantum licuit, vt ei caſtitatem poſſet eripere. Impietatis furiis ardens puellam duci ad lupanar iußit: ſed illam vis nulla, nulli prorſus conatus mouere potuerunt. Funibus circumligatam mille viri, mille boum iuga trahere nitebantur: ſed eodem loco, quo eam fixerat Dominus, vel vti montis rupes, immota ſtetit, atq; ibidem vri, cædi, iugulari potuit, abduci vt proſtitueretur, non potuit, quoniam Deo vouerat caſtitatem. ibid.

De Catarina virgine.

In Catarina virgine victi Philoſophi ſcientiam, patienter tolerata tormenta, conſtantiam, rotarum fractio, impiorúmque percußio meritum teſtantur. Sed ne virginalis quoque candoris, ac puritatis deeſſent teſtimonia, de abſciſſæ ceruicis vulnere lac, non ſanguis effluxit, exanime corpus Angeli ſepelierunt: monumentum oleo manat: & ſic tantus honor mortuæ in terra, quanta beatitudo viuentis in cælo. ibid.

De Cecilia virgine.

Cecilia virgo Valerianum, cui deſponſata fuerat, ipſo nuptiarum die ita perterruit, cùm Angelũ virginitatis ſuæ defenſorem eſſe aſſeruit, vt ipſam ne contingere quidem auſus ſit. Quinimo depoſito gentilitatis errore, ad Chriſtum conuerſus, & ipſe viſionibus perfrui meruit Angelorum: ſed & mar-

martyrij coronam cum fratre Tiburtio laudabiliter cõsequutus est. Ergo non solùm intacta permansit Cecilia cupidissimo iuueni tradita, verùm etiam eidem saluti fuit, non auso prophanare illud, quod virtute protegi vidit diuina. Denique ambo rubentibus rosis, & candentibus liliis, ab Angelo coronari meruerunt, vt hoc virginitatis insigne esset, illud martyrij. Neq; enim suppliciis vinci potuerunt, quos non vicerat voluptas. ibid.

De Barbara Nicomediæ ciue.

Barbaram Nicomediæ ciuem forma, genere, diuitiis, floréque ætatis præstantem, fidei tamen ardore talia cõtemnentem, cùm multis eam petentibus nulli nubere vellet, & se Christianam virginitatis votum suscepisse diceret, furens Gentilis pater Dioscorus, stricto gladio persequi cœpit. Sed quam pater persequebatur, saxa miserata sunt. Eam namque montis crepido, ad quam fugiens consti-terat, inclinata, trans vallem in aduersa rupe deposuit, & sursum se erigens, persequutorem impediuit. At neque miraculo mollitus omni silice durior pater, tandiu per deserta latitantem quæsiuit, donec inuenit. Tunc per capillos tractam Martiano Præsidi torquendam tradidit. Quam Martianus post multos cruciatus, & vtranque auulsam papillam, ignominiæ causa nudam per vrbis fora duci iussit. Exhorruit nuditatem virgo, quã non terruerant supplicia. Et cùm Dominum orãsset, ex templo affuit illi Angelus qui papillas restituit, sanatúmque corpus candenti stola contexit. Sed quoniam miracula maleficiis non virtuti imputabantur, iussa est decollari. Et ne quid ad immanitatem deesset, præuenit carnificem pater, filiámque gladio, quo antè persequutus fuerat, interemit. Qui omnibus feris ferocior, interficere quidem illam, quam genuerat potuit: cogere autem, vt vel idola adoraret, vel virginitati nuptias præferret, non potuit. ibid.

De Brigida virgine.

Brigida virgo inter Scotiæ puellas pulcherrima, cùm à potentibus (& quidem Christianis) viris in matrimonium peteretur, & illa virginitatem Domino vouisset, eundem orauit, vt aliquo corporis vitio ipsam deuenustaret, quo procorum inquietudo facilè sedari posset. Itaque cùm oculorum decore maximè placuisset, alterum subitò vlcere percussum amisit. Cui ergo charior oculis fuit virginitas, nónne tantò pulchrior fuit in conspectu spõsi cælestis, quantò istis terrenis (qui iam illam, quam paulò antè appetierant, desponderi sibi dedignabantur) visa est deformior? ibidem.

De Andragasina virgine.

Andragasina virgo in Gallia Lothario regnante fuit: quæ cùm à parentibus Auiberto principi viro (qui postea Rothomagensem Ecclesiam rexit) inuita desponsaretur, multis cum lachrymis Dominum obsecrauit, ne suam pollui virginitatem pateretur, móxque lepræ morbo totum corpus occupante ob fœditatem intacta dimittitur: & ne in incerto esset, cur id mali illi contigisset, vbi cœnobium virginum ingressa, sanctum velamen accepit, continuò sana euasit. Puto quæ tam enixè orauerat, lepram etiam ipsam, quoad vixit, pati maluisset, quàm virginitatem amittere. ibid.

De Farra virgine.

Farra virgo cùm à patre Agerico (qui primo loco apud Theodebertum Galliæ regem habitus erat) ad nuptias vrgeretur, sic vbertim fleuisse dicitur, vt nimio lachrymarum humore oculorum aciem hebetauerit. Et cùm visum beati Eustasij episcopi precibus à Domino impetratũ recepisset, rursum patris molestiis infestationibúsque, & iam odio agitata, ad Ecclesiam confugit. Ille ira-

tus inde raptam in carcerem detrusit. Nec tamen efficere potuit, vt voto suo filia consentiret, quæ se iam Christo desponderat. vbi verò firmam in proposito permanere vidit, & ne pro minis, neque verberibus moueri, iam placatior dimitti iussit: nec deinde impedimẽto fuit, quin ipsa inter sacras virgines perpetuam virginitatem profiteretur. Tanta pro castitate perpessam martyrem dicerem, nisi obstaret fidelis pater. Martyrij tamen coronam meruit, quæ sic oppugnata virginitatis non amisit. ibid.

De Gregoria Romana virgine.

Gregoriam Romanam virginem, à beato Gregorio traditum est, ipso nuptiarum die ad ecclesiam confugisse, & perpetuæ virginitatis voto Deo se consecrasse. Reliquit virum, amplexa est Christum: reliquit corporis voluptates, & voluptatibus fruitur paradisi. ibid.

De Spoletana virgine.

Sicuti fecisse Spoletanam virginem idem autor est, quæ diuitis & principis viri filia, cùm pater ipsam nuptui collocare decreuisset, illo inscio ad monasterium abiens, virginitatis velum habitúmque accepit. Quòd si nuptias sustinuisset, nescio an ei integrum fugere fuisset. Auidius enim sponsam sponsus, quàm pater filiam obseruasset, quamuis & ipse indignatus illam exhæredauerit, sed quam exhæredauit pater, Deus regni sui cælestis hæredem fecit: & quæ nihil acceperat à parente, à Domino accepit, vt ab obsessis dæmonia pelleret, sicuti de illa testatus est sanctus Eleutherius Abbas. ibidem.

De Euphrazia Antigoni filia.

Euphraziam virginem Antigoni filiam, quia cuidam Romano patricij generis iuueni à parentibus antè pacta fuerat, quàm religioni se dedisset, cùm illũ accipere Theodosij imperatoris literis in Thebaidem, quò concesserat, missis vrgeretur, respondisse tradunt, sponsum se habere in cælo, non in terra: & certum sibi esse omnia prius extrema perpeti, quàm fallere fidem illi datam. Cúmque insuper Theodosius opulentas viri nuptias suis donis se cumulaturum polliceretur, Opes meæ, inquit, Christus est, dona tua aliis dato. ibidem.

De Maria Decegnies.

Maria Decegnies puella duodecim annos nata, parentum nõ sua voluntate cuidam Ioanni nuptui tradita, vitæ districtione ac sanctitate commouit virum, vt intactã dimitteret. In virginitate ergo perseuerãs, multa virtute multisque miraculis celebris euasit. ibid.

De Edeltrude virgine.

Tam ancipitis pugnæ gemina victoria potitam Edeltrudim virginem Sigibertus & Beda scriptores tradunt: quæ Annæ Regis Orientaliũ Anglorum Christianissimi filia, primum Candeberto Australium Girgiuorum principi in coniugium tradita, cùm eodem pari voto virginitatem seruauit. Deinde eo defuncto, iterum à patre inuita desponsatur Cephordo regi: sed cum ipso quoque in virginitate annos duodecim vixit. postea verò eius permissus religioni se consecrauit: & securiorem quidem in monasterio, sed non quàm domi castiorem vitam duxit: haud dubium quin castitatis merito tantam gratiam illam donauerat Deus, vt etiam iis quibus nubebatur, statim continẽtiam persuaderet. Rarissimum sanè exemplum, ac nescio an à condito æuo alterum tale, vt aliquabis marita sit, et sẽper virgo. ib.

De Ægypta virgine.

Ægyptæ virginis Edgari Anglorum regis filiæ corpusculũ post annos aliquot, quàm conditũ fuerat, aperto sarcophago redactum in puluerem inuentum est, præter ventrem et genitalia: cunctisque mirantibus cur ea pars tantum integra extaret, cuidam ipsa virgo in quiete apparens, minimè mirandum esse dixit, si reliquo

corpore fatiscente vterus incorruptus maneret, qui virginitate sanctificatus esset, & nulla libidinis labe inquinatus. Dūstano quoque episcopo de illa reuelatur, celebrandam esse in terra, quæ digna fuerit, vt in cælo celebris esset inter sponsas Christi. O grande virginalis pudicitiæ meritum, quo tanta comparatur felicitas, vt anima hominis honoretur in Dei regno, et cariem nesciat in sepulchro. ibid.

De Luceia Romana.

Luceiam Romanam virginem Rex quidam Barbarus nomine Ancias cùm captam stuprare vellet, Dei cæli sponsam esse audiuit, & vi abstinuit, ac simul liberam fecit. Quinetiā ad Christum conuersus, cùm ipsam Romæ martyrio consumptam audisset, captiuæ suæ sorte incensus, relicto regno, Romam perrexit, & pro veræ religionis assertione supplicia pertulit, magis iam desiderans regnare in cælo, quàm in terra: tantum illi profuit venerationi virginem habuisse. ibidem.

De Flora & Lucilla Sororibus.

Eugenius etiā barbarus Africæ Rex Floram et Lucillam sorores, Deóque dicatas virgines, Latiū incursans, captas abduxerat. Sed cùm eas perpetuā castitatem deuouisse intellexisset, vitiare pertimuit, & libertate donauit. Ad bella procedens earum precationibus se cōmendabat, victórque redibat, & frequenti successu lætatus, Christo ab ipsis prædicato credidit, in tantum vt Romam ad martyrium tendentes relinquere noluerit: iam quippe didicerat fragilem & caducam esse regni sui coronam: sed martyrij stabilem & æternam, atque vnà cum illis passus cælum petiit: tantum & isti attulit vtilitatis honorata virginitas. ibidem.

De Margarita Ægyptia.

Margarita Ægyptia virgo de sponsi thalamo ad thalamum peruenit Christi. Prima

quidem nocte illo ex lassitudine altius dormiente, vt qui diē totum in choreis, & tripudiis desudasset, ipsa dormire non poterat, assiduè secum voluens quomodo virginitatis suæ thesaurū subtraheret eius rapinæ. clanculum ergo pedetentimque sese de cubili proripuit, ædibúsque excessit, & virum assimulata, monasteriúmque ingressa, inter monachos latuit, vocata Pelagius, vbi persanctè vixit, neque quod fœmina fuerit, vlli ante obitus sui diem, cognitum fuit. Igitur non dormiendū virgini, vbi periculum imminet, sed vigilandum fugiendúmque est, si sese integram cupit conseruare: et nisi huiuscemodi incumbat necessitas, nunquam viris virgo se credat. vbi diuersus sexus est, diuersarum cogitationū pugnas incidere necesse est. ibidem.

Dè quadam virgine.

Idcirco beatus Martinus Episcopus, cùm virginem quandam vitæ sanctitate percelebrē inuisere vellet, & illa aditu negato ei excusando dixisset, Mi pater sancte, ora pro me, quia à viro nunquàm sum visitata: gratias egisse Deo fertur, quod illa talibus imbuta moribus, castam custodiret voluntatem, & benedicens eam, abiisse lætus. ibidem.

De Petronilla virgine.

Lubrica siquidem res castitas est, nisi summa circunspectione fulciatur, facilè labascit. Quod bene intellexit Petrus Apostolus: qui cùm omnes morbo aliquo laborantes passim curaret, filiam Petronillam virginem febri vexari dimisit, & cùm interrogaretur, cur qui alios sanasset filiam ægrotare sustineret, sic ei expedire, respondit. Didicit virgo infirmitate esse fortior, & iam nec sana de corporis voluptate cogitare. maluitque casta mori, quàm Flacco Consuli, à quo petebatur, nupta viuere. Exaudiuit Deus deprecantem, & vitæ pariter, Cōsulisque libidini iam vim parantis, ipsam surripuit. At-

que eandem, quæ hominis vxor esse noluit, sponsam fecit Christi cælestibus fruituram nuptiis, quia terrenas contempserat. ibidem.

De Natalia Hadriani Martyris coniuge.

Nataliam Hadriani Martyris coniugem (quoniam forma multis præstabat) Tribunus Nicomediæ in coniugium petiit. Denegare non erat quod tribunus peteret, & ancilla Christi iãquò se verteret, nesciebat: impetrat tamen triduí spatiũ ad deliberandum, atque interim Dominum votis precibúsque solicitat, vt pudicitiam, quam illi vouerat, ipse tueretur: et somnio edocta, inde soluens, Constãtinopolim versùs fugam fecit. Quod vt resciuit Tribunus, conscęsa naui, fugientẽ persequitur. iam propè erat vt consequeretur, cùm contrario flante vento, coactus est reuerti: illa suo quò volebat peruenit. Itaque in viduitate ieiuniis, & precationibus vacans, Deo seruiuit: seruiuisset autem homini, si iterũ nupsisset. ibidem.

De Paula Romana.

Paulam Romanam à Hieronymo proditum legimus, post mariti mortem, non solùm nubere noluisse, sed etiam cum viris nunquam comedisse. Casta mulier vix se viduam esse putauit. si cui non sui sexus hominũ vel ipsa tantum conuiuendi familiaritate iungeretur. Sic itaque viduitatem sanctè puréque custodiuit, vt in monasterio sacris virginibus præesset. quas enim æquauerat castitate, eas cæteris virtutibus superabat. ibidem.

De Elizabet.

Elizabet Lantgrauio tradita, votum vouit, si marito superesse sibi contingat, Deo se in castitate seruituram: & casti propositi meritum habuit etiã coniugata. Post viri obitum de ingentibus diuitiis ad vltimã deuoluta est paupertatem, rapiẽtibus omnia, qui se Lantgrauio succedere dixerãt. Vnde ab Episcopo Bambergensi suscipitur, piéque sustentatur. Cui rursum ad nuptias hortanti, dotémque multam pollicenti, respondit, si id conari pergeret, sibi in animo esse truncatis naribus vel scissa facie, ita se deformem reddere, vt qui ducere velit, futurus nemo sit. Igitur inops & egena mulier nec prioris fortunæ felicitatem amissam doluit, nec secundæ oblatam accepit, dũ sola castitate gaudet: adeóque impatienter tulit ad coniugium se repetendum inuitari, vt nisi qui inuitabat cessasset, suam ipsa faciem lacerasset. Quanta autem sanctitate profecerit, hinc nosse licet, quòd nullum ferè virtutis genus in hoc opere, eius exẽplo vacuũ sit. ibi.

De Galla Symmachi Consulis filia.

Galla Symmachi Consulis filia (vt Gregorius refert) Gotthis Italiam vastantibus, viduata viro quocum annũ tantùm vixerat, nulli postea nubere voluit: licet & ætate integra esset, & nõ illiberali forma. Ægrotanti fœdáque corporis scabredine affectæ medici consulebant, rursum vti marito: alioquin eo morbi gènere vel perituram, vel, si vixerit, contra sexus sui morem, villosum mentum habituram. At illa nec oris deformitate, nec mortis periculo territa propositum dimisit castitatis. Dum autem diem suum obiret, affuit in visu Petrus Apostolus, à peccatis absolutam esse dixit, promissis vitæ æternæ erexit, & vt secum veniret hortatus est: tunc sancta animula, illo dimisso corpore, quò vocabatur, læta abiit. Si his etiam digamas frui solere visis nostis, nubite viduæ: sin verò nihil tale de illis memoriæ proditum legistis, nõ est cur illas imitemini, de quarum beatitudine à scriptoribus siletur: si qua tamen continere se nõ potest, nubat. Melius est nubere, quàm vri: quia minus malum maiore malo melius est. ibidẽ.

De Euphraxia virginis Euphraxiæ matre.

A quo quidem malo multũ abhorrens Euphraxia virginis

Euphraxiæ mater. Hac vnica prole susceptà, cũ viro suo Antigono castè continenterque vixit: cæterum illo defuncto, quoniam ætas, forma, diuitiæ suppetebant, ad secundas nuptias vrgeri cœpit Theodosij Imperatoris Augustæq; suasionibus ac promissis. Quòd quanquam amore erga ipsam summo agebatur: illa tamen indignans, & castitati metuens, rebus occultè nauigio impositis, cum filia in Ægyptum nauigauit, & in Thebaidem perueniens, filiam monasterio tradidit: quæ secum tulerat, pauperibus erogauit, piisque ipsa operibus incumbens, castitatis propositũ nunquam dereliquit. Cùmque Abbatissa, cui filiam commendauerat, in quiete vidisset Antigonum in paradiso fulgentẽ, à Domino exorasse, vt coniugem suam de terris euocatam sibi iam sociã faceret, die qua prædictum fuerat, læta decessit. Tanta ergo accepit bona: quia & cum viro castè se habuerat, & sine viro viduitatem constanter seruauerat, quanta Imperator iterum nubenti dare nunquam potuisset. ibid.

De Salaberga Galliæ.

Salaberga post quinque filios ex Alduiuo marito Dagoberti Galliæ regis duce genitos, ab eodem impetrauit, vt deinceps in castitate Deo seruiret: itaque cõstructo apud Lugdunũ amplo monasterio, trecetis ferè ancillis Christi præesse meruit, & multorum signorum operationibus celebris fuit. ibid.

De Iacobo Adelphotheo.

Iacobus qui ab eo, quòd ore & lineamentis esset Christo perquã similis, Adelphotheos dictus est: & is vnus omnium templi aditum subire pontificũ permissu potuit, quò nulli hominũ præterquàm sacerdotibus patebat accessus: qui honor cõtingere illi non potuisset, nisi recepta de eius castimonia vel inter inimicos opinione. Sabel. lib. 5.

De Iuliano Antiocheno.

Prætulit Iulianus Antiochenus Martyr corporis hunc & animi

animi candorem iugalibus illecebris. Basilla, quam sibi vxorem duxit, ab omni libidinis affectu salutari monitu auersa, totũ matrimonij munus in castitatis sanctimoniam vertit: mox religionem sequuti, vterque sui factus est propositi compos, cælúmque promeritus. ibid.

De Leone Pontifice.

Mirum videri posit quod de Leone Pontifice, qui primus id nomen tulit, memoriæ proditũ est. fortè accidit, vt dominicæ resurrectionis die, cùm eucharistiam daret populo, eius sit manus matronæ osculo contacta, sequutáque sit ob eam rem tacita quædam libidinis appetentia, quàm simulac sensit, manũ sibi vltro abscidit, vt pars illa vnde lues irrepserat, à toto corpore contagiosa abscinderetur. ibidem.

De Benedicto Abbate.

Remissiore pœna, sed in præsens non minus atroci, ad incestam mulieris recordationem à se visæ castigandam vsus est in se Benedictus Abbas crebra corporis supermurices & sentes volutatione: vt pars illa hominis, quæ in lapsum pronior esset, atrocitate supplicij à lubrico retardaretur. ibid.

De Diuo Augustino.

Rogatus Aurelius Augustinus quid esset, quòd nollet cũ sorore habitare, ita occurrisse fertur, Quia non sunt mihi sorores, qui cum sorore mea sunt. enimuero malum est videre fœminam, peius alloqui, pessimũ attingere. ibidem.

De Arsenio Abbate.

Arsenio Abbati, qui iuxta viros fœminásque, vt rem ad sanctiorem vitæ cultum tuendũ exitialem, refugiebat, cùm fortè matrona quædam non obscuri generis sese repentè obtulisset, turbatum et auersantem orare cœpit, ne suum occursum tam atrociter declinaret, & vt Deum pro se precaretur. Precabor, inquit ille, libens, ne talis occursus sim memor amplius. ibidem.

De Vrsino Nursiæ presbytero.

Est & Vrsini Nursiæ presbyteri vox memorabilis. Duxit hic aliquando vxorẽ: cæterùm sacerdos factus, ita eam dimisit, vt nulla de causa ad se ire pateretur: post verò quadraginta annos, cùm morbo consumptus pro defuncto iaceret, quæ olim coniux fuerat, aurem ad iacentis narem leniter admouit, exploratura an adhuc viueret (Mirabile dictu) scintilla quædam vitalis spiritus, quæ moribundo corpore erat, sese in vocem collegit, ac Facesse hinc mulier, inquit, nondum penitus extinctus est ignis, tolle palliũ: ac cum his animã efflauit. ibid.

De Anniano Alexandriæ Antistite.

Vidit Annianus Alexandriæ Antistes fœminam quandã: quia tamen (vt credere est) visam concupiuit, oculum sibi eruit, erutum à se proiecit: inde corpus gelidis immergẽs aquis, immersum inedia et labore macerauit: per quæ adeò profecit, vt in Christiana fide asserẽda sit mons ab eo ex Numidia (vt fertur) Babylonẽ trãslatus. ibid.

De Viceta Martyre.

Rarum est illud Vicetæ Martyris exemplũ, cui corpore prius arctissimè constricto, lectóque molliter instrato iacenti petulans meretrix admota est, quæ osculis, complexibus, & omnifariam illecebris iuuenem resupinatum advenerem excitaret: erátque autor supplicij huius Maximinus pater Nicomediæ Rex, vt iuuenis animum à castissimo proposito auerteret. Inuenit tamen castitas sua arma, ac quãdo imminentem pestem aliter propulsare non potuit, linguam mordicus abscisam, in puellam sibi imminentem conspuit, respersitque cruore illius faciem: est itaque fœditate oris, quãdo alia vi nequibat, vis illa à iuuene repulsa, & quod cupidius appetebatur, id est præcipuè fastiditum. ibid.

De Hilarione Abbate.

Conficiam te inedia (dicere solebat Hilarion Abbas, seipsum vel ingenitam potius corpori concupiscentiam affatus) faxim vt de cibo cogites, non de voluptate. Hæc ille atrociter minari. sed maiora adhuc supplicia sibi irrogauit: tertio quoque die herbarum succo paucisque corpus inedia penè consumptum caricis reficiés, rastro sub dio operari, vt iejuniorum laborem corporis labor duplicaret. ibidem.

De Euagrio presbytero.

Euagrius presbyter hybernas noctes in puteis egit, vt ab omni affectu libidinis suũ corpus vindicaret: Bernardus Abbas in lacu: Aniumarus Tamanẽsis Antistes in vepribus volutari: Franciscus Assisias in hybernis niuibus: tanta hominibus sanæ mentis fuit castitatis cura, tantum incestæ voluptatis odium. ibid.

De Aquileiensi fœmina.

Nec illud parũ insigne quòd capta ab Hunnis Aquileia, cùm ingenua quædam mulier à Barbaro hoste capta ad stuprũ raperetur, ad preces versa, tanquam secreti cupida, facilè impetrauit, vt in superiorem domus partem abduceretur. iussa itaque prius locum ascendere, confestim partem illam cœnaculi occupat, quæ fluuio imminebat: inde ad Hunnum conuersa, Sequere me, inquit, si vis me potiri: ac cùm his in subiectum flumen se præcipitauit. ibidem.

De Sophronia Romana.

Sophronia Romana matrona nobilitate insignis, quæ Maxẽtio imperante præfecti vxor erat, cùm à Maxentio vt secum in venerem sentiret, solicitaretur, vique, nisi assentiret imminente, omnem rem viro enarrauit: cúmque præ formidine virum sceleri animaduerteret assentiri, auro gemísque, quàm impensè potuit, ornata, ad Maxentium pergit, vna tãtum ancilla comitata, eius cubiculum est ingressa: cúmque prius longiore oratione se Deo excusasset, quòd ante statutam diem

vitam relinqueret, cultello sibi ipsa mortem conscíuit. Baptista Fulg.lib.6.

De Erchembaldo Burbaiensi.

Erchembaldus Burbaiensis vir nobilitate insignis, ac prapotens in Germania, cùm graui valetudine laboraret, & à cubiculo strepitum exaudiuisset, quo resonare ædes videbantur, petiit eius rei causam: & cùm tandem accepisset, sororis suæ filium vim cuidam domesticarum mulierum inferre voluisse, vehementer indignatus, ministris imperauit vt nepotem suspenderent. quod cùm ministri agere distulissent, dissimulauit dolorem quoad iuuenis arbitratus auunculum rei immemorem factum, cubiculo cœpit obuersari. itaque conspectum ad se in cubiculum vocauit, lætúmque se simulans, assidere sibi iuuenem coëgit, & altero brachio eũ cõplexus, altero gladium quem habebat, clàm eduxit, ac iugulauit. In eo enim pudicitiæ respectus, ac studium affinitatis iura, atque affecti corporis vires superauit. ibid.

De Raimundo Assain Græco.

Neapoli Frederico Aragonio regnante Raimundus Assam in Græcia nobili ortus genere, etsi patria Turcarum armis pulsus, graui rerum inopia laborabat: publicè tamen Bernardinum Sãseuerinum Bisignani principem, sub quo erat, stricto gladio inuasit, duóque aduerso eius pectori vulnera inflixit, quòd is sorori, quæ apud eum alebatur, vim intulerat. Cuius rei causa cùm ad supplicium duceretur, nulla vnquàm ductus est pœnitentia: quin affirmauit, cùm principi familiaritate coniunctus esset, tutò vlciscendæ injuriæ magnas occasiones habuisse, sed eis vsum non esse, quòd nobili viro occulta vltio sordida foret. ibid.

De Siculis.

Perciti Siculi Gallorum sæua libidine, quam in suas mulieres effræni exercebant, in vnũ conuenere, vt ad campanarum pulsum, quibus decantandas esse vespertinas orationes significare solet, per omnem Siciliam Gallos, quicunque in ea erant, obtruncarunt tãta edita in eos sæuitia, vt matrum vtero vi deuulsos filios humi alliderent, duabúsque horis constat, eo tempore octo Gallorum millia occisa fuisse, regni illius possessione Carolo primò adempta, in cuius locum Petrum Aragonium Siculi ad se vocarunt. ibid.

De quadam fœmina Essensi.

Haud dubium est, quod in Essa, quæ in terræ nouæ Comitatu, non longè à Nicea est in Narbonensi prouincia, mulier quædam noctu dormienti viro genitales partes abscidit, factũ excusans, quòd ipsa viro fidem præstaret, ipsi quoque æquum esset eandem à viro seruari: & quia is coniugalem fidem violarat, plecti debere ea corporis parte qua peccauerat, arbitrabatur. ibid.

De Tisone de Campo sancti Petri.

Tiso matrem Coccinam cùm in adulterio cum Aymo Burgundione deprehendisset, hortãte matris fratre Marsillio Carrariensi, heu temeraria seueritas, ambos occidit. ibid.

De Othone Imperatore.

Cùm Otho quartus Florentiæ esset, & inter multas forma atque ætate insignes fœminas Galdratham Bertham, ipse plurimùm laudaret, puellæ pater, qui aderat, Bellincionus nomine, obtulit facturum se, si ita eius ferret animus, vt deosculandæ puellæ copiam haberet. Quòd cùm puella audisset, respõdisset que, nullius vnquàm, nisi eius, qui vir suus foret, suauiũ accepturam: modesto principi adeò ea res placuit, vt indignũ duceret sine præmio puellam dimittere. Itaque eam in matrimonium Guidoni Germano locauit, viro non armis solùm atque virtute, verùm generis quoque nobilitate insigni, prædiáque multa cum Comitatus dignitate vtrisque concessit. ibidem.

Universidad de Navarra Biblioteca

DE CHARITATE ERGA DEVM,

Græcorum exẽpla.

De Connibensibus & Tẽtyritis.

QVæ in nostris pietas, in cæteris gentibus superstitio dici potest: sed nec in manifesto delirio defuit illis qualiscunque dicenda charitas, Cõnibenses & Tentyritæ dũ suos vtrique Deos pertinaciter tuẽtur, nõ solùm se mutuò oderũt, sed Deos ipsos, qui ab hostibus colerentur, funestáque inter se pugna congressi, ne à profusi quidem sanguinis lamptu, esúque hostilium carnium abstinuerunt. Sabel. lib. 5.

De Ænea.

Capto Ilio Achiui miserati captiuorum ærumnas, per præconem denuntiant, vt singuli ex liberis ciuibus quod vellent vnum aliquod secum auferrẽt. Æneas igitur cæteris neglectis, Deos penates exportabat. Græci pietatem viri admirantes, permiserunt insuper vnum ex suis accipere: ille patrem senio confectum sublatum in humeros portabat. Obstupescentes hoc facto Græci vniuersas possessiones ei reliquerunt, asserentes eos qui pietatẽ in Deos & homines exercerent, quique parentes reuerenter colerent, etiam in inimicos suaptè natura æquos placatósque se præbituros. Ælianus.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Metello Pontifice.

METellus Pontifex Vestali æde fortuito igni flagrante, per medias flammas Palladium incendio subtraxit. Cessit illi audax conatus prospere: nam Deæ simulachrum seruauit. sed res felicius cessisset, si visum non amisisset fuit tamẽ clades illa religiosæ mentis & immodicæ charitatis in Deam testis locupletissimus, fuit & ornamento. datum est enim, vt curru veheretur in Curiam: qui honor nulli eius ordinis ad id tempus contigerat. Sabel. lib. 5.

De Ceritibus.

Cerites non alio sunt meritò Romana ciuitate donati, quàm quòd hi Senonico bello Romana tutati essent sacra. Non potuit populi omni virtutum genere prestantissimi maius vllũ charitatis exẽplum in Deos extare, quàm quòd omne solemne sacrorum institutum ceremoniam dixerit ab ea vrbe, per quam sacra ipsa seruari contigisset. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Paulo Tarsensi.

DE Paulo Apostolo in Actis legimus, cùm esset Tyri, ab Agabo Propheta, & à Spiritu sancto fuisse prædictum, quòd vincula tribulationésque passurus Hierosolymis esset: ipse tamen eodem Spiritu confirmatus, illo proficisci nequaquam dubitauit: lugentibus discipulis, & magistrum indulgentissimũ pariter ac doctissimum à proposito deterrentibus, Quid facitis, inquit, flentes & affligentes cor meũ? ego autem non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu. Iuit, in insidias incidit, comprehenditur, ligatur, cæditur, torquetur. Et tamen cùm ei fandi copiam fecissent, tortores suos in viam salutis dirigere moliebatur, non pro se solicitus, vt vel sic acceptus dimitteretur, sed pro illis ne errantes in æternum perirent, pro iniuria referens beneficiũ, pro malo bonum. Non enim languescit odium sustinens charitas, sed accenditur si vera fuerit. Marullus. lib. 3.

De eodem.

Hinc idem ad Romanos à Corintho scribẽs, clamat, Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persequutio, an gladius? sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die, &

æstimati sumus sicut oues occisionis: sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, nec præsentia, nec futura, neque fortitudo, neque altitudo, nec profundum, neque creatura alia, potuit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. ibidem.

De eodem.

Idem Corinthios hortatur, dicens, Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriã Dei facite. Et de iis qui Deum amant, ad Romanos ait, Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositũ vocati sunt sancti. Et de iis, qui negligunt, ad Corinthios, Si quis non amat Dominum nostrũ Iesum Christũ, sit anathema maranatha. quod Syrum esse aiunt, & sonare Dominus venit: vt sit sensus, eum in aduentu Iudiciis à fidelium consortio separãdum qui à Christi charitate inuentus fuerit alienus. ibid.

Quod sit Charitatis opus.

Ioannes Apostolus, Hæc est Charitas Dei, inquit, vt mandata eius custodiamus. ac ne quid excuses, subiungit, Et mãdata eius grauia nõ sunt. Idem alibi, Et hæc est charitas, vt ambulemus secundum mandata eius. ipse quoque Dominus in Euangelio, Si diligitis me, inquit, mandata mea seruate. Et iterum, Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Et rursum, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. ibid.

Quãta verò, & quàm necessaria sit charitatis virtus, Paulus plenissimè declarat in epistola, quam primam ad Corinthios scribit, Si linguis hominum, inquit, loquar, & Angelorum, charitatem autem nõ habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniẽs. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem nõ habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, nõ est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autẽ veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nũquàm excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur: ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectũ est, euacuabitur quod ex parte est. Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autẽ cognoscam sicut & cognitus sum. Nunc autẽ manet fides, spes, charitas, maior autem horum est charitas. ibid.

De Martyribus.

Hæc charitas sanctos tuos, Domine, non modò diuitiarum dignitatúmque secularũ, atque honorũ, verùm etiã vitæ lucis huius contemptores fecit. Nullis tyrannorũ minis supplicijsve absterreri potuerunt, ne nomen tuũ vbique palàm prædicarent atque extollerent. Petrus, Andreas, Philippus crucifigi non recusarunt, Iacobus & Paulus capite truncari, Iacobus alter de pinna tẽpli deici, & fullonis fuste mactari, Ioannes in bullientis olei doliũ nudus de-

Universidad de Oviedo Biblioteca

mitti, Thomas & Matthæus lanceis confodi: Stephanus lapidibus obrui, Matthias securi percuti, Simon & Iudas irruẽti sacrilegorũ impetu elidi atque obteri. Reliqui omnes discipuli diuersis tormentorũ generibus absumi ac perimi. Quid post illos de tot millibus Martyrũ dicã? dulcia illis tormenta erant, per quæ ad te ascendere, tecũ iungi properabant. Nihil illis formidini, nihil timori esse poterat: quoniã perfecta charitas foras mittit timorem. Vehementiores pœnas expetierũt, vt maioris erga te amoris testimonium redderent: sed nulla tam vehemens à persequutoribus excogitari potuit, vt æquaret patientium affectũ grauiora tolerare parati erant, quã nouerat inferre rabies inimici in ipsos debacchantis. ibid.

De Maria Magdalena.

Maria Magdalena mundi dilectione in dilectionem Domini commutata, soli illi placere cupiens, venit in domũ Pharisæi, vbi ipse recubuerat, humique prostrata, pedes eius osculari cœpit, lachrymis rigare, capillis tergere, vnguentis perfundere: & quoniã charitas operit multitudinem peccatorũ, continuò de illa dictũ est, Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. ibid.

Iterũ in domo Simonis leprosi eiusdẽ Domini caput vnxisse refertur vnguento pretioso: impetrata quippe delictorũ venia, altius promouetur, & quæ pedes vnxerat, iam digna fit, quæ vngat & caput. Sic paulatim progrediendo ab infimis ad summa vsque peruenitur.

Immensi amoris indiciũ & illud fuit, cùm Martha soror eius Dominũ accipiens hospicio, parandi conuiuij cura distringeretur, illa audiẽdi verbi dulcedine delinita, nullis eiusdem germanæ cõpellationibus auelli potuit, vt ab eo parumper secedens, ipsam in ministrando iuuare vellet: ideóque optimam partem elegisse dicitur, quæ non aufertur ab ea. charitas enim nunquam excidit.

Sed vt alia omittã, quis dignè explicare nedũ laudare queat iam sepulto Domino, animi eius solicitudinẽ assiduúmque angorem? cõparauit aromata, ante lucem ad monumentum venit, & non inuento corpore, recurrit ad Discipulos. Tulerunt, inquit, Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum. Rursum reuertitur, identidémque super vacuum sepulchrũ inclinata, prospectat, perquirit, plorat: recedunt discipuli, permanet illa. Qua perseuerãtia atque inquietudine tandẽ obtinuit, vt Domini à morte resurgentis gloriã prima videret, prima crederet, prima cæteris nuntiaret. ibid.

DE CHARITAte erga homines, Græcorum exempla.

De Philosopho quodam.

On fuit huius virtutis expers iterum Philosophorũ quisquis fuit, qui ad omnem hominũ occursum fleuisse dicitur. Dolebat ille (quis ignorat?) quòd nihil sani esset in vita, nihil in homine nõ caducum, & fluxum, & deceptabile. Sabelic. 5.

De Xerxe.

Fleuit & Xerxes in Abidenis cãpis, cùm partem multò maximam Orientis subiectam haberet oculis, sub signis stantem: testatus se non felicitatem suam flere, quòd tot gentibus imperare contigisset, sed tot hominum sortem, qui cum innumeri essent, ad breue tempus, aut fato, aut alia vi essent omnino perituri. ibid.

De Annibale Carthaginensi Duce.

Annibal Carthaginensium Dux is, qui Punica cum Romanis bella præcessit, exercitu in Sicilia amisso non stultitia & ignauia, sed pestilentia, domũ reuersus, casu suorum in Curia exposito, non supplicium veritus (nam fatali necessitati nemo repugnat) sed amissorum militum charitate vitam laqueo finiuit. ibidem.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Nicia Athenienſi.

Nicias Athenienſis Corinthiis prælio victis, cùm moris eſſet, eorum qui viciſſent, trophæum, vbi victoria parta eſſet, ſibi erigere (qui honor ijs adimebatur, qui precario aliquid ab hoſte petiſſent) aſpernatus eſt id decus, vt duorum ciuium cadauera, quibus hoſtes potiti fuerant, ſepulturæ mandarentur. ibid.

De Phocione Athenienſi.

Fuit aliorum ciuium charitas in alios, ſed nullius (vt arbitror) in omnes præterquam Athenienſis Phocionis, qui nõ modò quemquam ex Attica ciuitate læſit, ſed ne odit quidẽ, cùm graues alioqui contentiones ab eo ſæpè ſuſceptæ eſſet Reipublicæ cauſa: ſed is omnes humanos affectus ſuorũ ciuiũ charitati cenſuit poſthabendos. ibi.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Paulo Æmilio.

Potuit Æmilius Paulus Cãnenſi acie tametſi vulneratus, viuus tamen & omnis culpæ expers in tutum euadere: ſed legionibus cæſis noluit, repudiato equo, qui illi ad fugam à Lentulo deferebatur: quimimo ſaxo ſedens, Macte, inquit, virtute eſto, C. Corneli, abi, nuntia publicè Patribus, vt vrbem Romam muniant, firmẽtq; præſidiis ante hoſtis aduentũ, méq; vt decet, ſinito inter meos milites expirare. Mira Imperatoris charitas, qui non potuit patriæ, quæ ſuperſtes erat, non eſſe memor paulò pòſt expiraturus. Sabel. lib. 5.

De Catone minore.

Cæſare circa Dyrrhachium fuſo, cùm Pompeiani lætitia exultarent ob rem bene geſtam, ſolus Cato Cæſarianorum cadauera intuitus, quia ciues eſſent, & fortes alioqui viri, tẽperare lachrymas non potuit. ibid.

De Publicola.

Valerius Publicola, qui ex ea re ſibi cognomen inuenit, nocte vna domum demolitus eſt, quã in Velia parte vrbis paulò eminentiore ædificabat: quia ciuibus non placeret, ſuis orphanis & viduis tributũ remiſit: Cõſul faſces ſubmiſit: Romano populo leges tulit, quibus Romanorum eſt libertas ſtabilita: facilè proinde cõſequutus, vt tam charus fuerit populo, quàm chariſsimorum alius: par decus cũ Bruto adeptus in morte, cuius in libertate aſſerenda adiutor fuit: nomen verò omninò maius, quia populare. Sabel. lib. 8.

De M. Craſſo.

M. Craſſus epulum dedit Romano populo, & tres minas viritim. Nulli ciuium ſuum patrocinium non libens impendit: nullum in via non reſalutauit: fecitque vnus omnium popularem auaritiã, ex qua nemo antea gratiam reportauit. ibid.

De Africano maiore.

Scipionis verò, qui maior eſt Africanus appellatus, memorabilis vox illa meritò eſt à multis celebrata: qua is ſæpè in imperio vſus dicitur, malle ſe vnũ ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes perdere. ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Paulo apoſtolo.

Paulus Apoſtolus qualem erga proximos charitatem haberet, oſtendit ad Romanos, dicens, Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. & ad Corinthios, In cordibus noſtris eſtis ad cõmoriendum, & ad cõuincendum. & ad Philippenſes, Teſtis mihi eſt Deus quomodo cupiam omnes vos eſſe in viſceribus Ieſu Chriſti. & ad Theſſalonicenſes, Facti ſumus paruuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos: ita deſiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non ſolùm Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſsimi nobis facti eſtis. Rurſum ad Corinthios, Cùm liber eſſem, inquit, ex omnibus omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem: & factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: ijs qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſ-

sem, cùm ipse non essem sub lege, vt eos qui sub lege erant lucrifacerem: omnibus omnia factus, vt omnes facerem saluos. Idem denique ait, Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Marullus lib.3.

De Serapione Abbate.

Serapion Abbas oppidum quoddam infidelium ingressus, cùm publicè prædicantem de medio pellerent, venundare sese illis cœpit in seruum, vt saltem cum dominis priuatim colloquēdi potestatem haberet: vbi verò frequenti assiduáque suasione illum, cui seruiebat, credentem de idolorum seruitute in fidei Christi libertatem vendicasset, reddito ei pretio ad aliū transibat. hoc Gentiles erudiendi genere etiā Lacedæmoniæ & Athenis vsum dicunt. Itaq; non recusauit venalis mancipij vtilitatem Abbas, vt alios a pernicie liberaret erroris. ibid.

De Pacomio Monacho.

Pacomius Monachus animaduertens proximi vici colonos rerum ignaros, à cultu abesse diuino, & tantummodo in pascendis pecoribus studium protrahere, vehementer indoluit, nihilque moratus, eremum dereliquit, & inter illos tuguriolū constituit: neque prius ad solitudinis locum redit, quàm illos edocuisset Deum honorare, Christo credere, piè atque innocenter viuere. fugerat frequentiam, sed fugientem reuocauit Charitas, veluti qui maris periculū euadens, iam in portu atq; in tuto se recepit. tum si quos naufragari respiciebat, rursum committebat se fluctibus, vt in alto laborantibus opem ferret, suæ ipse quieti salutem præponens aliorum. ibid.

De Vitale Monacho.

Vitalis etiam Monachi in vrbe Alexandria mira admodum charitatis opera extitere. Prostibula adibat fœminarum: & cùm ea quæ impudentiore lasciuia diffluere videbatur, noctem pactus, pretium offerebat. Admissus autem in aliquo fornicis angulo, procumbens deprecando peruigilabat, donec illucesceret dies: factum admirans mulier, cogebatur interim tacita intra se cogitare, non iam quantum lucrifecisset, sed quantum turpiter viuendo Deum offendisset. itaque multæ ab eo hoc modo conuersæ vitam correxere: ipse verò peruersa hominum opinione iactatus: quoniā circa lupanaria frequens erat, palámque reprehensus, patienter tolerabat, cùm plus vtilitatis ex correctione alieni delicti caperet, quàm ex sua infamia damni. ibid.

De Sanctulo Nursiæ prouinciæ Abbate.

Sanctulus Nursiæ prouinciæ Abbas cùm sibi pecunia non suppetisset, qua Diaconum suum à Longobardis latronibus captū redimeret, aliam longè difficiliorem redimendi rationem iniit, & vt sibi cum illo colloqui, diesque aliquot vnà esse liceret, rogauit. Qui rogabantur, hac lege concesserunt, vt si Diaconus effugisset, tunc Abbas, qui per ætatem effugere non poterat, capite puniretur. At ille pro Diacono mori paratus, fugam persuadet, eúmque noctu emittit. Qua de causa ad necem petitus præbuit ceruicem: cæterum iam ad feriendum elatam videns spiculatoris manū, protinus exclamat, Sancte Ioannes tene illam: immota mansit manus, & rigentibus neruis deflecti nequiuit. reliqui miraculo territi, Abbatem liberum fecere. qui mox rogatus, malè affectam manum oratione curauit. Multiplicia dona certatim offerebant, venerantes iam quem dudum occidere voluerant. Nihil illi accipere libuit præter captiuos, qui omnes libertati redditi, cùm ei gratias egissent, abiere. Itaq; Sanctulus Abbas dū se morti opponere pro vnius salute nō dubitat, vnà cū multis meruit seruari, Deo id tribuēte hominis pietati

De Carpo Pauli Apostoli discipulo.

Carpus Pauli Apostoli discipulus (sicuti de illo Dionysius

ad Themophilum scribens, testatur est) cùm fidelem quēdam ab infideli subuersum cerneret, præ dolore languere cœpit: cúmque vt conuerteretur orare debuisset, vt ambo è vita decederent optauit, veritus ne alterius suasu, & alterius exemplo alij corrumperentur. vidit autem in quiete illos in fornacem ardentem à spiritibus immundis trahi, violentérque impelli: & cùm eo spectaculo delectari cœpisset, aspexit Christum cum Angelis è cælo delabi in terram: ipsósque ab ignis periculo ereptum accedere: à quo & auditiit iterum paratum se pro peccatoribus pati. Hac visione admonitus pro vtriusque conuersione Domino supplicauit: & quos antea mori concupierat, demùm in fide viuificatos recepit. Hinc discimus neminē appetere debere delinquentium pœnas, sed pœnitentiam, orandúmque esse etiam pro incredulis, & iniquis. Sic est enim amplectenda religionis fides, vt non deseratur proximi charitas. ibidem.

De Maria Decegnies.

Maria Decegnies cognomento dicta, de pago Niuella episcopatus Leodij, ipsa vitæ sanctitate maritum pellexerat, vt castitatem seruaret. ambo ergo Christo, non mundo seruientes, lepræ morbo affectis ministeriū impendisse dicuntur: non langoris deformitas, non tabes, non sanies fæculenta, nō morbi euitanda contagio obstitit. Miserabilior ægrotantium facies ministrantium curam magis accendebat. Nunc in Christo regnant in cælis, qui leprosis ministrarunt in terra: pro breui labore præmia cōsequuti sunt beatitudinis æternæ. ibidem.

De Bona virgine.

Bona virgo in finibus Ægypti sanctarum virginum cœnobio Deo seruiēs, dum vnam inter illas, quam præcipuè dilexerat, ex graui valetudine iam morti proximam miseratur, orauit Dominum, vt cum ea simul diem obiret, perpetuáque morientis fieret comes. Vt orauerat impetrauit: ambæ eodem die vita defunctæ sunt, ambæ vno sepulchro conditæ. O inseparabile pij amoris vinculum, quod ne morti quidem soluere licuit: simul cælū petierunt quæ simul in terra Christo seruierant, vt conuiuere, sic etiam cōmori exoptantes. ibid.

De Theodora virgine, & quodam milite.

Charitate inter se contenderunt apud Antiochiam Theodora virgo, & quidam miles. Illa ob Christi confessionem ab infidelibus in prostibulum truditur: miles ignotus eam primus adiens, persuadet vt mutatis secum indumentis virili habitu euadens, virginitatē intactam conseruet. Cúmque ipse cum muliebri veste deprehensus pro virgine ad supplicīū traheretur, non sustinuit illa, vt cuius ope pudicitiam tutata fuerat, ei necis causa fieret: palàm proclamat, se esse ei neci addictam, non ipsum: è contra ille, imò se iudicis sententia dānatum, non illā. Diu certarunt, vterque alterum sua morte redimere cupientes. at quoniam Christū confitentibus mori viuere erat, Deo disponente ambo simul capitis obtrūcatione gloriosum martyrium peregerunt, ne eos tyranni gladius separaret, quos iunxerat amor Christi. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Paulino Nolano Antistite.

Qvæ charitas maior esse potest, quàm siquis ita affectus sit, vt vltro seruire velit, ne alius seruiat? Talis fuisse proditur Paulinus Nolanus antistes, qui vt viduæ filium redimeret, ipse in Africa diutissimè seruiuit. Sabel. lib. 5.

De Diuo Bernardino.

Bernardinus Senensis prima sanctitatis rudimenta per hæc apud ciues deposuit suos: cùm enim Senæ Hetruscæ graui pestilentia vastarentur, duodenis

comitatus iuuenibus, quos sibi ad ipsum opus delegerat, circũire ægrotantium domos, languentes, & grauiter affectos consolari, egestate laborantibus subuenire, sepelire defunctos, paratus omnes subire casus, quos tetra illa lues se temerè ingerentibus importare potuisset. ibidem.

De Pafnufio Abbate.

Magno virtutis huius exemplo ac semper memorabili Pafnusius Abbas Thaidem nobile scortum à meretricio quæstu ad pœnitentiam compulit: qui secreto ab ea impetrato, metum & trepidationem simulans, identidem ab ea quærere, an si congrederentur, eos visurus esset aliquis: cùm negaret illa ab vllo se videri præterquàm ab ipso Deo, qui omnia cerneret, omnia sciret. Ergo, inquit ille, credis Deum nihil latere, & corã ipso peccare non erubescis, qui tua puniet, & omniũ scelera? est enim iustissimus. subijt meretricis animum tempestiua Pafnufij exprobatio, obortisque lachrymis ilico pœnitentiam egit. ibidem.

De Anastasia.

Anastasia Romana mulier nobili loco orta, quia virum sortita est sui dissimilem, Christianæq; pietati infestum, occultè ægrotos circuire, carceresque inuisere, reorum catenas osculari, leuaréque eorum desideria cibo, potu & corporum tegumentis. ibidem.

De Gelasio Pontifice.

Extiterunt in longissima serie Romanorum Pontificũ Christi imitatores oppidò multi, & in his Gelasius, cuius pontificatus incidit in Theodorici Regis tempora. is omniũ, qui vnquàm Bar-ione sedem tenuere, impensissimè clerũ dilexit, & ipse mutuò affectu ab omnibus dilectus. quod eò magis mirum est, quò rarior innocentiæ & popularitati locus in summa administratione relinquitur. Sabel. lib. 8.

DE CHARITATE erga inimicos. Græcorum exempla.

De Lycurgo Lacedæmonio.

Sunt & in alijs gẽtibus exempla quædam charitatis, sed aliũde profecta sũt: nostratia hæc, pietatis & religionis partus: illa, humani affectus, quale fuit illud Lycurgi Lacedæmonij, cui cùm Alexãder iuuenis in iurgio oculũ baculo excussisset, adolescẽtem ad supplicium datum non modò non incommodo affecit aliquo, sed perhumanè, & sapienter domi instituit, vt non tantum insolentiæ & temeritatis secũ attulerit in sapientis viri domum, quantum inde prudentiæ & humanitatis reportauit. Sabel. lib. 5.

De Phocione Athenienſi.

Phocion Phoci filius multis rebus pro patria domi militiæq; ab eo præclarè gestis, inimicorũ inuidia morti damnatus est: cùmque in carcerem coniectus, iamiam cicutam bibituruus esset, porrigente ipsi calicem lictore, atque amici accedentes rogarent quid præcepti filio relinqueret, Hoc vnum, inquit, et mãdo, ne huius iniuriæ memor, malum pro malo Athenienſibus reddat. Vox profectò forti & sapienti viro digna. Ælianus lib. 2.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Cæsare Dictatore.

Cæsar Dictator cùm rerum gestarum fama & gloria floreret, Veronensem, cuius versiculis de se & Mamurra editis, indelebili aspersus esset infamia, sibi satisfacientem non solùm non incommodo aliquo affecit, sed cœnæ etiam adhibuit: & quod maius etiam fuit reconciliatæ gratiæ signũ, in eius patris hospicio, vt erat solitus, perseuerauit.

Idem C. Mẽmio, cuius asperrimis orationibus adactus fuc-

rat verborum acerbitate respõdere, erátque ex confesso inimicus, suffragator extitit in petitione Consulatus. Sabel. lib. 5.

De Augusto Principe.

Augustus princeps verus C. Cæsaris hæres, & in hac laude æmulus, Lucium Cinnam in hostium castris repertum, non solùm seruauit, sed, quod ad charitatis cumulum accessit, integrum patrimonium restituit: eundem coniurationis aduersum se initæ conuictum ea lege incolumen præstitit, vt diceret, Olim tibi hosti ô Cinna, nunc insidiatori & parricidæ do veniã: iam hinc inter nos inchoetur amicitia, contendamúsque vtrùm meliore fide ego tibi bis vitam condonauerim, an tu acceperis. ibidem.

De Tito Vespasiano.

Vespasianus, qui Flauiæ gentis primus est rerum Romæ potitus, Vitellij hostis sui filiam matrimonio splendidissimè locauit, ingenitæ charitatis, suaq; clementiæ magis, quàm paternæ iniuriæ memor. ibid.

De Vespasiano filio.

Talis mehercule, ac nescio an maior etiam fuit Titus Vespasianus huius filius: qui cũ imperiũ à patre accepisset, in duos patritij generis affectati imperij compertos, nihil amplius excanduit, quàm vt commonefecerit eos vti incepto absisterent: misitq; ad alterius matrẽ procul absentem, qui ei celeriter nuntiaret, filium incolumen esse, eosdémque non solùm familiari cœnæ adhibuit, sed sequẽti die gladiatorum munus spectaturus, circa se de industria collocauit. ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Sabino Martyre.

Magno charitatis ardore Vetustianus Thusciæ præses Sabiani Asisiatis Antistitis, cui manus præciderat, ab oculorum cæcitate pia præcatione seruatus est. Sabel. li. 5.

De Pergentio & fratre.

Vidit & Arecium in Hetruria non vulgare charitatis exemplum. cùm Pergentius & frater sub Decio torquerentur, tortorum manus, quæ medio verberatu obstupuerant, suis restituerunt precibus, magis de inimicorum salute, quàm de suo ipsorum supplicio soliciti. ibid.

De Anatolia.

Anatolia ex tortoribus vnũ serpentis nexu, cui obiecta est, arctius vinctum, spirisque & morsibus terræ allisum, ac neci proximum, bellua ab eo tempestiua prece remota, procúlque fugata periculo seruauit. ibid.

De Agnete virgine.

Illudebat Agnetis virginitati cæteris petulantius ex ministris & tortoribus vnus: mediáque colluctatione est is à dęmone vita priuatus, dum alienum sequutus imperium, puellæ virginitatem conatur adimere: deprecata tamen nihilominus illa, & defuncto precibus vitam impetrauit.

De Eugenia.

Est etiamnũ Eugeniæ exemplum non parum insigne. Diu hæc monastico habitu castè inter monachos vixit: cæterùm sæpius à Melãtia matrona impudicè appellata, quia incestos fœminæ congressus pertinaciter auersaretur, ab ea insimulatur tanquã suæ pudicitiæ insidiata esset: per quæ Eugenia in discrimen adducta, primùm petiisse dicitur, ne ea calumnia, cuiquã esset fraudi, si veritas in medio poneretur: inde muliebres mãmas prodidit, quibus apparuit non potuisse fieri, vt mulier ad stuprum mulierem peteret. fuit itaque illud non solùm se purgare, sed salutem perdere volẽtis tueri. ibidem.

De Stephano Martyre.

Stephanus Martyr pro illis, à quibus falsò accusatus, iniquè damnatus, crudeliter lapidibus ictibus impetebatur, genibus prouolutus orauit, ne ipsis hoc ad peccatum computare-

tur, quod sibi cedere sciebat ad gloriam. Marullus.lib.3.

De Iacobo Alphæi.

Iacobum Apostolum Alphæi filium tunc, cùm de pinna templi lapidum ictibus deturbaretur, insuper fullonis fuste cæderetur, orasse accepimus, illis ignosci postulantem, à quibus iniuste necabatur. Sæuiendo impij efficere nequiuerunt, vt pius in se sæuientibus benè optare desisteret.ibid.

De Christophoro martyre

Christophorus Martyr à Dago Lyciæ Rege passus, cùm post multa tormentorum genera stipiti alligatus, tandem sagittis appeteretur, atque earum vna reflexo mirabiliter ictu Regis oculum confixisset, vulneris remedium monstrauit. Rex itaq; decollati martyris cruore oculo illito sanatus est, & conuersus, cadauer eius sepulturæ honore affecit, cuius vitam extinxerat: tum demùm considerans Christi virtutē, cùm expertus est erga se martyris charitatem. ibi.

De Amone Ægyptio.

Amos Ægyptius, cùm in eremo manenti panem quo in diem vesci solebat, furto subtraherent homines impurissimi, duas serpentes cellæ custodiæ apposuit: quarum afflatu illi cùm furandi animo propius accessissent, semineces concidere. Eos tamen superueniens Christi seruus, manu quemq; prehensans erexit, & criminis blanditer arguens, ad pœnitentiam inflāmauit, atque ita amplexus est, vt ex furibus monachos faceret. Nūquid se suppilari doluit, qui suppilatoribus suis tam se benignum præstitit? Non vt vlciscereturinimicos, custodiam serpentibus mandauerat, sed vt deprehensos à flagitiis auerteret, & iungeret Christo.ibid.

De Maxentio abbate Pictauiensi.

Clodoueo rege aduersus Gothos arma mouente, quidam ex militibus prædæ cupiditate Maxentij abbatis Pictauiensis monasterium inuaserunt: & cùm vnus Abbatem sacrilegio re-

nitentem, vt poterat ferire vellet, manum cum gladio sublatam demittere nequiuit: reliqui nescio qua stupiditate mentis correpti immobiles constitere. at Maxentius immanitatis violentiæq; eorum oblitus, pœnam misereri cœpit & precatione liberos ab ægritudine reddidit. Qui deinceps inferre illi iniuriam & timuerunt castigati, & erubuerunt beneficio victi.ibid.

De Elphego Cantuarensi Archiepiscopo.

Elphegus Cantuarensis Archiepiscopus Romā versus pergens, cùm in vrbem Ausoniā diuertisset, omnibus, quæ secum habebat, exutus, vrbéq; eiectus fuisse dicitur: at cùm Deo vlciscente sancti iniuriam, repentino tecta incendio conflagrare cœpissent, reuocatus oratione, flammas extinxit. Quo miraculo malignitas hominum in munificentiā versa, plurima offerebat dona: ipse verò nihil accepit præter ea, quæ, sibi modò per vim erepta fuerant, vt gratuitò potius inimicos suos, quàm mercede diligere videretur. ibidem.

De Mauro abbate.

Mauro Abbati, qui beato Benedicto in gubernatione successerat, monasterium in agro Andegauensi construenti quidam ex operariis inter se blacterantes, detrahere licentius cœperunt, idipsum monasterij opus non pietati, religionique eius, sed hypocrisi, simulatæque sanctitati deputando. Proinde Satanæ traditi, vnus qui criminis causa, & caput fuerat, instanter expirauit: reliqui miserabiliter à dæmonio vexati sunt: Mauro autem pro illis cū lachrymis deprecante, & mortuus reuixit, & qui nequitiæ spiritu agitabantur, liberati sunt. Non enim solet ad indignationem moueri quisquis etiam laudari contemnit. ibid.

De Apollonio Monacho & martyre.

Hinc etiam Apollonius monachus & Martyr, cùm in

carcere detineretur, & Philemon Choraules omnibus eũ opprobriis oneraret, suspirans, Fili, inquit, misereatur tui Deus, & nihil horũ quæ modò in me obloquendo effudisti, reputet ad peccatum. His verbis ille corde compunctus, & fidem quam persequebatur suscepit, & non recusauit martyrium. ibid.

De Vitallio Alexandrino Monacho.

Vitallius Alexãdrinus Monachus hominem, à quo alapam acceperat, statim à Dæmone arreptum volutatim humi iactatum, dum pro illo orasset, omni prorsus molestia expediuit. Iam facilis exauditio nónne apertè declarat quanti apud Deum momenti sit erga inimicos charitas? ibid.

De Ioanne Eleemosynario Episcopo.

Memorabilis admodum & Ioannis Eleemosynarij Episcopi contra iniuriam gratia. Conquerenti nepoti de villico conuitiatore, respondit se ita in eũ vindicaturum, vt nemo non miraturus sit. Accersitúmque villicum annuis pensionibus liberum fecit, docens hoc exemplo nepotem, iniuriam hominum haud secus vindicandam esse, ab his præsertim qui Deo, non sibi placere student. ibid.

De eodem.

Idem cùm à quodam mendico pro data eleemosyna contumeliam recepisset, clericos in eum insurgentes cohibuit: se in causa esse asserens, quòd petenti minus, quàm indiguerat impendisset, illóq; accito, omnem, quã habebat pecuniam, coram effudit, vt quanta sibi opus esset suo arbitrio sublatã ferret. Alius ab ingrato data repeteret: ille contumeliam passus, datis etiã superaddendũ existimauit. ibi.

De Ioanne Damasceno.

Ioannes Damascenus pro eo, cuius occulta calliditate perfidiæ in Theodosium Imperatorem innocens damnatus dexteram amiserat manum, diu intercessit, ne in dolo deprehensus capite puniretur. Imperator admiratus hominis patientiam, ipsum pro quo rogabatur, interfici vetuit: sed tamen ne tantum scelus omnino impunitum abiret, in exilium ablegari iussit: Sanctum honore affecit, scribæ illi officium, in quo antea fuerat, restituens, cùm eidem manus quoq; redintegrata beatæ virginis beneficio fuisset. Quis acceptam remittere iniuriam arduum putabit, si tantæ offensionis odium tanta repensum est animi benignitate? ibi.

De Samsone Dolensi Episcopo.

Samson Dolensis Episcopus eum, qui sibi veneni poculum propinauerat, spiritu immundo oppressum, miseratus, Deo supplicando sanitati restituit, ad pœnitẽtiam hortatus est, veniã indulsit, viuere illum in æternum cupiens, qui sibi per insidias molitus fuerat necem. sic neque venena incautè sumpta nocere ipsi potuerunt, qui sibi antidotum iam præparauerat perfectæ charitatis. ibid.

De Christina virgine.

Christina virgo & Martyr pro fide ac veritate horrendos constanter perpessa est cruciatus: cùm autem etiam serpentes in eam missæ fuissent, sed mordere omnino nollent, veneficum à quo ad mordendum irritabantur, inuadentes rabidis ictibus, multáq; veneni vi statim interimunt. At Christina sui ipsa carnificis vicem dolens, Christum precata, & serpentes in fugam conuertit, ab eis peremptum ad vitam reuocauit, & eundem iam credentem ad certam beatitudinis spem erexit. ibid.

De Veneranda virgine.

Veneranda Virgo dum pro Christo multis magnísque afficeretur suppliciis, & nunc humi distraßis manibus, pedibúsq; diuaricatis extenta, neruis bubulis cæderetur, nunc sic resupinata grandi lapide ventri aduoluto premeretur, nunc in cacabum sulphure, pice, oleo plenum demersa, subiectis igni-

bus coqueretur, eius, cuius iussu talia patiebatur, propius astantis oculum bulloris aspergine cæcatum terra saliua diluta liniens, reparauit, & ipsum tandem patientia sua superatum Christo credere compulit. Quis conuitium, contumeliam, maledictum non æquo animo ferret, si pro tam grauibus tormentis tam magnum redditum est beneficium? ibid.

DE CHARITATE & indulgentia parentum erga filios, Græcorum exempla.

De Ægæo.

Ægæus procul intuitus nauim, qua filius Theseus ex Creta victor vehebatur, quia non candida essent illi vela, siue cerulea (vt alij memorant) quæ lætitiam & filij incolumitatem testarentur, sed funesta & atri coloris, quæ à principio fuere, Theseum perijsse ratus, ex alta specula in subiectum sese Pelagus præcipitauit. Sabel. lib. 3.

De Solone Atheniense.

Erat Solonis nomen tota Græcia & Asia celebre, quia leges Atheniensibus dedisset. Cæterùm cùm Miletum peregrè venisset, frequentérque cum Thalete (qui & ipse vnus ex septem fuit sapientibus) congrederetur, ac fortè ambo ex consuetudine in publico deambularent, tum ex composito filij mors illi nuntiata est. ad quem atrocem nuntium vir alioqui sapientiæ fama nobilis, consternatus animo repentè sese humo afflixit, capillum & barbam vtraque manu vellicans, fœdánsque iniectu pulueris ora palliúmque cœpit laniare. Ad quod fœdum spectaculum & indignum persona, quam gerebat, cum ex toto foro ingens factus esset concursus, & ipse cum muliebri eiulatu ad satietatem spectatus indecorè iacuisset, tum Thales, cuius opera fuerat is nuntius allatus, Solonem leuiter tangens, Bono, inquit, sis animo, filius tuus viuit: at ex-

periri volui an vxorẽ ducere et filias procreare expediat sapienti viro, vt tibi persuasum est, & ipse magna assertione contẽdis: sed iam (vt iam videre est) non modò conducit, verùm maiorem in modum repugnat, quando ex sapientibus insani fiant filiorum causa. ibid.

De Seleuco Rege.

Quid Seleucus Rex Syriæ? nónne magnum edidit patriæ charitatis exemplum? qui Stratonicem coniugem vnicè dilectam, benéque conuenientem Antiocho filio cessit, posteaquàm iuuenem Erasistrati medici indicio comperit illius forma captum, periturum nisi obuiam iretur. Fuit id non solùm filij vitæ consulere, sed seipsum vincere, quo nihil est magno homine præstantius. ibid.

De Carthaginensium matribus.

Carthaginẽsium matres cùm tertio bello Punico ex omni nobilitate lectissimi adolescentes obsides in Siciliam mitterentur, eos fletu & lamentatione querula, sunt ad naues vsque comitatæ. tũ ex his quædam à filiorum complexibus auulsæ, vbi oram solutam viderunt, nauimque portu egredi, dolore stimulante in subiectos fluctus desiluerunt. ibid.

De Olympiade Magni Alexandri matre.

Olympias Magni Alexandri mater refossa Iollæ (qui filij pincerna fuit) ossa, quia in viuum sæuire non contigerat, dissipari iussit: sic vlta illa est filij mortem, cui venenum miscuisse Iollas ferebatur. ibid.

De Parisate Cyri matre.

Sæuiit Olympias in mortuũ: cæterùm minoris Cyri mater Parysatis multò atrocius insectata est filij interfectores. quorum vnum Charetem decem dies excruciatum à tortoribus priuari luminibus iussit, auribus liquefactũ plumbum infudit: Metroclatem ob eandem noxam duabus scaphis insertũ, sicisq; & melle pastũ, vermibus,

quos corporis excrementa pepererunt, erodẽdum reliquit: Metasabatem postremò ad supplicium raptum, pelle enudatum diuaricatúmque atrociter tribus palis affixit. & Parysatis dum nimis hominẽ amat, quia filiũ, hominem se esse oblita est. ibidem.

De Ariobarzane Rege Cappadociæ.

Ariobarzanes filio suo Cappadociæ regno cessit in conspectu Cn. Pompeij, cuius cùm ipse tribunal conscendisset, inuitatúsque ab eo in curili sella sedisset, postquam filium in cornu scribæ humiliorem fortuna sua locum obtinentem conspexit, nõ sustinuit infra se collocatũ intueri, sed protinus sella descendit, & diadema in caput eius trãstulit, hortarique cœpit, vt eò transiret, vnde ipse surrexerat. Exciderunt lachrymæ iuuenti, cohorruit corpus, delapsum diadema est, nec quò iussus erat, progredi potuit: quódque pene fidem veritatis excedit: lætus erat qui regnũ deponebat, tristis cui dabatur. Nec vllum finẽ tam egregium certamen habuisset, nisi patriæ voluntati autoritas Pompeij affuisset: filium enim & Regem appellauit, diadema sumere iussit, et in curuli sella considere coëgit. Val. Maxim. lib. 5.

De Ptolemæo primo Ægypti Rege.

Ptolemæus primus Ægypti Rex cùm adhuc prospera valetudine vteretur, non solùm regno cessit minori natu filio, verùm tanquàm cum eo stipendia ageret, inter vigiles eius fuit, maiori affectus gaudio, quòd Regis pater quàm quòd ipse Rex esset. B. Cãpofulgosus. lib. 5.

De Agesilao.

Cùm quidã Agesilaum arundini insidẽtem, & cum filio adhuc infante equitantem vidisset, nimiam eius indulgentiam in filium videns, reprehẽdit. Cui Agesilaus, Nunc, inquit, tale: cùm verò & ipse pater euaseris, tunc etiã patres imitaberis. Ælianus lib. 12.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Agrippina Neronis matre.

Agrippina Domitij Neronis mater, dum ambitiosè nimis imperiũ illi astruit, Chaldæos sciscitata, an imperaturus esset filius, futurum comperit, vt is demũ imperaret: verùm ita, vt matrem interficeret. Interficiat, inquit, modò imperet, ibid.

De Romanis matribus.

Sed quàm ambitiosa hæc in filio ornando, tam vna atque altera Romanorum matrum incauta in subito lætitiæ haustu. Multi bello Punico secundo Romanis legionibus ad Transimenum & Cannas cæsis, falso crediti sunt perijsse: erátque nõnulorum vita iam temere deplorata, cùm repentè matribus oblati, tantam lætitiæ molem illarum animis effudere, vt velut subita ruina oppressæ, inter oscula & complexus expirarint. ibidem.

De Antistiæ matre.

Nec illud exiguum maternæ charitatis exẽplum, Antistia mater ob repudium à Cneo Põpeio filiæ missum, mortem sibi consciuit, doloris & ignominiæ impatiens. ibidem.

De Fabio Rutilano.

Fabius Rutilanus quinque consulatibus summa gloria peractis, omnibúsque & virtutis & vitæ meritis stipendiis, legatus ire Fabio Gurgiti filio ad bellum difficile et periculosum conficiendum grauatus non est, penè ipso per se duntaxat animo sine corpore militaturus, vtpote propter vltimam senectutem lectuli otio, quàm labori præliorũ habilior. Idem triumphantis currum, equo insidens, sequi, quem ipse paruulum triũphis suis gestauerat, in maxima voluptate posuit, nec accessor gloriæ illius põpæ, sed autor spectatus est. Max. lib. 5.

De Octauio Balbo.

Sed nescio an Octauius Bal-

bus concitatioris & ardentioris erga filium beneuolentiæ fuerit. Proscriptus à Triumuiris, cùm domo postico clàm esset egressus, idque fugæ expeditũ itinerium haberet: postquam intus filium trucidari falsò clamore vicinæ accepit, ei se neci, quam euaserat, obtulit, occidendúmque militibus tradidit: pluris nimirum illud momentum, quo illi præter spem videre filium incolumen contigerat quàm salutem suam æstimans. Miseros adolescentis oculos, quibus amantissimum sui patrem ipsius opera sic expirantem intueri necesse fuit. ibidem.

De L. Gellio.

Lucius Gellius omnibus honoribus ad censuram vsque defunctus, cùm crimina grauissima de filio, in nouercam cõmissum stuprum, & parricidium cogitatum, propemodum explorata haberet: non tamen advindictam procurrit continuò, sed penè vniuerso Senatu adhibito, in consilium expositis suspicionibus, defendendi se adolescenti potestatem facit, inspectáque diligentissimè causa, absoluit eum tum consilij, tum etiam sententia sua. quod si impetu iræ abstractus sæuire festinasset, admisisset magis scelus, quàm vindicasset. idem cap. 9.

De quodã patre ignoto.

Magnorũ etiam virorum clementibus actis ignoti patris nouæ atq; inusitatæ rationis consiliũ aduiciam, qui cùm à filio nocti sibi insidias comperisset, nec inducere in animum posset, vt verum sanguinem ad hoc sceleris progressum crederet, seductam vxorem suspicans, supplicíter rogauit, ne se vlterius celaret, siue illũ adolescentẽ subiecisset, siue ex alio concepisset: asseueratione deinde eius, et iureiurando se nihil tale debere suspicari persuasus, in locum desertum filio perducto gladium, quem secum occultum attulerat, tradidit, ac iugulum feriendum præbuit, nec veneno nec latrone ei ad peragendum parricidium opus esse affirmãs. Quo facto non paulatim, sed magno

impetu recta cogitatio pectus iuuenis occupauit, continuóque abiecto gladio, Tu verò, inquit, pater viue: & si tam obsequenes es, vt hoc precari filio permittas, me quoque exupera: sed tamen quæso, ne meus erga te amor eo sit vilior, quòd à pœnitẽtia oritur: solitudinem sanguine meliorem pacatioresque penatibus syluas, & alimentis blandius ferrum, ac mortis oblatæ, quàm datæ vitæ felicius beneficium. ibid.

De Catone Seniore.

Catonis Senioris nunquam tantæ, nec tam multæ fuerunt occupationes, vt cùm recens natus Cato filius lauandus esset, omnia nõ relinqueret, vt ipse lotioni semper interesset: cui postea quàm ætas ad discendum idonea fuit, nunquam alium, quàm se magistrum dari voluit: & cùm ab amicis moneretur, vt eam curam alicui erudito seruo traderet, respõdit, ferre se non posse, vt seruum inspiceret filio aures diuellicantem: cùm præterea illud quoque spectaret, ne cuiquam seruo filius literariam institutionem deberet. Qua cura si nunc multi vterentur, quam stultè aucupio et venationibus intenti in aues, aut canes conferunt, non tam sæpe contingeret, vt ex generosa arbore pro pruno arbutei fœtus legerentur. B. Fulg. lib. 5.

De Blauo, ac filio.

Blauus filiúsque à Triumuiris proscripti fuerunt: itaque cùm abire in Siciliam decreuissent, ad maritimam vrbis partem seorsum profecti sunt, vt minus suspecta eorum profectio haberetur: cùm autem falsò pater filium, qui antecesserat accepisset, in Triumuirorum milites incidisse, & ab eis cæsum fuisse, ad ipsos milites vltro se contulit, atque ab eis vt interficeretur impetrauit. ibidem.

De Gordiano Seniore Imperatore.

Gordianus Senior Africæ Proconsul à Pœnis atque exercitu aduersus Maximinorũ cru-

delitatem Imperator creatus, cùm filium eodem, quo ipse nomine contra Capellianum Maximinorum ducē misisset, accepissetque victum eum, atque cæsum fuisse, præ mœroris magnitudine clàm se in cubiculo suspendit. ibidem.

DE SEVERITATE PARENTVM IN filios, Græcorum exempla.

De Artaxerxe.

EVerūt ex numeroso, vt credere est, pellicatu quinquaginta filij Artaxerxi Persarum Regi: hi Darij impulsu, quem pater contra morem gentis viuens Regem constituerat, in senem conurant. Nefarij cōsilij causa inde orta, quòd pellicem vnam Aspasiam nomine petenti Dario negasset pater. facinus ostento simile, quòd in paternam cædem numerosa illa filiorum phalanx conspirare potuerit, nullo discrepante: cæterùm omnis humanæ pietatis immemor pater, Darium concepti sceleris conuictum cū numerosa illa fratrum cohorte extremo affecit supplicio, coniugibus & liberis interfectis, vt ex tanta nuper sobole ne progenies quidem vlla superesset. Nec ipse multùm inde superuixit huic domesticæ cladi, morbo et mærore confectus. Rex felicior quàm pater regnauit annos duos & sexaginta: nonagenarius obiit. Sabel. lib. 3.

De Amyntore.

Vetustior, fama est & magis poëtarū nota fabulis, quàm historica fide nixa: res tamen cognitu non inutilis, potest enim exemplo prodesse. Phœnix Amyntoris filius, qui Achillem ad Troiam comitatus est, matri gratificaturus, patris interfecit pellicē. prætulit Amyntor proprium affectum domesticæ pietati: filiumque dirè execratus domo ac patria pulsum perpetuò multauit exilio. ibid.

De Pausaniæ matre.

Cùm Pausanias Lacedæmonius cum Persis aduersus patriā cōspirasset, atque ab Ephoris ad vrbem reuocatus, animaduertisset illud agi, vt comprehenderetur, in Palladis asylum confugit: vnde cùm religio esset vi eum deducere, decreuerunt Ephori in eo inclusum ad mortem fame compellere. quod eius mater cùm intellexisset, ipsa esse voluit, quæ ante alios ad obstruēdas templi fores materiam perferret, hac enim seueritate in filiū pro patria vti voluit, quanquàm vnicum illū haberet, & is præter multas virtutes, quibus ornatus erat, multas quoque insignes victorias peperisset. B. Fulg. lib. 5.

De Damatria Spartana.

Non minus seuera erga filiū Damatria Spartana fuit, quæ cùm accepisset eum vili atque ignauo animo esse, domū reuersum manu sua occidit. ibid.

De Tigrane Rege Armeniæ.

Tigranes Armenorum Rex in venatione collapso equo, cùm humi iaceret, præsentésque duo eius filij essent, maiorem natu, quia parentem non iuuit, & mortuum arbitratus, diadema eius capite suo cōposuit, statim vt à casu surrexit, interimi iussit, regnumque minori natu filio tradidit, quia & patrē iuuit, & ex casu dolorem se accepisse ostendit. ibid.

De Rege Bysaltidis in Thracia.

Cùm aduersus Græcos innumerabilem exercitum Xerxes duceret, Bysaltidum populorū, qui in Thracia sunt, Rex cùm nullomodo adduci posset, vt eius imperata facere, aut cùm eo aduersus Græcos militare vellet, intra montes in difficillima loca se recepit, quibus nisi longo tempore pelli non posset, his qui in regno remanserant imperauit, ne aduersus Græcos militiam irent: sed filijs spreto paterno imperio Xerxem sequuti sunt. Itaque cùm postea finito bello, sex ex eis domū reuersi, nihil ob eam rem impendere sibi à Rege periculi puta-

rent, ipse ob spretum imperium, ira succensus, omnibus seuerè eruì oculos iussit. ibid.

De Herode Antipa Iudæorum Rege.

Herodes Iudæorum Rex falsis suspicionibus criminatos Aristobolum atque Alexandrum filios, crudeliter in carcere enecari iussit: vt ob eam rem non immerito Augustus diceret, malle se Herodis porcum, quàm filium esse. Nam propter Iudæorum legem sue non vescebatur, filios autem crudeliter occiderat. ibid.

De Vssuncassano Persidis atque Armeniæ Rege.

Vssuncassanus Persidis atque Armeniæ rex Masubeum filium secum semper in vinculis duxit, atque ad extremum mori coegit, quia cum matre ipsius Gurlumonech, quæ ab eo descciuerat, sensisse dicebatur. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Iunio Bruto.

IVnius Brutus Romanæ libertatis assertor duos adolescentes filios publicè interfecit proditionis conuictos, quod de Regibus, quos ipse eiecerat, in vrbem reducēdis cum Æquillius & Gellius consilium agitassent. Magnum fortunæ ludibrium, vt ab ea domo vnde Romani populi nuper orta erat libertas, sit propemodum extincta. Sab. lib. 3.

De Manlio Torquato.

Manlius Torquatus filium securi percussit Latino bello, quòd contra imperium in hostē dimicasset. Nec profuit iuuenti, quòd victor, quòd hostilibus ornatus spolijs ad patrem rediisset: valuit plus imperij maiestas apud Manliū, militarisque disciplina, quàm paterna pietas, aut filij strenuitas. ibid.

De Cassio.

Cassius filium, qui Trib. plebis Agrariam legem primus tulerat, multisque alijs rebus populariter animos hominum amore sui deuinctos tenebat:

postquam illam potestatem deposuit, adhibito propinquorum & amicorum consilio, affectati regni crimine, domi damnauit, verberibusque affectum necari iussit, ac peculium eius Cereri consecrauit. Max. lib. 5.

De A. Fuluio.

Aulus Fuluius filium iuuenem & ingenio & literis & forma inter æquales nitentem, primo consilio amicitiam Catilinæ secutum, inque castra eius temerario impetu mentē, in medio itinere abstractum, supplicio mortis affecit: præfatus non se Catilinæ illum aduersus patriam, sed patriæ aduersus Catilinam genuisse. Licuit, donec ciuilis belli rabies præteriret, inclusum arcere: verum illud cauti patris narraretur opus, hoc seueri refertur. Sed vt hanc incitatā & asperem seueritatem mitiores relatu patrum mores clementiæ suæ mixtura temperent, exactæ pœnæ concessa venia iungatur. ibidem.

NOSTRORVM exempla.

De Trebellio Bulgarum Rege.

TRebellius, qui primus Christiani nominis Bulgariæ Rex fuit (est olim hæc Macedonia dicta) monasticam sequutus vitam, filio Christiana pietate imbuto regnum per manus tradidit: relabitur hic paulò post in malorum dæmonum cultum. quod vbi exploratum habuit Trebellius regni gubernaculo denuo assumpto, impium filium luminibus priuauit, regnique turela in fratrem, qui minor erat, subitò translata, sese in ordinem redegit. Sabel. lib. 3.

De Lenogildo Gotthorū Rege in Hispania.

Lenogildus Gotthorum Rex in Hispania Arriana hæresi laborabat, eámque verā fidem esse rebatur: cùm autem sciuisset Hermogildum filium ex Arriano catholicum effectum,

idque vxoris Nigegundæ Childerici Gallorum regis sororis, item Leandri Hispalensis Episcopi suasu egisse, arbitratus eũ vehementer errasse, cùm seuerè fidem suam tueri vellet, crudelissima morte affecit. Baptista Fulgo.lib.5.

De Clothario Gallorum Rege.

Seuerus in filium fuit Lenogildus, sed Clotharius Gallorũ Rex sæuissmus habitus est. Nãcũ Vasconibus, Aquitanisque Cramirum filium præfecisset, & is iuuentæ feruido ingenio actus, neque amicorum monita audiret, & patris potestatem, atque imperium aspernaretur, & ob eam rem palàm ab eo rebellasset, Clotharius pater aduersus eum cum ingenti exercitu profectus, cedere vsque in Morinos Venetósque, siue, vt præsentia nomina sunt, in Britones filium coëgit. illic demum victus captúsque & vnà vxor, ac liberi eius statim Clotharij iussu simul colligati, in pastorali casa viui, spectante patre, cõbusti sunt: cum eum neque paterna charitas, neque innocentium nepotum tenera ætas, quæ permultùm tangere auorum corda solet, vlla in parte commoueret. ibid.

De Hirene Augusta Imperatrice.

Hirene quoque Augusta Constantinopoli nimis seuerè acceptã à Constantino filio iniuriã vlta est. Nam cùm eam filius ab administratione Imperij deiecisset, in qua post Leonis quarti viri sui morte simul cum filio perseuerauerat: contigit vt postea filius cùm malè rempublicam gereret, à populo in vincula cõyceretur, & Hirene mater imperio restitueretur. Itaque carcere manẽti mater effodi oculos iussit, vbi præ dolore is haud diu superuixit. Hinc quæ sit fœmineæ ambitionis impetus, intelligi potest: cùm matrẽ eius oblitã pietatis, quam ei natura erga liberos indidit, in vnicum filium, vt tam crudeliter sæuiret, impulit. ibidem.

De Deutera Gallorum Regina.

Deutera Gallorum Regina cùm vidua esset, Theodeberto Gallorũ Regi nupsit, secúmque formosissimam ex primo viro susceptam filiam duxit, suspicata Theodebertum ad hanc animum adiecisse, nulla adhibita cura, vt certior esse posset, interimi puellam iussit: leuissimæq; suspicioni, qui tam potens esse consueuit maternus amor cessit. ibidem.

De Friderico secundo Imperatore.

Nónne immanis illa quoque seueritas fuit, qua Fridericus secundus Imperator erga filiũ Henricum vsus est? eum enim in carcere peremit, suspicatus sentire cum Georgio Pontifice, quocum Fridericus ipse bellum non sine magna odij acerbitate gerebat. ibidem.

De Carolo Caluo Gallorum Rege atque Imperatore.

Carolus Caluus Gallorum Rex atque Imperator luminibus filium Carlonem priuauit: quia iam ad diaconatum euectus, abiicere ordines sacros atque rebellionem spectare videbatur. ibidem.

DE CHARITATE & pietate filiorum erga parentes, Græcorum exempla.

De Aenea.

AEneas, siquid eminentissimus Vates ad fidem scripsit, Anchisem patrem tam piè coluit, vt capto Ilio, per medios hostes & flammas humeris impositum, in Idã vsque montem tulerit, magis inter eũdum grato oneri timens, quàm sibi, aut filio, aut Creusæ coniugi, quæ euestigio sequebatur. Sabel. lib. 3.

De Cimone Athenienſi.

Quid Cimon Athenienſis? qua & ipse pietate censendus,

qui vt Milciadem patrem publice damnatum vinculis eximeret, vltro sese carceri obtulit, mortem (vt credere æquum est) libens oppetiturus, modò patrem periculo seruaret? ibidem.

De Antigono Demetrij filio.

Extitit & in Antigono Demetrij filio nihil obscura pietas, qui patris morte nuntiata, in Syriam nauigauit, eiusque cinere aurea vrna inclusos Corinthum insigni nauium apparatu ad tibiarum cantum deportauit. ibid.

De Scythis.

Scythæ, Dario totis regni sui viribus in eorũ regionibus subinde impetum faciente, paulatim cedentes ad vltimas iam solitudines peruenerant: interrogati deinde ab eo per legatos quem fugiendi finem, aut quod initium pugnandi facturi essent, responderunt se nec vrbes vllas, neque agros cultos pro quibus dimicarent habere: cæterùm cùm ad parentum suorũ monumenta venissent, sciturum quemadmodum Scythæ prælia ri solerent. Quo quidem vno tãpio dicto immanis & barbara gens ab omni sẽ feritatis crimine redemit. Prima igitur & optima rerum natura pietatis est magistra, quæ nullo vocis ministerio, nullo vsu literarum indigens, propriis ac tacitis vtibus charitatem parentum liberorum pectoribus infundit. Quid ergo doctrina proficit? vt politiora, sed non vt meliora fiant ingenia: quoniam quidem solida virtus nascitur magis, quàm fingitur. Max. lib. 5.

De filio Cræsi.

Pietas etiam Cræsi filium loquendi vsu defectum ad protegẽdam patris incolumitatem ministerio vocis instruxit. Captis enim à Cyro Sardibus, cùm vnus e numero Persarum ignarus viri in cædem eius concitato impetu ferretur, velut oblitus quid sibi nascenti fortuna denegasset, ne Cræsum Regem occideret, proclamãdo, pene iam impressum mucrone iugulo reuocauit. Ita qui ad tempus mutus sibi vixerat, saluti parentis vocalis factus est. ibid.

De quodam iuuene dicto Plutone.

Eadem charitas Italico bello Pinensem iuuenem, cui Plutoni erat cognomen, tanto animi corporisque robore armauit, vt cùm obsessæ vrbis suæ claustris præsideret, & Romanus Imperator patrem eius captiuum in conspectu ipsius constitutum districtis militũ gladiis circumdedisset, occisurum se minitans nisi irruptioni suæ iter præbuisset, solus è manibus eorum senem rapuerit: duplici pietate memorandus, quod & patris seruator, nec patriæ fuit proditor. ibid.

De Artaxerxe primo Persarum Rege.

Artaxerxes primus Persarum Rex Statyram coniugem ardenter diligebat, quam etsi norat matris Parysatæ fraude veneno extinctam esse: tamen penes eum maritalem amorem materna pietas vicit, adeóque matris iniuriam dissimulauit, vt non modò de vlciscendo eius scelere nihil loqueretur, sed ne minimo quidem nutu offensæ voluntatis ei signum dederit. Baptista Fulg. lib. 5.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Manlio Torquato.

Manlius qui à torque Gallo hosti adempto primus tulit Torquati cognomen, Manlio patri suo ad populum reo tempestiuè opitulatus est. Erat huic dies à Tribuno plebis dicta, quod filium adolescentem ingenuum rus velut in ergastulum ablegasset. Id posteaquàm est filio nuntiatum, sub lucem ferro accinctus in vrbem venit, decretóque petijt Tribuni domũ, qui diem patri dixerat, ad quem tanquam accusator non vltor admissus, vbi per speciem secreti solus est solum adeptus, manu faucibus iniecta, stringit ferrum, iugulóque admouet tacentis, Morieris, inquit, nisi iureiurando promise-

ris Manlij patris causam depositurum, ab eóque ad populum vexando temperaturum. Quo Tribunus periculo subactus in eius verba iurauit, & quod iurauit præstitit: magno, claróque testimonio pietatis in filio erga patrem, quam vel iniqui laudarint. Sabel. lib. 3.

De Superiore Africano.

Eadem pietas viribus suis inflammatum Africanum Superiorem vix dum annos pubertatis ingressum, ad opem patri in acie ferendam virili robore armauit. Consulem enim eum apud Ticinum fluuiũ aduersis auspiciis cum Annibale pugnantem saucium grauiter, intercessu seruauit suo: neque illum aut ætatis infirmitas, aut militiæ tyrocinium, aut infelicis prælij etiam veterano bellatori pertimescendus exitus interpellare valuit, quominus duplici gloria conspicuus, coronam, Imperatore simul et patre ex ipsa morte rapto mereretur. Auribus ista tam præclara exẽpla Romana ciuitas accepit, illa vidit oculis. Max. lib. 5.

De C. Flaminio.

Apud C. quoq; Flaminium autoritas patri æquè potẽs fuit. Nam cùm Trib. Pleb. legem de Gallico agro viritim diuidendo inuito & repugnante Senatu promulgasset, precibus minisque eius acerrimè resistens, ac ne exercitu quidem aduersus se conscripto, si in sententiam perseueraret, absterritus. Postquam pro Rostris ei legem iam referenti pater manum iniecit, priuato fractus imperio descẽdit è Rostris, minimo quidem murmure destitutæ concionis reprehensus. ibid.

De Claudia virgine Vestali.

Magna sunt hæc virilis pietatis opera, sed nescio an his omnibus valentius & animosius Claudiæ Vestalis virginis factum, quæ cùm patrem suum triumphantem è curru violenta Trib. Pleb. manu detrahi animaduertisset, mira celeritate vtrisque se interponendo, amplissimam potestatem inimicitiis accensam depulit. Igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterũ filia in ædem Vestæ tulit: nec discerni potuit, vtri plus laudis tribueretur, cui victoria, an cui pietas comes aderat. Ignoscite vetustissimi foci, veniámque æterni date ignes, si à vestro sacratissimo templo ad necessarium, magisque speciosum vrbis locum cõtextus operis nostri progressus fuerit. Nulla enim acerbitate fortunæ, nullis sordibus pretiũ charæ pietatis euilescit: quinetiam eò certius, quò miserius experimentum habet. ibi.

De amore filiæ erga matrem.

Sanguinis ingenui mulierem Prætor apud Tribunal suũ capitali crimine damnatã Triumuiro in carcere necandam tradidit, quam receptam is qui custodiæ præerat, misericordia motus, non protinus strangulauit, aditum quoque ad eam filiæ, sed diligenter excussæ, ne quid cibi inferret dedit: existimans futurum, vt inedia consumeretur. Cùm autem iam dies intercederent, secum, ipse quærens, quidnam esset, quod tam diu sustentaretur, curiosius obseruata filia, animaduertit illam exerto vbere famem matris lactis sui subsidio lenientem: quæ tam admirabilis spectaculi nouitas ab ipso ad Triumuirum, à Triumuiro ad Prætorem, à Prætore ad Consulum iudicium prolata, remissionem pœnæ mulieri impetrauit. Quò non penetrat, aut quid non excogitat pietas, quæ in carcere seruandę genitricis nouam rationem inuenit? quid enim tam inusitatum, quid tam inauditum, quàm matrem vberibus natæ alitam esse? putauerit aliquis hoc contra rerum naturam factum, nisi diligere parentes prima naturæ lex esset. ibidem, & Sabel. lib. 5.

De Opij ciuis Romani filio.

Opius ciuis Romanus à Triũuiris proscriptus, cùm nimio se-

nio debilitatus esset, & filium haberet, qui domi manere poterat, maluit filius cum vitæ suæ periculo patrem debilitatum morti, quæ domi parata fuisset, eripere sublatum. igitur in collum magno labore ab vrbe tulit sub mendici specie latentem: atque cum eo in Siciliam peruenit, vbi Sextus Pompeius proscriptos omnes recipiebat. Tandem hac singulari pietate in parentem à populo Romano patriæ restitutus, insuper Ædilis quoque factus est. Baptist. Fulgo. lib. 5.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Cheldiberto & Clotario Francorum Regibus.

CHeldibertus et Clotarius fratres regia Francorum stirpe orti, atque ipsi Reges cùm de regni possessione inter se armis decertarent, essentque acie dimicaturi, Chrotochildis matris interuentu primò ferrum inhibuere maternis precibus & lachrymis moti, inde nō solùm prælio abstinuerunt, sed concordes facti, mutuo se complexi sunt. Sabel. lib. 3.

De Leone Imperatore.

Leo Imperator Constantinopolitanus imperium à Leone auunculo per manus acceptum, cùm pacatè regeret, otióque & opibus floreret, Zenoni Isaurico patri suo sponte tradidit habendum: indignum (credo) ducens ac nefarium imperare, vbi pater priuatus ageret. ibid.

De Rosimunda Baldoini Regis vxore.

Habent & mulieres illustres in hac parte sua exempla, nec adeò vetusta, & ob id fortassis iucūdiora relatu. Iunxit sibi vxorē Baldoinus Longobardorū rex Comūdi Lepidarū regis filiam, quem bello victum interfecerat, misitque huic regio cōuiuio admotæ, cùm forte veronæ esset, incaluissétque vino, Comundi patris caluam, qua more gentis pro poculo solennibus conuiuiis vtebatur: iussúque est minister Reginam hortari, vt cum patre biberet: perstrinxit Rosimundæ animum (id enim fuit illi nomen) intempestiua paternæ cædis exprobratio, vltionémque secum meditata, virum haud multò post domestica fraude sustulit, subornato illi percussore. ibidem.

De Rusticana.

Si non tam atrociter, non minus piè tamen Rusticana Romana mulier vlta est patrē Symmachum, quem Theodoricus Rex Gotthorum cū Boetio eius genero interfecit. fuit hæc post regis interitum suis ciuibus auctor, vt ad abolendam barbari memoriam eius statuæ tollerētur è medio: id postea facinus maiestatis accersita apud Totilam eiusdem gentis regem, nō solùm non inficiata est, sed tam constanter etiam confessa, vt nihil æquè illi profuerit ad salutem, ac constantia, quam Barbarus miratus, etsi causam improbaret, tantam tamen indolem venia dignam sensuit. ibid.

De Alexio Constantinopolitano.

Cùm Isaac Constantinopolitanus Imperator ab Alexio fratre imperio luminibúsque simul priuatus esset, Isaaci filius, & ipse Alexius nomine Balduini, atque aliorum principum qui ea tempestate ad Syriacam expeditionem pro Christi fide proficiscebantur, ope adiutus, armis imperium recuperauit. Et quanquam eum omnes Imperatorem salutarent, eo nomine abstinuit, eductúmque è carcere patrem in consuetum honorem restituit, atque imperatoriam dignitatē paternæ charitati postposuit. B. Fulgosus li. 5.

De Bernardo Carpio.

Alphonsi secundi Legionensi Regis, qui cognomento Castus dicebatur, Vermena soror cùm clā fratre Comiti Sanctio Sātillanensi nupsisset, atq; ex eo filiū peperisset nomine Bernardū Carpium, Rex sororis matrimonio

vehementer perturbatus, eam inter virgines monasterio inclusit, Comitem Sanctium perpetuo carceri damnauit, natum autem ex eis filium amanter aluit. qui cùm in virũ magna præditum virtute euasisset, meritis atque obsequio primùm liberare patrem enixus: vt id nõ succedere conspexit, Mauris coniunctus, quid armis efficere posset tentauit: neque vnquam viuente Alphonso destitit, neque intermissa vnquam post eum ea opera cum Veremundo primo, Ramyro primo, et Ordonio primo, qui omnes eo ordine in Legionensi regno successerunt. tandem regnante Alphonso tertio armis patrem recepit, iam non decrepitum modò, sed cæcũ quoque, tantum penes filium paterna valuit charitas. ibid.

De quodam Hispano Toletano.

Inter tot insignium virorum charitatis erga parentes exempla vnum Toletani hominis annectemus, in quo quod fortunæ defuerat, id rei magnitudo æquauit. Huius pater aurarius faber à Petro primo Castulonis rege ob falsas suspiciones morti damnatus erat. filius amore erga patrem compulsus, lachrymis precibúsque agere non destitit, vt seruato patre, ipse pro eo occideretur. quod assequutus, vitam amisit, vt in vita eum seruaret, à quo ipse per genituram acceperat vitam. tãto omnibus in hac laude præferendus, quãtò cæteris rebus vita charior est. ibid.

DE CHARITATE FRATRVM, GRÆCORUM exempla.

De Agamemnone.

Agamemnon Atridarum natu maior (vt proditũ est) totã armauit Græciam, decémque annos ad Troiam bellauit, ne minor frater adeptam coniugem sine vindice suspiraret. Sabel. lib. 3.

De Intaphernis coniuge.

Intaphernis vnus ex Darij

sociis, qui Persarum regnum à Magis fratribus furto occupatum armis vindicarunt: is post summam rei Dario delatam, cùm à cubiculi ministro Regem adire prohiberetur, ira percitus, aures illi & nasum abscidit, éstque ob eam noxam Intaphernis cum omni virili stirpe ad supplicium arreptus. Iacuit eius vxor plures dies ante Regis ianuam miserabiliter prouoluta cum lachrymis, & flebili lamentatione: cuius afflictionẽ miseratus Darius, misit illi qui nuntiarent, vt vnum ex his, qui interficiendi essent, sibi deposceret: futurum, vt illius, quem incolumen vellet, ipsius lachrymis vitam condonaret, vt vnus aliquis seruatus futuræ esset orbitatis leuamen. Nemo fuit cui non persuasum esset fore, vt amantissimi coniugis aut vnius filiorum vitam sibi optaret. sed mulier fratrem depoposcit. Cæterùm iussa à Rege dicere quid esset, quod fratrem tantùm viro & filiis prætulisset, Sum, inquit, ego, Rex, iuuenis adhuc, possúmque proinde iterum & nubere, & parere, frater parentibus senio confectis si ademptus sit, restitui non potest. Qua voce Rex vehementer commotus, nõ fratrẽ solùm, sed & filium natu maximum illi restituit. ibidem.

De Eumene atque Attalo Asiæ Regibus.

Orta falsa fama, Asiæ Regem Eumenem Persei insidiis mortuum esse. Attalus frater sumpto diademate, vxorẽ eius in matrimoniũ duxit: sed cùm postea Eumenes rediret, Attalus autem obuiam profectus, vt veniẽtem exciperet, timoris expers non esset, ob ea quæ falsa inductus fama egerat, Eumenes minime se commotum ostẽdens, summissa voce Attalo in aurem dixit, Nolito aliàs vxorem ducere, nisi antè certo scieris, qui mortuus fuerit. Cæterùm cùm haud diu post moreretur, etsi ex vxore filium procrearat, fratri tamen Attalo vxorem regnúmque reliquit: Attalus autem ne fraterna

charitate vinceretur, etsi ex vxore multos postea procreauit liberos, vnum tamen ab Eumene relictum in spē regni aluit, & vt aptum regendo vidit, regno ei cessit, diúque post hoc priuatam egit vitam, horũ enim fratrum pietas apertè fraterna benuolentia maius nihil esse ostendit, cùm postpositis propriis filiis regno inuicem liberaliter cesserit. Baptista Fulgosius. libro 5.

De Dytento & fratre Cappadocibus.

Cùm Adiatorigem Cappadocem Regulum cum vxore liberisque Augustus bello cepisset, Romámque in triumphum duxisset, decreuit, vt cùm maiore natu filio pater occideretur. Quamobrem cùm ministri ad hanc rem designati peterẽt, quis ipsorum fratrum natu maior esset, vehementer inter se cõtendebant, vtroque maiorem se esse asserente, vt alterum fratrem morte sua seruaret. & cùm diu in hunc modum pietate inter se contendissent, vix tandem Dytentus matris precibus, quæ per eum facilius se ali posse videbat, cessit; tulitque vt pro se minor, tanquàm natu maior moreretur. Re postea ab Augusto intellecta nõ modò factum indoluit, verùm etiam illum, qui superstes fuerat, cum matre honestè habuit. tantum reuerentiæ & bonæ existimationis etiam inter ipsos hostes hoc fraternæ charitatis sanctum nomen comparare solet. ibidem.

De Iazate Adiabenorum Rege.

Iazates Adiabenorum Rex, quanquàm quatuor & viginti filiorum pater esset, vni tamen moriens, Monabazo fratri regnum reliquit. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Africano maiore.

FVit Maioris Africani erga Lucium fratrẽ non vul

garis affectus: cui, vt extra sortem Anthiocus & Syria prouincia decerneretur, ad bellum graue & laboriosum gerendũ, legatum sese illi obtulit. Sabel. lib. 3.

De Tiberio Cæsare.

Celebris & Tiberij Cæsaris pietas in Drusum fratrẽ, cuius in Germania extincti Romam vsque pedibus mœstus et squalore obsitus est cadauer prosecutus magno amoris testimonio in viuũ, sed maiore aliquãto pietatis in defunctum. ibid.

De Publio Rutilio.

Publius Rutilius leui morbo impeditus adeò de fratris dignitate solicitus fuit, vt in petitione consulatus audita eius repulsa, cõtinuò animam efflauerit. ibid.

De Claudia Vestali.

Claudia Vestalium vna, quia frater à Tribunoplebis triumphare prohiberetur, cum eo currum ascendit, sacerdotio freta: cessit sacrosanctus magistratus religioni, quæ eo die verius, quàm Imperatoris virtus triũphauit. ibidem.

De M. Fabio Consule.

Marcus Fabius Consul inclyta pugna Hetruscis & Veientibus superatis, delatũ sibi summo Senatus populique studio triumphum ducere non sustinuit: quia eo prælio Q. Fabius frater eius Consularis fortissimè dimicans occiderat. Quantam in eo pectore pietatem fraternæ charitatis habitasse existimemus, propter quam tantus amplissimi ordinis fulgor extingui potuit? Max. lib. 5.

De quodam milite Cn. Pompeij.

Miles quidam in castris Cn. Pompeij stipendia peragens, cùm Sertorianum militem acrius sibi in aciem instantem cõminus interemisset, iacentémque spoliaret, vt fratrẽ germanum esse cognouit, multùm ac diu cõuitio Deos ob donũ impiæ victoriæ insequutus, prope castra transtulit, & pretiosa

veste opertum rogo imposuit: ac deinde subiecta face protinus eodem gladio, quo illum interemerat, pectus suum transuerberauit, seque super corpus fratris prostratum, communibus flammis cremandum tradidit. Licebat ignorantiæ beneficio innocenti viuere, sed vt sua potius pietate quàm aliena venia vteretur, comes fraternæ neci non defuit. ibid.

De L. Lucullo.

L. Lucullus Senator Romanus quanquàm natu maior, quàm Marcus frater, fraterna charitate compulsus præter consuetũ Romanorum morem nunquàm magistratum petere voluit, donec ad legitimam ætatem petendi frater peruenisset: propter quam rem absentes ambos populus Romanus Ædiles creauit. Bap. Fulgosus lib. 5.

De Catone Iuniore.

Cùm in Asia esset Iunior Cato, & fratrem Cepionẽ in Asiam venientem accepisset, Thessalonicæ graui affectum valetudine substitisse, etsi hyems sæuiebat neque satis idoneam haberet nauem: tamen vrgente fraterna pietate cum duobus solis comitibus mari hyberno se tempore credidit, & ad visendum fratrem perrexit: quem cùm mortuum offendisset, non satis duxit ingentibus lachrymis (fortasse plus quàm Philosopho homini æquum esset) prosequi funus ingenti apparatu, atque impensa procurauit, neque eam impensam cum nepote in diuidenda hæreditate computauit. ibidem.

De duobus proscriptis fratribus.

Insigni duos proscriptos fratres inter se charitate fuisse Appianus scribit, quorũ alter cùm à militibus captus esset, alter, qui se proscriptum ignorabat, ad eos profectus, magnis precibus orabat, vt demisso fratre, se pro eo occiderent: verùm vt cognouerunt ipsum quoque proscriptũ esse, vtrúnque interemerunt. ibidem.

De

De Tito Vespasiano Imperatore.

Titus Vespasianus Imperator quanquam sciret fratrem de se immodestè loqui, exercitúsque ad rebellionem solicitasse, tamen ob id in minore eum existimatione non habuit, neque ab aliis haberi voluit: consortem eum, ac successorem imperij appellans. cùm præterea seorsim ab aliis habitum non sine lachrymis, atque magnis precibus obtestaretur, vt in se eo amore esse vellet, quo ipse eũ prosequebatur. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Luiba Gotthorum Rege in Hispania.

Liuba Gotthorum Rex in Hispania secundo regni sui anno Leonegildũ fratrem hæredem ac successorem regni cõstituit, & aliquod tempus ante obitum seruata sibi tantũ Narbonensi prouincia reliquis regni partibus ei cessit. Bapt. Fulgosus lib. 5.

De Ramiro primo, qui decimus in Hispania post Arabum aduentum regnauit.

Nonne Ramirus quoque fratris sui Garsiæ amans fuit? cui cùm in Hispaniæ regno iam ex parte de Arabũ manibus recepto (quia primogenitus erat, vt mos est) antelatus fuisset, sponte sua regni socium asciuit, cùm plus apud eum regni in communicatione fraternus amor, quàm ambitio posset: quæ non fratrum modò, sed parentis quoque filiorũ extinguere charitatem solet. ibidem.

De Heliodoro, qui Pius dictus est, Britannorũ Rege.

Heliodorus à Britannis fratri Archillago suffectus, quem populi ob nimiam crudelitatẽ, atque auaritiam regno pellere coacti fuerant, in sylua venationi intentus, in ipsum fratrẽ incidit: in quo afflictam fortunam lacera vestis, squalórque satis testabatur. quem vt agno-

k

uit, quanquàm sciret antea vi atque arte enixum, vt in regno restitueretur: tamen amanter complexus, occultè in Aldeludum vrbem deduxit, vbi simulata ægritudine tanquàm testamento suas atque regni res ordinaturus, regni proceres ad se vocauit. Et cùm singulos priuatim alloqui velle ostendisset, captis, vt in cubiculum singuli ingrediebantur, omnibus mortem interminabatur, nisi fratri pepercisset, & assentirentur, vt per ipsum in regno restitueretur, & cùm omnes per hunc modum in sententiã deduxisset, rem postea coram omnibus aperuit. atq; Archillagum in regnum restituit, cui & iustè post paucos annos mortuo & cum ingenti gloria successit. ibidem.

De Cicho Ordelapho.

Ingens quoque Cichi Ordelaphi Foroliuiensis fraternus amor erga fratrem suum Scampettam, qui captiuus in Regis Roberti manu in Castricari arce custodiebatur, Forumliuij quoque vrbem idem Rex obtinebat, quo tempore vinario vase latens Cichus curru in vrbẽ, bubulco rem ignorante, deductus est, amicorúmque ope adiutus, per hunc modum vrbe potitus, magno auri põdere fratrem redemit, atque ei statim vrbis principatum restituit. Quantum ei Pinus frater dissimilis fuit, qui salutis anno quadringentesimo septuagesimo sexto post mille Cicho fratre principatu deiecto causa fuit, vt Foroliuiẽsis res ĩ externorum manus peruenerit. ibi.

DE ODIO FRAtrum & domestica discordia, Græcorum exempla.

De Eteocle & Polynice.

ARmauit dura regni cupiditas Eteoclem & Polynicem fratres, vt alter alterũ auito solo & patrio deturbaret. Nec hactenus malum quieuit, de summa quoque rei armis inter illos dimicatum. Verum dum ambo vincunt, vterque victus est: mutuis ambo vulneribus confossi, seipsos & regnum prius à patre perditũ perdidêre. Sabel. lib. 3.

De Cambyse Rege & fratre.

Fuit eadem pestis Persicis rebus aliquando exitio. Nam Cãbyses Cyri filius dum virtutẽ & robur fratris plus nimio odit, capitalitérque huic, quem oderat insidiatur, nequissimis seruis fecit aditum ad suũ absentis regnum occupãdum, fratre è medio sublato, excidit itaque regno sua potius, quàm fratris culpa: & dum domesticã fidem ferre non potest, alienam tulit perfidiam. ibidem.

De domestica duorum Regnorum discordia.

Conuulsa sunt duo finitima regna, ac grauiter affecta domestico hoc veneno, Ptolemæorũ regia in Ægypto, & Antiochi successorum in Syria. Fœdissimis vtraque domus cædibus, tragicisque exemplis ob intestinam discordiam sigillata. Et in his Reginarum scelera, quæ seuitia & omni monstrorum genere ne viris quidem posthabendæ sint: sed Cleopatra omniũ teterrima: fuit hæc vna ex his, quæ vetustiore memoria in Ægypto Reginæ nomen tulerunt, matrem hæc toro expulit: filias viduas fecit alterno fratrum matrimonio: virilis stirpis liberos vnum in exilium egit, alterum interficere conata est: cui postea suorum scelerum debitas exoluit pœnas. ibidem.

De eodem Regno.

Huius filia Seleuce Cleopatram sororem in Syria occidit, inuito renitentéque marito: & quod omnium maximè fuit detestabile, quia à simulachrodeæ, ad quam confugerat, non poterat Regia mulier abstrahi, brachia iussit amputari. Polluit eandem regiam altera Cleopatra, quæ Antiocho nupsit, filij cæde, quem interfici iussit, quòd non autor ab eo facta esset recepti diadematis: alteri venenũ miscuit: sed exitium, quod al-

teri parauerat, in eius caput vertit, id à filio bibere coacta. ibidem.

De Aristobolo & fratre.

Sed nullam magis domum afflixit id malum, quàm Aristoboli Iudæorũ Regis & fratris: qui dum inter se hostiliter de regno disceptant, regnũ & vrbem, in qua nati erant, perdiderunt: & quod malorum cumulo accessit, augustissimũ templũ quod in vrbe fuit, bello prophanatum est, magnáque ex parte dirutum. ibid.

De duobus fratribus filiis regiis.

Scipione Africano patris & patrui memoriam gladiatorio munere Carthagine noua celebrante, duo regij filij nuper patremortuo, in arenam processerunt, pollicitique sunt ibi se de regno præliaturos, quò spectaculũ illud illustrius pugna sua facerent. Eos cũ Scipio monuisset, vt verbis contendere, quàm ferro dimicare mallent, vter regnare deberet, ac iam maior natu consilio eius obtemperaret: minor corporis viribus fretus in amentia perstitit, initóque certamine pertinacior impietas fortunæ iudicio morte mulctata est. Max lib. 9.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Tarquinij Regia.

TVlit Romana regia dissidium satis per se atrox & calamitosum: sed exitu impiũ ac dirum. sustulerunt minor Tullia & maior Tarquiniorũ, fratrem hic, illa sororem, vel potius vterque coniugem. Idem furor Regem senio confectũ solio deturbatum Curia deiecit, deiectum & exanimem impiæ filiæ calcauit currus: verùm soceri manes à genero breui pœnas exegerunt, patris vmbra à scelerata Tullia: ambo enim cũ filiis regno eiecti, exulare coacti sunt, regnúmque malè partum maximo omnium exemplo amiserunt. Sabel. lib. 3.

De Antonino & Geta fratribus.

Maxima fuit inter Antoninum & Getam fratres Imperio Romano discordia: tanta quidem (vt refert Herodianus Græcus) vt alter alterum veneno nonnunquam intercipere tentauerit: nihil insidiarum inuicem intermittebant. Non eos eorum mater Iulia potuit vnquam in gratiã restituere: & ad extremum impatiens Antoninus, atque totius imperij cupiditate motus, omni periculo, spéque posthabita, quouis modo deliberat magnum aliquid vel facere vel pati: ferrũ & cædem molitur. ingrediens ergo fratris cubiculum, eum nihil tale præstolẽtem supra matris pectus nequiter obtruncat. Guido Exemplorum lib.

DE CHARITATE erga patriam, Græcorum exempla.

De Aristide & aliis.

Aristides vir alioquin iustissimus ab officio deflexit pro patriæ salute: et Cratisdia Cleomenis mater vltro pro patria se obsidem cum nepotibus obtulit: Midias & Calliphron Athenienses deprecati sunt excidium patriæ à Cornelio Sylla. Est & fama vetustior de Codro Rege, qui vltro mortem pro patria oppetiit. Sabel. lib. 8.

De Agesilao.

Agesilaus Lacedæmonius, quo nullus Græcorum ducum maiorem ex re bellica laudem reportauit, quicquid sibi gratiæ ab externis gentibus, aut à ciuibus debebatur. id omne in patriæ, quæ illi charissima fuit, vsum & ornamentum vertisse dicitur. ibid.

De Codro rege Athenienſium.

Rex Atheniensium Codrus, cùm ingenti hostium exercitu Attica regio debilitata ferro ignique vastaretur, diffidentia

humani auxilij, ad Apollinis Delphici oraculum confugit: perque legatos sciscitatus est, quonam modo illud tam graue bellum discuti posset. Respondit Deus, ita illi finem fore, si ipse hostili manu occidisset. Quod quidem non solùm totis Atheniensium castris, sed etiam contrariis percrebuit. Eóque factũ est, vt ediceretur, ne quis Codri corpus vulneraret. Id postquam cognouit, depositis insignibus imperij, familiarem cultum induit, ac palantium hostium globo sese obiecit, vnúmque ex his falce percussum, in cædem suã compulit: cuius interitu ne Athenæ occiderent effectum est. Max. lib. 5.

De Thrasybulo.

Ab eodẽ fonte pietatis Thrasybuli quoque animus manauit: is, cùm Atheniensium vrbem triginta tyrãnorum teterrima dominatione liberare cuperet, paruáque manu maximæ rei molem aggrederetur, & quidam è consciis dixisset, Quãtas tandem tibi Athenæ pro te libertatem consequutæ gratias debebunt? respondit, Dij faciant, vt quãtas ipse illis debeo, videar retulisse. Quem affectũ inclytum destructæ tyrannidis opus laude cumulauit. ibid.

De Themistocle.

Themistocles autem, quẽ virtus suã victorem iniuria patriæ Imperatorem Persarũ fecerat, vt se ab ea oppugnanda abstineret, instituto sacrificio, exceptum patera tauri sanguinem hausit, & ante ipsam arã quasi quædam pietatis clara victima, concidit. quo quidem tam memorabili eius excessu, ne Græciæ altero Themistocle opus esset, effectum est. ibid.

De duobus Philenis frãtribus Carthaginensibus.

Cùm inter Carthaginem & Cyrenas de margine agri pertinacissima contentio esset, ad vltimũ placuit, vtrinq; eodem tẽpore iuuenes mitti, & locũ, in quem ij conuenissent, finem ambobus haberi populis. Verùm

hoc pactum duo fratres Carthaginenses nomine Phileni perfidia præcurrere, citra constitutam horam maturato gressu lõgius promotis terminis. Quod cum intellexissent Cyrenensium iuuenes, diu de fallacia eorum questi, postremò acerbitate conditionis iniuriam discutere conati sunt. dixerunt namque, sic eum finem ratum fore, si Phileni viuos se ibi obrui passi essent: sed consilio euentus non respondit. illi enim nulla interposita mora corpora sua his terra operienda tradiderunt: qui quoniam patriæ, quàm vitæ suæ longiores terminos esse maluerunt, bene iacent manibus & ossibus suis Punico dilatato imperio. Vbi sunt superbæ Carthaginis alta mœnia? vbi maritima gloria inclyti portus? vbi cunctis litoribus terribilis classis? vbi tot exercitus? vbi tantus equitatus? vbi immenso Africæ spatio non contenti spiritus? omnia ista duobus Scipionibus fortuna partita est. At Philenorum egregij facti memoriam ne patriæ quidem interitus extinxit: nihil est igitur excepta virtute quod mortali animo ac manu immortale quæri possit. ibid.

De Aristotele.

Iuuenili ardore plena hæc pietas: Aristoteles vero supremæ vitæ reliquias senilibus ac rugosis membris in summo literarum otio vix custodiens, adeò valenter pro salute patriæ incũbuit, vt eam ab hostibus armis solo æquatã in lectulo Athenienſi iacens, & quidem Macedonum manibus, quibus abiecta erat, eriperet. Ita vrbs non tam strata, atque euersa Alexandri, quàm restituta Aristotelis notũ est opus. Patet ergo quàm benignæ, quámque profusæ pietatis erga patriam omnium ordinum, omnis ætatis homines extiterint, sanctissimísq; naturæ legibus mirificorũ etiam exemplorũ clara mũdo subscripserit vbertas. ibi.

De Lycurgo Lacedæmonio.

Lycurgus ordinandis scriben-

Universidad de Deusto Biblioteca

dísque legibus, quibus Lacedæmonij vuiuerent, præfectus, cùm eas diligenter scripsisset, populo ostendit, sibi Delphos eundum esse, rerum gratia ad eas leges pertinentium, & ne interea dum abesset, incepta iam per leges, turbarentur, populum iureiurando adegit, se contra ipsas non iturum quoad Delphis Lycurgus redijsset. Profectus igitur, cùm responsum ab Apolline accepisset, leges ab ipso rectè conditas esse, ne Lacedæmonem ipso redeunte populus sacramento se solutum arbitraretur, decreuit antè perpetuò à patria exulare, quàm redeundo, salutem Lacedæmoniorum, quæ legibus illis constabat, in discrimen adducere. itaq; monitis Lacedæmoniis, quæ responsa ab oraculo accepisset, sibi ipsi ne in patriam rediret, mortem consciuit, maiori charitate patriam, quàm vitam suam prosequutus. Baptista Fulg. lib. 9.

De Spartio & Bulide Lacedæmoniis.

Cùm Lacedæmonij Xerxis caduceatorẽ interemissent, grauique peste laborantes, ob eam cædem morbo illo se affectos arbitrarentur, existimarunt ipsorum malorum se finem nunquàm habituros, nisi prius pro cæde violatóque iure gentium Xerxi satisfecissent. itaque edixerunt, si quis pro patria mori vellet, is ad Ephoros (ita eorum magistratum vocabant) se conferret. Spartius Bulidésque Lacedæmonij oblati se morituros, in Persidem vsque ad Xerxem profecti sunt: & rem ordine narrantes, propter quam ad ipsum iuerant, ad corrigendam caduceatoris cædem, violatúmque ius gentium, morituros se obtulerũt. Eam rem plurimùm miratus Xerxes, non solùm iniuriæ satisfactionem cum vita dono eis dedit, verùm ingentibus quoque promissis, apud se eos retinere contendit. cui vterque respondit in hæc verba, Quam rem arbitraris, ô Rex, tanti apud nos esse posse, vt à patria nos separet, cuius gratia tam longum iter emensi, vitam ipsam effundere voluimus? ibi.

De Matre Cleomenis Regis Spartani.

Fœdus cùm Ptolemæo Ægyptio Rege Cleomenes Spartanus Rex aduersus Antigonum Asiæ regem, atque Acheos iniuerat, matrémq; ac filium, manserat cum eo fidei, id est, ipsum sine eo pacem cum hoste non facturum, obsides dederat. cùm autem mater eius resciuisset Cleomeni pacem Acheos honestissimis conditionibus offerre, scripsit ne propter vetulæ corpus eam pacem omitteret, quã patriæ honestam salutarémque duceret. Maiore enim animo, quàm pro fœminæ captu vitam pro patria obtulit. ibid.

De quodam Sarraceno.

Non minoris faciendum est, vt quis pro patria certæ morti se offerat, quàm vt pro ea vitam sibi adimat. Quemadmodum in Syria Sarracenus quidam egit, quo tempore Gotifredus Bolionius ac comites eius pro Christi fide in Syriam traiecerunt: in medio enim foro Tyriæ vrbis principem Conradum Bonifacij Montisferrati Marchionis filium occidit, statimque ipse quoque eodem in loco occisus est. Nam cùm videret ob singularem Conradi virtutem magna Sarracenis inferri damna, voluit moriendo patriæ gentis suæ legis tanta virtute præditum hostem adimere. ibidem.

De alio Sarraceno.

Nostrorum quoque parentum ætate missus à Sulthano Saracenus, vt sub prætextu ferendarum literarum Iacobum Lusignanum Cypri Regem cõfoderet, arbitratus se eum interemisse, humerum gladio traiecit, captúsq;, atque acerbissimis tormentis discruciatus, ingenti animo (quia id se patriæ præstitisse dicebat) vitam egit. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Mutio Scæuola.

Quis vnquàm pro patria tãtum ausus est, quãtum Mutius Scæ-

Universidad de Bibliotecas

suola, qui sine spe vlla fallendi hostem Porsenam Hetruscorũ Regem ferro petijt, vt Romam seruitutis periculo eximeret? Quid quòd consilio destitutus, atrociter in semetipsum sæuiit, vt rex illi iure iratus sæuire desierit, supplicij atrocitate motus? Sabel. lib. 8.

De Curtio equite.

Nec vllus vnquàm ciuis securior mortis apparuit Curtio, qui vt patria incolumis esset, prudens volénsque præcisa omni spe salutis, in profundam sese voraginem præcipitauit. ibid.

De Deciis.

Clara Deciorúmque nomina, qui eundem affectum sequuti, se capútque suum diis manibus deuouere. Hic Latino bello ad Vesuuium, ille Gallico in Sentinati agro: vterque patriæ, Romanarúmque legionum, quàm propriæ vitæ amantior. ibid.

De Pompeio & Crasso.

Marcus Crassus & Pompeius, quia Capitolini Iouis oraculo persuasum habuerunt, ad Rempublicam pertinere, vt eo consulatu abeuntes, quem discordi animo gesserant, cum fascibus odium, & simultatem deponerent, in conspectu Romani populi inter se pacificati sunt. ibid.

De Genitio Cippo Prætore.

Genitio Cippo Prætori paludato portam egredienti noui & inauditi generis prodigium incidit. Námque in capite eius subitò veluti cornua emerserunt: responsúmque est, eum Regem fore, si in vrbem reuertisset. Quod ne accideret, voluntariũ ac perpetuum sibimet indixit exiliũ. Dignam pietatem, quæ, quod ad solidam gloriam attinet, septem Regibus præferatur. Cuius testandæ rei gratia capitis effigies æreæ portæ, qua excesserat, inclusa est, dictáq; Rauduſculana, quòd olim Rauda ara dicebatur. Max. lib. 5.

De Scipione Africano.

Superior Scipio Africanus admirabili virtute, ne respublica extingueretur, prouidit. siquidem cum afflicta Cannẽsi clade Vrbs nostra nihil aliud, quàm præda victoris esse Annibalis videretur: ideóque reliquiæ prostrati exercitus deserendæ Italiæ autore Lucio Metello consilium agitarent: Tribunus militum admodum iuuenis, stricto gladio mortem vnicuique minitando, iurare omnes, nunquam se relicturos patriam coëgit: pietatémque, non solùm ipse plenissimam exhibuit, sed etiam ex pectoribus aliorũ abeuntem reuocauit. ibid.

De Publicanis.

Age, vt à singulis ad vniuersos transgrediar, quanto & quàm æquali amore patriæ tota ciuitas flagrauit? Nam cùm secundo Punico bello exhaustum ærarium, ne Deorum quidem cultui sufficeret, Publicani vltro aditos Cẽsores, hortati sunt, vt omnia sic locarent, tanquàm respublica pecunia abundaret, seque præstituros cuncta, nec vllum assem nisi bello confecto petituros, polliciti sunt. ibid.

De Cassio Chærea Tribuno.

Sola in patriam charitas Cassium Chæream Tribunum mouit, vt Caligulam, qui eam crudelissimè dilacerabat, manus sua occideret: cuius rei nũquàm adduci potuit, vt pœniteret, etsi ob eam rem ipse morte affectus fuit. Baptista Cãpofulgosus. li. 5.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Placidia Honorij Cæsaris sorore.

IMminebat Athaulphus Gotthorum Rex excidio vrbis à se captæ, vt ea direpta & euersa, aliam diuerso loco conderet: quoniam Gotthiam pro Roma Athaulphos, qui in ea imperitarent, pro Cæsaribus appellaret, vt per hæc omnis Romani nominis memoria intercideret. Cæterùm precibus tempestiuáq; Placidæ coniugis (erat hæc Honorij principis soror) dissuasione, proposito auersus,

tantum abfuit, vt dirum id cõ
silium sit exequutus, vt instau-
rator Vrbis dici voluerit, non e-
uersor. Sabel. lib. 8.

De Francisco Dandulo.

Extat Francisci Danduli ex-
emplum ad posteros memorabi
le: quippe qui vt patriam ab
ignominiosa Pontificis censura
vindicaret, diu humiliter pro-
stratus iacuit ad Clementis Ro
mani pontificis mensam, cate-
nis vinctus. sed patria cũ eo mu
tua pietate certauit, suúmque
ciuem tantò sublimius extulit,
quantò ille abiectius se & con-
temptibilius gessit. ibid.

De Flauo Valerio Zenone Imperatore.

Constantinopolitanus Impe-
rator Zeno, cùm apud Chalcedo
nẽ bellum gereret, vt accepit, à
Verina socru fratrem Basiliscũ
Imperatorem esse creatũ: etsi
permulti vt Constantinopolim
rediret, hortarentur, spe data ar
mis in imperium rediturum
(quia ea res permultis in vrbe
molesta acciderat) sumpturósq;
pro eo arma pollicebantur, pa-
triæ charitate motus, cuius
quietem imperio potiorem duce
bat, respondit, nolle, vt sui gra-
tia inter ciues arma mouerentur: atque vt omnes suspicione
liberaret, in Isauriam se rece-
pit. Vnde haud multò post de
pulso Basilisco populus eum re-
uocauit, atque imperio restituit.
Rarum profectò exemplum, et
cuius memoria celebretur, di-
gnum, pluris patriæ quietem,
quàm imperium facere: quod à
multis etiam vitæ præpositum
fuit. Bap. Fulg. lib. 5.

De Feliciano equite Pannonio.

Audax quoque animus at-
que in patriam charitas singu-
laris fuit. Feliciani equitis Pan
nonij, cùm indignatus, quòd Pã
noniæ regnum ad exteram gen
tem, id est ad Carolum Rober-
tum Martelli Galli filium, per
uenisset, Carolum Regem cum
coniuge ac liberis occidere decre
uit. Solenni igitur Paschæ die,
quo mos erat, vt reges liberique
eorum vnà vescerentur, Rege

vxoréque Elizabeta Poloniæ
Regis filia vulneratis, cùm Lodo
uicum Andreámque eorum fi
lios petere vellet, ab iis qui asta
bant prohibitus, occisúsque feri
animi ob patriæ charitatem co
gitata explere nequiuit. ibid.

DE FIDE ET AMORE CONIVGALI, Græcorũ exẽpla.

De Artemisia Regina.

De Artemisiæ
in Mausolum
defunctũ cha-
ritate certior
fama est: ex-
tãt et vestigia nobilissimi sepul
chri, quæ famæ stipulãtur. fuit
id Mausoleum tantæ admira-
tioni omnibus gẽtibus cùm ap-
paratu rerũ, tum opificio, vt in-
ter pauca orbis terrarum opera
sit a Græcis & Romanis scri-
ptoribus nobilitatũ. Sabel. li. 3.

De Nino Rege.

Age verò, & quàm indul-
gens credendus est, vel potius
quam vxorius Ninus Assyriæ
Rex si verà sunt quæ de eo qui-
dam prodidere, quæ siue ita eue
nire voluit, siue fœminam nun
quã tale facinus ausuram cre-
didit, Semiramidem coniugem
regiis insignibus in paucos dies
instruxit. Quã bona mulier oc-
casionem adepta, in regno perse-
uerauit, virúmque in potestatẽ
redactum, non obsequentem mo
dò, sed imperio etiam inde ha-
buit obnoxium. ibid.

De Dario Rege.

Darius Rex duplici prelio vi-
ctus ab Alexandro, magna im
perij parte exutus, nullum tri-
stitiæ signum dedit, vt fertur.
Cæterum morte coniugis audi-
ta, manu oculis admota, non po-
tuit lachrymis temperare. ibid.

De Hipsicratea vxore Mithridatis.

Hipsicratea Regina, Mithri-
datem coniugem suam effusis
charitatis habenis amauit: pro-
pter quem præcipuũ formæ suæ
decorem in habitum virilem
conuertere voluptatis loco ha-
buit. tonsis enim capillis equo se

et armis assuefecit, quò facilius laboribus & periculis eius interesset. Quinetiam victum à Cn. Pompeio per efferatas gentes fugientem animo pariter, et corpore infatigabili sequuta est, cuius tãta fides asperarum ac difficilium rerum Mithridati maximum solatium, & iucũdissimum lenimentũ fuit. Cum domo enim & penatibus vagari se credidit, vxore simul exulante. Max. lib. 4.

De Minyarum vxoribus.

Verùm quid Asiam, quid Barbariæ immẽsas solitudines, quid latebras Põtici sinus scrutor, cùm splendidissimũ totius Græciæ decus Lacedæmon præcipuum vxoriæ fidei specimen tantum nostris ostentet oculis, plurimis & maximis patriæ suæ laudibus admiratione facti comparãdum? Minyæ, quorum origo ex inclyto sociorum Iasonis numero Lemniorum in insula concepta, per aliquot seculorum vices stabilis in sede mãserat: à Pelasgicis expulsi armis, alienæ opis indigentes, excelsa Taygetorum mõtium iuga supplices occuparunt: quos Spartana ciuitas respectu Tyndaridarum (nanque in illo nobilis famæ nauigio destinatum sideribus par fratrum fulserat) deductos inde, legibus commodisque suis immiscuit. Sed hoc tantum beneficium in iniuriam benemeritæ vrbis regnum affectantes, verterunt. Igitur publicæ custodiæ inclusi, capitali seruabãtur supplicio: quod cùm vetere instituto Lacedæmoniorum nocturno tempore passuri essent, cõiuges eorum illustris sanguinis ibi velut alloquuturæ perituros viros, impetrato à custodibus aditu, carcerem intrarunt, cõmutatáque veste per simulationem doloris velatis capitibus eos abire passæ sunt. Hoc loco quid aliud adiecerim, quàm dignas fuisse, quibus Minyæ nuberent? ibid.

De Cyampo Thessalo & Æmilio Sybaritano.

Ardens Cyampi Thessali et Æmilij Sybaritani amor: fuit vterque enim venationis studiosus, quãquam diuersis locis, temporibúsque, eundem tamen incurrit casum fatúmque, atque ex eo argumentum mutui amoris ostenditur. Nam cùm eos nimium suspiciosæ coniuges vsque in ipsas sylvas sequutæ essent, atque illic inter prunos, dumetáque latere̅t, ad eásque propter frondium motum ceu ad feras excitati canes accurrisset, prius canum dentibus dilaniatæ, occisæq; fuerunt, quàm earũ viri mulieres, atque multò minus cõiuges esse vidissent. Cùm autem erga vxores mutuus esset amor, doloris vterque impatiens, sibiisi manu sua mortem consciuit. B. Fulgosus lib. 4.

De vxore Stratonis Sidoniæ principis.

Magnum quoque veri coniugalis amoris experimentũ illud fuit quod Stratonis Sidoniæ principis vxor edidit, cùm vrbe à Persis obsessa, verita esset ne in hostium potestatem vir veniret: id autem etiam morte si fieri posset deuitare decreuerat. Itaque cum iam accepisset hostes vrbem ingressos esse, atque haud longè abesse, vt viro eius potirentur, adempto ei gladio manu sua ipsum occidit, corpúsque eius quãtum pro tempore potuit, decenter exornauit: cui posteà superincumbens, ipsa gladio seipsam traiecit, vt eadem in morte viro, qua viuẽs charitate comes esset. vna enim re simul & coniugalis charitatis & animi sui magnitudinẽ, atque insuper honoris quoque curam, cùm, ne viui hostiũ manibus indigna paterentur, prouidit, palam testata est. ibidem.

De Chilonia Spartana Cleombroti Spartani Regis vxore.

Chilonia Spartani Regis vxor atque Leonidæ filia, qui itẽ Spartanus Rex erat, cùm ciuilibus discordiis Cleombrotus vir Leonidam eius patrem in exilium misisset, à viro patris restitutionẽ impetrauit. Cùm autẽ mutata fortuna Cleombrotum postea Leonidas ab vrbe depu-

Universidad de Deusto Biblioteca

lisset, Chilonia patri opera apud patrē pro viro vsa cùm nihil proficere animaduertisset, etsi feliciter apud parentem in patria agere poterat, maluit cum viro eius exilij comes esse. Bap. Fulgos. lib. 6.

De vxore Panthei Lacedæmonij.

Depulso Cleomene Spartarum Rege ab Antigono Macedonū rege, cùm is in Ægyptū ad Ptolemæum regem se recepisset, ac Pātheū sequi vxor vellet, à parentibus prohibita, magno studio seruabatur. Cæterùm ipsa astu ingenti adimuēto equo, ad mare noctu se contulit: atque incognita nauem conscendens, in Ægyptum ad virum peruenit, amboque illic vitam peregerunt. ibid.

De Stratonica Deiotari Galatarū Regis vxore.

Stratonica Deiotari Galatarum Regis vxor, cùm aduersante valetudine cum viro filios se concipere non posse videret, ei persuasit, vt liberis cum alia operam daret: ad eúmque deduxit Electram cubicularem suam ministram moribus atque forma insignem, ex qua Deiotarus aliquot filios procreauit, quos Stratonica post viri mortem non secus ac suos aluit, atque in regno succedere permisit. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Tiberio Graccho.

Tiberius Gracchorum pater duobus anguibus intra cubiculum captis, cùm ab ostentorum interprete diceretur fore, vt ipse superstes esset Corneliæ vxori, si alterius sexus serpēs interficeretur: Imò, inquit, meum interficite: Cornelia iuuenis est, potest per ætatē adhuc parere. Nec defuit rei euentus. Certauit cum eo que sit persuit coniux mutua charitate: tantum enim abfuit, vt post Gracchi obitum fuerit, connubij appetens, vt regias etiam nuptias aspernata sit. Sabellicus libro 3.

De

De M. Lepido.

Fuit & M. Lepidi charitas in vxorem nobilis apud maiores, qui cùm post Syllæ Dictatoris interitum à Catulo dissēsione ciuili vrbe eiectus, in Sardiniam concessisset, audito Apuleiæ coniugis repudio, mortē obijt. ibidem.

De C. Plautio.

C. Plautius morte vxoris audita, doloris impotens, pectus suum gladio percussit: interuētu deinde domesticorū inceptū exequi prohibitus, colligatúsque: vt primùm est occasio data, scissis fasciis, ac vulnere diuulso constanti dextera spiritum luctus acerbitate permistum, ex ipsis præcordiis & visceribus hausit: tam violenta morte testatus, quantum maritalis flammæ illo pectore clausum habuisset. Max lib. 4.

De M. Plautio.

Eiusdem vt nominis, ita amoris quoque M. Plautius. nā cùm imperio Senatus classem sociorum sexaginta nauium in Asiam reduceret, Tarentúmque appulisset, atque ibi vxor eius Horestilla, quæ illuc eum prosecuta fuerat, morbo pressa decessisset: funerata ea, & in rogum imposita, inter officium vngendi & osculendi districto ferro incubuit. Quem amici, sicut erat, togatum & calceatū corpori coniugis iunxerunt, ac deinde subiectis facibus, vtrūque vnà cremauerunt: quorum ibi factum sepulchrum Tarenti etiamnum conspicitur, quod vocatur τῶν φιλόντων. Nec dubito quin si quis modò extinctis sensus inest, Plautius, & Horestilla fati consortione gestientes, vultus tenebris intulerint: sanéque vbi idem & maximus & honestissimus amor est, aliquando præstat morte iungi, quàm vita distrahi. ibidem.

De Iulia C. Cæsaris filia.

Consimilis affectus Iuliæ C. Cæsaris filiæ annotatus est, quæ cùm ædilitiis comitiis Pompeij

l

Magni coniugis sui veste cruore respersam è campo domum relatam vidisset, territa metu, ne qua vis ei esset allata, exanimus concidit, partúmque, quem vtero conceptum habebat, subita animi cõsternatione & graui dolore corporis eiicere coacta est: atque ita expirauit magno quidem cum totius terrarum orbis detrimento, cuius tranquillitas tot ciuilium bellorum truculentissimo furore perturbata nõ esset, si Cæsaris & Põpeij concordia communis sanguinis vinculo constrictã mansisset. ibidem.

De Porcia Catonis filia vxore Bruti.

Tuos quoque castissimos ignes, Porcia M. Catonis filia, cuncta secula debita admiratione prosequentur: quæ cùm apud Philippos victum & interemptum virum tuum Brutum cognosceres: quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubitasti, muliebri spiritu virilem patris exitum imitata. Sed nescio an hoc fortius, quòd ille vsitato, tu nouo genere mortis absumpta es. ibidem.

De Antonia.

Antonia quoque fœmina laudibus virilem familiæ suæ laudem supergressa, amorẽ mariti sui egregia fide pensauit: quæ post eius excessum forma & ætate florens, cubiculum sacrum pro coniugio habuit, in eodémque toro alterius adolescẽtiæ vigor extinctus, alterius viduitatis experientia consenuit. idem lib. 4. cap. 3.

De Ligarij Romani coniuge.

Durante Triumuirorũ lege, quia par pœna proscriptis ꝓposita erat, atque iis, qui proscriptos recepissent, cuius metu permulti viros fratres, parẽtes, & filios prodiderunt. Ligarius proscriptorũ vnus fuit, quem diu coniux eius ac serua sola secretum Romæ tenuerunt. Verùm tãdem à serua detectus, ab his, qui eiusmodi curam gerebant, interemptus fuit. Vxor autem,

amore stimulata, virum cùm abduceretur, obseruatis vestigiis sequuta, cædis eius ministros orabat, vt se quoque perderent, quòd ipsa etiam per legem mori debebat, quia proscriptum virũ domi tenuerat. Inter has voces vsque ad Triũuiros peruenit: cæterum cùm audire eam nemo vellet, domum reuersa, cibo abstinuit, atque in magno mœrore, & fame, & lachrymis simul confecta est. Baptista Fulgosus lib. 4.

De Paulina vxore Senecæ.

Cùm Senecæ Nero generis mortis arbitrium obtulisset, ipse dissectis venis delegisset vt in balneo cũ sanguine simul etiam vitam effunderet, Paulina eius vxor coniugali amore compulsa (quanquàm Seneca repugnaret) mori tamẽ ipsa quoque decreuerat, vt non minus in morte, quàm dum vixerat, viro fidissima comes esset. Cæterum cùm rem Nero præsciuisset, misit qui sanguinem sisterent, atque eam in vita retinerẽt. Iraque cùm iam multũ esset sanguinis effusum, pallida semper mansit, atque in vultu pudici amoris sui signa semper retinuit. ibidem.

De Annia Romana.

Hæc coniugalis flãma Anniæ Romanæ prudentiam inspirauit, cũ hortaretur, vt vidua iuuenis formosáque iterum nuberet, respondit nolle, si bonum coniugem vt primum habere contigisset, perpetua, ne eum amitteret, molestia torqueri: quòd si contrà in malum incidisset virum, nimiũ graue semper habituram illud malum, quod nulla necessitate cogente sibi ipsa peperisset. ibid.

De Valeria Romana.

Persimile quoque Valeria maior Messalarum fratrum soror, quanquàm aliis verbis responsum fertur in pari causa dedisse. dixit enim, Seruiũ, qui eius vir fuerat, etsi aliis mortuis videretur, apud se tamen adhuc viuere. ibid.

Universidad de Sevilla Biblioteca

De Piscatoris vxore.

Magnum etiam coniugalis amoris illud signum fuit, quod Plinius in Epistola narrat in Piscatoris coniuge, quæ cùm viro insulam Larij lacus incolebat. Nam cũ Piscator læsa haberet pudibunda ægritudine, quæ molestiæ plena curari posse non videbatur, vxor cùm diu à viro, quem ægritudinis subpudebat, hoc petiisset, tandem impetrauit, vt morbi locum inspicere posset, pollicita se liberè quid de morbo sentiret, postea detecturam. perspectum locum, vt curari non posse animaduertit, amoris animique simul plena, ex fide omnia, quæ sentiebat, viro narrauit, hortatáque ne semper in tanto cruciatu vitam ageret, vt cum vita morbi quoque dolorẽ finire vellet. Cũ ipse ei annuisset, arctißimis vinculis se cum viro simul colligauit, atque ita de rupe ambo in lacum præcipites mißi simul interierunt. ibidem.

De Liuia Augusti vxore.

Maxima Liuiæ erga Augustum virum fides atque indulgentia fuit: quæ cùm sciret Augustum puellis nondũ maturis oblectari, clàm magna diligentia perquisitas secretò ad eum deduci curabat: præ nimia fide amoréque id marito concedens, cuius gratia nonnullæ cùm pellicem ferre non possent, interdũ viros peremerunt, atque idcirco tantò magis laudãda, quantò eius exempla rariora inueniuntur. Bap. Fulg. libro. 6.

De Octauia M. Antonij vxore.

Cùm Antonius Octauiam vxorem Romam remisisset, frater Augustus Octauiæ suadebat, ne in Antonij domo habitaret. Cœptum enim iam inter eos bellum erat. ei igitur Octauia respondit, se nunquàm adduci posse, vt in alia domo habitaret: quãobrem eodem animo Antonij amicos, quo antea vidit, & priuignos haud secus habuit, acsi ex ipsa procreati essent, conata quantum permittebatur, fratrem ab armis in Antonium dimouere. dedecere enim plurimũ aiebat, vt duo terrarum orbis gubernatores, vnus, quòd alter sorori suæ amicam anteferret: alter autem nimio erga amicam amore captus inter se bellum gererent. ibidem.

De Herodiade Herodis Tetrarchæ vxore.

Ingentem quoque fidem Herodias viro Herodi Tetrarchæ ostendit, cùm ad vrbẽ Romam cum eo profecta, vt Agrippam fratrem accusaret, rem in contrariũ cedere vidit. viro enim Lugdunum exulatum in Galliam misso, etsi multumà fratre ac fratris causa à Caligula Augusto rogata fuerat, vt redire in patriam vellet, principatus parte, quam vir obtinebat, oblata, maluit relicta patria in Gallia cum viro inopem vitam degere, quàm sine eo ingẽtes opes ĩ patria poßidere. ib.

De Panthia muliere.

Panthia mulier occiso Abradate viro (vt inquit diuus Hieronymus) quem supra modum amarat, collocauit se iuxta corpus lacerum, & confosso pectore sanguinem suũ mariti vulneribus infudit. Guido Exemplorum lib.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Cicilia Barbadica Veneta.

Cecilia Barbadica Veneta mortuo viro Philippo Vẽdramino, in tam pertinaci se dolore immersit, vt nec monitis, nec precibus propinquorum ad vescendum aliquo modo impelli posset. nullo igitur vnquàm responso dato, mortua est. Bapt. Fulgo. lib. 4.

De Dominico Catalusio Lesbio Principe.

Singulari etiam memoria dignus est amor, quem Dominicus Catalusius qui Lesbi rerũ potiebatur, erga vxorem ostendit. Quæ cùm in leprã incidisset, vir minimè veritus, à con-

tagione infici posse, aut aspectus horrore auerti (etenim illuuies magis, quàm viuum corpus videri poterat) neque tetro odore, quem vlcera mittebant, nunquam aut mensa, aut lecto communi eam prohibuit. coniugalis enim charitas apud eum contagionis timorem, tetrúmque conspectum, odorémque in securitatem ac voluptatem verterat: quòd eam iuxta Dei verbum eandem carnem secum esse arbitrabatur. ibid.

De Neapolitani regni quodam accola.

Resistere nequeo, quin agricola Lentiscolensis in Neapolitano regno ortus, humili fortuna, se quoque magnis viris, vbi de coniugali charitate agitur, inserat. Is cùm iuxta mare agrum coleret, vxórque ab eo aliquantisper disiuncta, à piratis Mauris, qui in litus prædatum descenderant, capta esset, statim vt vxorem non apparere, triremémque piraticam haud longè anchoras iecisse, conspexit: arbitratus id quod erat, in ea vxorem esse, ad triremem statim adnatauit: atque eius gubernatore vocato, dixit se idcirco venisse, quòd sequi vxorem statuerat. Minimè barbarie illa territus nationis, fideique Christianæ inimica, neq; ingenti miseria, qua remigio addicti laborant, omnium horum immemorem coniugalis amor eum fecerat. Quam rem cùm Mauri non sine ingenti admiratione audiuissent (pmultos enim eius regionis accolas viderant prius perpeti mortem, quàm illam miseriam malle) atque eam postea per ordinem Tunetensi Regi narrassent, tanta hominis charitate motus Rex, & virũ & vxorem liberos esse iussit, atque inter Regię custodiæ milites virum adoptauit. ibid.

De Gisberti Corregiensis vxore.

Singulare fidei exemplum Gisberti Corregiensis vxor ostendit, cùm propinquorum conspiratione, & eorum quidem, qui ipsius factionis erant, ab vrbis Parmæ imperio Gisbertus

eiectus fuit. Inter conspiratos autem cùm vxoris frater Rolãdus Roscius esset, & sororem in tumultu rogaret, vt populi impetum in domos suas declinare vellet, qui eiusmodi erat, vt etiam fortem virum terrere posset: ipsa torua facie ad fratrem conuersa, proditorem eum compellans, respondit, Dij faxint, ne me prophanem eius domus ingressu, quæ in propinquum suũ adeò perfida fuit, neque eo pane vescar, quem canes quoque ob perfidiæ labem etiam in ingenti fame deuitarent: quin potius ad virum meũ profectura sum, quem nuptiarum mearum pignore fefellisti, & coram eo me constituam, vt hanc tuam iniuriam in me ipsa vlciscatur. Hæc cùm dixisset, nudis pedibus passisque capillis ad castrum nouum, vbi vir erat, profecta, eius pedibus obuolui cœpit & flens rogare, vt ipsius morte acceptã Rolando fratre iniuriam vlciscetur. ibidem.

DE FIDE ERGA Deum, Græcorũ exẽpla.

De Delphis.

Haud quidem pauciora sunt aliarum gentium exempla, sed malorum dæmonum fraude & astu edita: vt quò maior huic, aut illi superfuit suæ vanitatis fiducia, eò sint certiores secuti votorum effectus: etenim vix tanta numinis fiducia Apollinis templum Delphi aduersus Gallos tueri adorti sunt, quanta animorum consternatione & corporum strage sunt inde hostes reiecti: adeò vana accolarum persuasione, vt loci propugnatores sibi visi sunt Dei vocem & armorum sonitum audire, dum prophana manus à sacro arcetur. Sabel. lib. 5.

De Locrensibus.

Magna numinis persuasione coluerunt diu Locrenses Proserpinam: sed multò maior sequuta est opinio, maiórq; fides, posteaquàm Pyrrhi Regis naues cum ipsius Deæ thesauris, quos sacrilegus Rex abstulerat, suis disiectas litoribus videre: creuit

deinde plus nimio vana superstitio Q. Pleminij supplicio, qui post Pyrrhum eadem donaria compilauit. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Cæremoniis & auspiciorum ratione.

HOc Cæremoniarum auspiciorúmque diligens habuit obseruatio, hoc obsecrationes, lectisternia, ludi, thensæ, & quicquid superstitionis verius, quàm religionis celebrauit Romana ciuitas, omnium quæ vnquam fuerunt, patriæ religionis obseruantissima. Sabel. lib. 1.

De Metello.

Nec Metellus sese cum vitæ periculo in medias coniecisset flammas, vt Palladium ex incendio subtraheret, nisi in Pallade diuinum aliquid opinatus esset. ibid.

De Scipione Africano.

Nec maior Africanus tam assiduus Capitolium anteluca-nis horis ascendisset, nisi humana consilia ad Iouem esse referenda censuisset, quod vsque adeò & ipse credidit, & alij persuasum habuere, vt ne à canibus quidem custodibus tẽpli, tanquam & ipsi religionẽ sentirent, allatrari crederetur. ibi.

NOSTRORVM EXEMPLA, contra Iudæos.

De Stephano.

PRimus nostrę religionis propugnator Stephanus, cùm signa & prodigia faceret in populo, infidelium in se inuidiam concitauit. Conspirant omnes de synagoga Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, Cilicum & Asiaticorum, vt inita cum illo disputatione, fidem ab eo prædicatam quoquomodo possint, suggillent. nec tamen resistere potuerunt sapientiæ & spiritui, qui in Sancto loquebatur: & dum pudet tam multos ab vno superatos, innocentem blasphemiæ aduersus Moysen insimulant. Postremò

quem argumentis vincere non poterant, vi opprimunt, & lapidibus obruentes enecant. Tantum autem profecerunt, vt nisi sic egissent, minus patuisset, eos de fide disceptando succubuisse: obstinatorum enim est, cùm ratione nequeunt, malignitate cõtendere. Sed si fidelis cælos ad se suscipiendum apertos vidit, quis dubitat quin infidelibus ad eos deglutiendos aperiatur infernus? Marul. lib. 2.

De Petro Bar-jona.

Petrus Bar-iona hac duntaxat fretus virtute, non Latiali, non Attica eloquentia vno die tria hominum millia Baptismatis lauacro admouit. Capturam eo piscatu dignam, quam assertor ille summus veritatis, à quo iussus est cymbam & retia relinquere, ab initio despondit. Sabel. lib. 5.

De Paulo Tarsensi.

Hostiliter in Christum coortus Paulus Tarsensis, subito veritatis admonitu & hunc, cui tam infensus erat, Dominum vocauit, & quid se facere vellet, est humiliter sciscitatus, ex hoste mancipium factus, agnus ex lupo. ibid.

De Sylvestro Romano Pontifice.

Quid Sylvester Romanus Põtifex, nõme Iudæos de summa fidei secum congressos adeò feliciter superauit, vt Christum fateri coëgerit, coactos ad veræ fidei cultum facili ductu admiserit? ibid.

De Basilio magno.

Basilius Magnus eo quidem maior, quòd iam desperatæ pertinaciæ virũ euidẽtissimi tandem experimenti argumento ad credulitatem egit. Cùm enim morbo grauiter affectum Ioseph Iudæus medicus adiens, deprehensis mortis signis, eum vesperi illius diei decessurum dixisset, Quid, inquit, si & alterum diem superuixero? se ille tunc Christianum fore, cùm id cognouisset, respondit. Igitur Basilius non vitæ suæ in terris producendæ, sed salutis proxi-

mi cupidus, orando, à Domino impetrauit exitus dilationem, manéque hora tertia sanus de lectulo consurgens, ad Ecclesiam venit, ac Iudæum tantum miraculo stupentem baptizauit. Et quem sæpè antehac testimoniis conuictum Scripturarum flectere nequiuerat, fidei tandem virtute molliuit. Mox deinde ad stratum suum rediens, extemplo expirauit: ita vt dubium non sit quin hora illa, qua prædictum erat, fuerit moriturus, nisi mortis suæ mora vitam medico esset allatura. Marul. lib. 2.

De Ioanne Damasceno.

Iosephi huius cæterorúmque conuersionem minus mirabitur qui animum attenderit, quòd Ioannes Damascenus Mesuæ Iudæi filius Iudæorum omniũ doctissimus, Hebraicis Græcisque literis æquè eruditus, nemine cogente contulerit sese ad christianitatem. Nunquid nesciuit legem? ignorauit Prophetas? non intellexit Psalmos? imò quia omnia ista percalluit, ideò credidit in eum, quem in ijs scriptum reperit, ipso dicente, Scrutamini scripturas: illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et iterum, Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. de me enim ille scripsit. Signanter (vt mihi videtur) dixit, forsitan: sciebat enim quosdam ex illis futuros, qui etiam Moysi credentes, magis eligent obstinatione sua perire, quàm Christum à Moyse & prophetis præmonstratum confitendo suscipere, & per eum saluari. Neque enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus (vt Petrus Apostolus ait) in quo oporteat nos saluos fieri. ibid.

Contra Gentiles.

De diuo Bartholomæo.

Fidei clypeo instructus Bartholomæus, qui vnus fuit Apostolorum, Astharotis templum adijt in Æthiopia, nunc ipsa terra India est, facileque tenuit, vt dæmon, qui consulentibus responsa dare erat solitus, ex vocali confestim factus sit mutus: tantum effatus, se non Deum esse, sed malorum dæmonum vnum. Sab. lib. 5.

De Ioanne Zebedæi filio.

Ioannes Zebedæi filius Ephesinis signum veritatis, quæ proponebatur, ab eo petẽtibus, Dianæ templum, quod illi nobilissimum habuere, suis effecit precibus, vt repentè collapsum ruerit. Nec tanta res in densa animorum caligine fecit fidẽ, quin ambigẽtibus adhuc multis, venenum quo sontes necabãtur, coràm propinatum vir Deo gratissimus tam intrepidè, quàm innoxiè hausit. tum verò luce oculis admota credidit in verbũ salutis templi Antistes, credidit & vniuersa ciuitas. ibid.

De Pergentio & Laurentio fratribus.

Aretij Tyburtius præfectus Pergentium et Laurẽtium fratres, ne Christum prædicarent, suasionibus, primùm, blanditiisque lactat: vbi id parum successit, cõprehensos fustibus verberari iubet: verberantium brachia aruerunt. In carcere cõclusis cibum denegat: ab Angelo aliti sunt. Eductos super cãdentes prunas ambulare nudis pedibus cogit: vt super arenam iuerunt illæsi. Allato Iouis simulachro, vt adorarent, minaciter hortatur: illis autẽ Iesum inuocantibus, æneus Iupiter in puluerem solutus periit. Parũ nempe fuerat Tyburtij sæuitiam immanitatémque calcasse, nisi & deos eius contriuissent. Multi Gentiles, cùm illos diis suis fortiores vidissent, ad Christum conuersi sunt, at impiissimus Tyrannus capite eos postremò cædi iussit, nullo tamen manifestiore indicio victũ se ostendens: viuere permissurus quos occidit, si vicisset. Marul. lib. 2.

De Augustino Anglorũ Episcopo.

Augustinus Anglorũ Episcopus à Gregorio Pontifice (vt Beda tradit) in Britanniã missus, cùm Iesum Dei Filiũ asse-

ruisset, Heldebertum Regẽ, magnámque procerum eius partẽ credentes baptizauit: cæterùm multis adhuc religioni refragantibus, cùm idolorum pontificibus contendit. Qui quoniã satis firmam rationem, qua causam suam tueri possent, non habebant, miraculis certare decernunt: atque oculis captum quendam in medium producũt, nescientes minus veri se videre, quàm ille lucis pro eo, vt visum reciperet supplicarũt diis: quasi verò lapides preces possent audire, & non etiam ipsi cæci insuper et muti et surdi essent. Cùm ergo cura laborque eorũm omnis in cassum cecidisset, Augustinus Christum suum deprecatus, sine cunctatione hominẽ sanum reddidit, & reliquam plebẽ eo signo conuertit, Britanniã totã eripiens diabolo, et subiiciens Christo tuo terra illa inculta (iuxta Ezechielem) facta est, vt hortus voluptatis iam exuberans fructibus salutis. ib.

De Mutio Abbate.

Quid de Mutio Abbate dicemus, qui dum esset Gentilis natura ferox, & latrociniis deditus (ita vt etiam Sanctorum delubra spoliando prophanaret) vidit tandem in quiete virum forma habitúque augustiore, quàm humano, comminantem sibi necem, nisi protinus à flagitiis sacrilegiisque se submouerет? cúmque pauore perculsus repentè euigilasset, nihil moratus, ad ecclesiam confugit, & Baptismate suscepto, Eremum petiit, tantaq; sanctitatis fama breui illustratus est, vt aliquãdo iter faciens, solem stare (sicuti de Iosue & Ezechia legimus) fecisse feratur. ibid.

DE FIDE CONTRA MAGOS, exempla.

De Simone Mago.

Magorum princeps Simon Samaritanos præstigiis demẽtabat, & eo temeritatis proruperat, vt se Deivirtutem magnam diceret. At cùm Philippus Diaconus illò accessisset, & Euangelium Christi miraculorum operationibus vindicasset, Samaria verbũ Dei accepisse dicitur, et ad Baptismũ simul venisse. nónne ideo quia maiora quædam certioráque in discipulo Domini deprehendit, quã deprehẽderat in Mago? Qui vbi se Philippo longè inferiorẽ vidit, et ipse credere se dixit, baptizarique voluit, non fidei ardore, sed operum, quæ ipse facere nequibat, cupiditate: ratus recepto Baptismate se etiam æquè grandia admirandáque facturum. Marul. lib. 2.

De eodem.

Venit deinde Petrus, et cùm baptizatis manum imposuisset, acceperunt Spiritum sanctum. hinc Simon offerre pecuniã cœpit, petens sibi potestatem dari Spiritum sanctum conferendi cũ vellet. Nunquid igitur magnus Apostolus cui Simon supplicat, & se quidem nõ habere quod ille habebat, auidius poscendo, manifestat? Pecuniam autem offert, sperãs, si petita obtineat, multum se inde lucri facturũ. Sed qui Spiritalia credẽtibus gratuitò erogabat, maledixit procacis hominis peruersam nequitiã, quæ ille donum Dei pecunia parãdum putauit. Qualis ergo arbor, talis & fructus eius: in maleficio infirmitas et auaritia, in Christi seruo virtus & pecuniarum contemptio. ibid.

De eodem.

Post hæc Simon (vt quidam scriptores asseruerunt) de Samaria Romam vna cum suis maleficiis se transtulit: & cùm eodẽ loci Petrus & Paulus aduenissent, cum ipsis coram Nerone miraculis certauit: denique se relictis terris cælũ petituriũ dicẽs, à spiritibus immundis in aëra ferebatur: idámque ferè omnes Simonem verè Deum esse acclamabant. Tunc in tanto errantium periculo Apostoli minimè cunctandum rati, spiritibus in nomine Christi præceperunt, vt illum dimitterent. itaque dæmonum auxilio destitutus, præceps ad terram corruit, ac repẽtino elisu extinctus, qualis ipse Deus esset, ostendit. Di-

Universidad de Deusto Biblioteca

gnus certè, qui sic interiret, ne illi quos maleficis incantationibus deluserat, perniciosa credulitate perirent. ibid.

De Paulo Apostolo.

Paulus Apostolus cùm Paphum applicuisset, Barricū Elyman magum, qui Paulum Cypri Proconsulem à fide auertere moliebatur, cæcitate damnauit, vt nec solem hunc super iustos orientem posset aspicere, qui tam auersus abibat à Sole iustitiæ. Proconsul autem Apostolum sequutus, magum contempsit, nec in illo veritatis lumen esse iudicauit, qui oculorū lumē amittere dignus fuit: sed in illo, qui dum veritatem doceret, eum qui veritati repugnabat, in tenebris reliquit. ibi.

De Iacobo maiore.

Philetes quoque Hermogenis magi Discipulus cum Iacobo maiore de fide certamen iniit: victus autem credidit, & ad magistrum suum reuersus, Magus abieram, inquit, redeo Christianus. Indignatus Hermogenes, Phileten, vbi constiterat, incantationibus fixit ita, vt se loco mouere non posset. Tūc Apostolus sudariolum suum misit, cuius tactu liberatus Philetes, Discipulum diaboli relinquens adhæsit Christi Discipulo: rursum tamen Hermogenes imperat spiritibus, vt extemplo ambo coram se vinctos sisterēt, sed in foueam, quam fecit, ipse incidit. Profecti enim spiritus ne tangere quidem Dei seruos potuerunt: supra illos in aëra pēdentes fremebant, ac lamentabātur, quòd ab Hermogene missi, vt eos ligarent, ipsi igneis catenis ligati, ibidem detinerentur. Expediti tandem, & Apostolo, quàm mago obsequentiores facti, Hermogenem ipsum vinculis complicatum in medium adducunt, nihil præterea mali ei inferre iussi. Qui deinde libertati redditus, ab Apostoli latere discedere non audebat ne quid grauius à dæmonibus pateretur, donec baculo eius accepto, abiit securus, plus iam confidens Apostoli lignо, quàm veneficiis suis. Conuersus igitur maleficæ artis libros flammæ tradidit, & se sidei Christi satis expertus, nihil ea neque verius neque fortius mortalibus datum. ibid.

De Taurino Aurelianensi episcopo.

Ad Taurinum Aurelianēsem Episcopum Magos Cambysem et Zamrim cū discipulis irruisse legimus, vt eum interimerent, quoniam cum viuente contendere nec dictis nec factis poterant, illo autē sese signo crucis muniente, Diuinitus inhibitos, ne propius accederent: et ob id magis furore concitatos, sibimetipsis mortem consciuisse. Cōfer nunc cum magorum vanitate crucis virtutem: illa sibi seruientes occidit, hæc à cædis periculo liberauit. Quam rem etiam maleficorum discipuli cōsiderātes, Christiani facti sunt, & Sāctum, quem capitali odio persequuti fuerant, reuereri cœperunt. ibid.

De Cypriano Damasceno.

Cyprianus Damascenus primùm quidem magus & Gentilis, deinde verò Episcopus, Christique martyr. Cum enim totis maleficorum viribus Iustinam virginem in amorē Aglai iuuenis, qui eā deperibat, pellicere molitus fuisset, & dæmones re infecta reuersi, nullū sibi in ipsam peccandi locum relictum dixissent, eò quòd crucis munimine Christiana fœmina castitatem suam protegeret: cōtinuò relictis dæmoniis Christianorum religionem sequi decreuit. baptizatus ergo, tantùm fide & sanctitate profecit, vt ad episcopatū promoueri meruerit, & martyrio coronari. idem igitur qui magus fœminā vincere nullo modo potuit, Christianus factus, Tyrannorum tormēta facilè superauit. ibid.

DE FIDE CONTRA PHILOSOPHOS, exempla.

De Dionysio Areopagita.

Dionysius Areopagita, cùm Apostoli Pauli prædicationes audisset, & ea quæ sibi iā similia veri videbātur, credere adhuc dubitaret, ver-

bis fidem se habiturum dixit, si Paulus cæco, qui fortè aderat, Christi inuocatione visum restituisset. Tunc ille, Ne me, inquit, magico carmine vsum Dionysi suspicari possis, tute ipse acceaens, cæco illi iube, vt videat in nomine Domini Iesu Christi. Id vbi peregisset, propero euentu, protinus Areopagum reliquit, atque Apostolum sequutus, & ipse Christum prædicare Gentibus cœpit tanta constantia, vt sæuientes Tyrannos nihil timeret, et mori pro Christo cuperet: quandoquidem illi ratio iam constabat, beatos esse mortuos, qui in Domino moriũtur. ibidem.

De Basilio Magno.

Basilius ille Magnus, cùm esset Gentilis, & bonarum artiũ apprimè eruditus inter conflictantes Philosophorum sententias nihil certi asserentium nutabat, donec ab Athenis transiens in Ægyptum, explorato Philosophiæ nostræ sensu, Christo credere cœpit. Inde reuersus Eubolum præceptorem suũ de rationæ veræ sapientiæ disputãdo, superauit, & ad Domini Dei nostri cultum conuertit. Reperit ergo Basilius in Ecclesia quod in academia non poterat reperire, & discipulos docuit quod non didicerat à magistro: dum autem vterque Hierosolymis à Maximino Episcopo baptizarentur, circumfusos lumine viderunt qui aderant, eáque res indicio fuit, eos antehac veri ignoratione in tenebris fuisse. ibidem.

De Constantino Imperatore.

Constantinus Imperator ob Christi cultum, quoniam nouam religionem in rẽpublicam Romanam inducere piaculare videbatur, à Philosophis redargutus diem constituit, quo cum Christianis ad rem inter se contentione discutiendam conueniret, vt hi qui probabiliora in medium attulissent, cæteris sequendi autores fierent. Id agebatur Byzantij. Aderat Alexander Episcopus mundanæ quidam sapientiæ non satis gnarus, sed morum sanctitate præstans. Is cùm disputaret, vni ex Philo-

Philosophis dicere parãti, in nomine Christi silentium imperauit: cúmque ille velut elinguis ne verbum quidem proloqui potuisset, manum Alexãdro dedit, victum se confitens: reliqui miraculo conuersi, sepositis altercationibus, volentes fidẽ receperunt, acsi & ipsi Dominum audissent dicentem, Si mihi non creditis, operibus credite. ibidem.

De Maxentio Imperatore.

Maxentius quoque Imperator cùm esset Alexandriæ, & Christianos ad sacrificandum Diis cogeret, Caterinam virginem, ne eximium formæ eius decorem sæuiendo deformaret, à fide Christi Philosophorum suasionibus auerti cupiebat. Igitur ex omnibus prouinciæ oppidis quinquaginta sapientissimos deligi curauit, qui illam respondere paratam impugnarent. ferunt ita tunc loquutam, vt omnium animos in stuporẽ versos, tandẽ ad credulitatem induxerit. Immanissimus tyrannus credentium ceruicibus cum gladio imminebat: illi verò maluerunt iugulum præbere ferienti, quàm cognitæ iam & perceptæ contradicere veritati, ea & certissima & saluberrima esse, quæ à virgine didicerent affirmantes. vna ergo ancilla Christi disputando vicit quos tota Platonis Academia vincere non potuisset. ibid.

DE FIDE CONtra hæreticos, exempla.

De Arrio Hæresiarcha.

Sensit & hæretica prauitas quid posset hæc virtus. Arrius orthodoxæ fidei oppugnator acerrimus, dum citam torminibus aluum exonerat, intestinis profluentibus expirauit. Sabel. lib. 5.

De Olympio Arriano.

Olympius Arrij sectator cũ Carthagini in balneis lauaretur, impióque ore sanctam lacesseret Trinitatem, trifido telo

m

superne ictus concidit. ibidem

De valente Imperatore.

Destinarat Valens Imperator Arrianus Ecclesiam, quam orthodoxæ pietatis viri tenebant. detestari cœpit principis consilium Eusebius Antistes, cuius autoritate motus Valens statuit periclitari, vtra esset secta sanctior, ac simul edixit, vt templum clauderetur, idque iis demum cederet, quorum precibus sua sponte patuisset. nec Arriani quicquam impetrarunt, Eusebius illud effatus, Attollite portas principes vestras, vix totum absoluerat carmen, cùm repente ostia crepuerunt, patuerúntque sua sponte ædes, subire volentibus. ibid.

De Copre presbytero.

Copres presbyter eremi Thebaidis cultor, cùm quendam de grege Manichæorum prauitatis suæ contagione alios corrũpẽtem cohibere nullo modo posset, aduocata populi concione pyram extrui iussit, proponens vt qui ipsorum duorum ignem ingressus, aduri nequiret, eius fidem omnes probatã haberent. Manichæus timidum animal Copretem prius rem experiri petijt. Copres autem in Domino confidens, sine cunctatione in flammas irrupit, ac qualis intrauerat, talis exijt, non nidoris, non caloris molestiam sensit: dubitãtem posthæc Manichæũ, auertẽtémque sese, hi qui spectaculo aderant, vi corripiẽtes in ignẽ impegerunt, ardoris impatiens Copretis opem implorauit, & ab illo exemptus periculum euasit: sed tamẽ cuius virtutem & tentando cognouit, & inuocando confessus est, & euadẽdo sensit, eius credulitatem sequi noluit, tanta iam mentem illius præoccupauerat insania, tantus furor. Itaque in malo perseuerans, thesauriẓauit sibi iram in die iræ. Marul. lib. 2.

De Augustino.

At non ita Ecclesiæ sanctæ illustrator Augustinus, qui in initio eadem hæresi pollutus, cũ

Ambrosium prædicantem audisset, perspexit errorem in quo erat, atque abiecit, & tandem omnis expers ambiguitatis, Christi suscepit fidẽ, iuxta traditionem catholicæ religiositatis: non signa requisiuit, non experimenta tentauit, audiendo tantum agnouit veritatem, & de tenebris venit ad lucem. denique eandem sectã illam, quã reliquit, nemo postea fortius impugnauit, nemo acrius est persequutus: peruersissima impietas, cuius assertione tutam se putabat, eius confutationum telis confossa perijt. ibid.

De Anastasio Augusto.

Tuticianæ verò prauitati error, quem Chalcedonensis Synodus damnauerat, etiam tunc manifestò apparuit, cũ Anastasius Augustus, vt ab eo descederet, summi Pontificis Hormisdæ denuntiationibus monitus fuisset, sed obtemperare negligens, atque contemnens, fulmine ictus, pœnas dedit. Reliqui ne idem paterẽtur, catholicæ fidei adhærentes, ab eodem Põtifice in Ecclesia recepti sunt. Non enim dubitarunt eam religionem esse verissimam, pro qua Deus ipse sic depugnaret, vt neque Imperatoribus aduersus eam niti impune esset. ibid.

De Sabiniano Hæresiarcha.

Magnum ea etiã res indubitatæ fidei testimoniũ fuit, quã Cyrillus corã se Hierosolymis ita actam tradit. Post diui Hieronymi obitũ Hæresiarcha quidam Sabinianus opusculũ execrandi dogmatis à se confectũ, quò errori suo adsciscere autoritatem, à Hieronymo editum asseuerabat. Eum autem falsitatis palàm arguens Syluanus Naẓarensis episcopus, vt nisi librum illum die crastino ipse Hieronymus ostenso manifesto reprobasset, tum se pœnam capitalem subiturum: sin econtra, idem supplicij pro mendacio Sabinianus referret. Qui cũ tale miraculũ nunquam euenturum timeret, sed magis speraret, Syluani exitio suam sententiam firmam fore, accepit

conditionem: dies præstituta venit: ad Ecclesiã frequentes cõueniunt, signum nullum apparet. Sylvanus ex pacto ad supplicium cogitur, præbet ceruicẽ, mori pro veritate paratus: sed præsto illi fuit Hieronymus, cũctisque cementibus tenuit spiculatoris manum, iam ad feriẽdũ erectam, mox ad hæreticum conuersus, acerrimè illũ increpuit, doli & fallaciæ accusans. Abijt visio, & maius sequutum est miraculum: Sabiniani caput nemine percutiente ab humeris auulsum, in terram procidit. Denique qui aderant orthodoxi, p victoria, quã paulò antè desperauerant, Deo & diuo Hieronymo gratias egerunt. Reliqui ad Syluanum cõfugientes, illius fidei sese dedidere. Et pernicisiosissimus error (qui iam latè manare cœperat) vnà cum suo autore extinctus defecit. ibidem.

Paulus Apostolus ad Titum scribens, monet ac dicit, Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit cum sit proprio iudicio condemnatus. Et ipse Ioannes Epistola secunda: Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam nõ affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. qui enim dicit illi, Aue, communicat operibus eius malignis. Et in Apocalypsi Angelus, id est, Episcopus Pergami Ecclesiæ arguitur, non quòd fidem negarit (fidelis enim erat) sed quòd prope se habeat tenentes doctrinam Balaám, doctrinam Nicolaitarum. Quòd si cohabitare cum illis, crimini est. datum, quantò grauius peccant qui familiaritate & consuetudine eorum vtuntur? ibidem.

DE FIDE ERGA homines, Græcorum exempla.

De Saguntinis.

POst duorum in Hispania Scipionum, totidémque Romani sanguinis exercituum miserabilem stragem, Saguntini victricibus Annibalis armis intra mœnia vrbis suæ compulsi, cùm vim Punicã vlterius nequirent arcere, collatis in forum quæ vnicuique erant charissima, atque vndique circundatis, accensisque ignis nutrimentis, ne à societate nostra deficerent, publico & cõmuni rogo semetipsos superiecerunt. Crediderim tunc ipsã fidem humana negotia speculantem, mœstum gessisse vultum, perseuerantissimum sui cultum, iniquæ fortunæ iudicio tam acerbo exitu damnatum cernentem. Max. lib. 6.

De Petilinis.

Idem præstando Petilini, eũdem laudis honorem meruerunt, ab Annibale, quia deficere à nostra amicitia noluerunt, obsessi, legatos ad Senatũ auxilium implorantes miserunt: quibus propter recentem Cannensem cladem succurri nõ potuit. Cæterùm permissum est eis vt facerent quod vtilissimum incolumitati eorum videretur. Liberũ ergo erat Carthaginensium gratiã amplecti: illi tamen fœminis, omnique ætate imbelli vrbe egesta, quò tutius armati famen traherent, pertinacissimè in muris cõstiterunt: expirauitque prius eorum tota ciuitas, quàm vlla ex parte Romanæ societatis respectũ deposuerit. Itaque Annibali non Petiliam, sed fidem Petiliæ sepulchrum capere contigit. ibidem.

De Almenone Arabæ Tolletano rege.

Cùm Sanctius Secundus Castulonẽsis Nauarrensisque Rex fratrem suũ Alphonsum Legionis, Lusitaniæq; Regem cepisset, & inuitum monasticã religionem profiteri coëgisset, clã prius fide accepta, ad Almenonem Arabem Tolletanum Regem Alphonsus à monasterio profugit, ab eo benignè exceptus, cùm ceu filius haberetur. Sagi quibusdam notis Almenoni ostenderunt, se deprehendere hunc Alphonsum aliquando Maurorum imperij

euersorem fore, & ob eam rem vt interimeret hortabantur. assentiri illa suadentibus Maurus nunquam voluit: sed iusiurandum modò ab Alphonso cepit, dum viueret, vim Tolleto non illaturum. Cùm haud multò post defuncto Sãctio, ad Alphonsum ipsum non regna modò quæ antè habebat, occupatore mortuo, verùm etiam quæ fratris erant, hæreditario iure peruenissent, Almenoni denuò suasum est, vt Alphonsum retineret: quia tantorum regnorum dominus, maximi auri pondere redimi poterat. Sed Maurus in fide perstitit, dimissúmq; in Castulonense regnum comitatu ingenti ac muneribus prosequutus est: quia norat Alphonsum à suis clàm de fratris morte monitum (etsi non deerãt qui contrà suaderent) abire ipso incõsulto noluisse. B. Ful. l. 6

ROMANORVM EXEMPLA.

De Marco Attilio Regulo

MArcus Attilius Regulus ex victore speciosissimo insidiis Asdrubalis & Xantippi Lacedæmonij Ducis ad miserabilem captiui fortunam deductus, ac missus ad S. P. Q. R. Legatus, vt ex se vno et sene complures Pœnorum iuuenes pensarentur: in contrarium dato consilio, Carthaginem petit: non ignarus ad quam crudeles pœnas, quamq; etiam meritò sibi infestas gentes reuerteretur: verùm quia his iurauerat, si captiui eorum redditi non forent, ad eos sese rediturũ. Potuerunt profectò Dij immortales efferatam mitigare sæuitiam: cæterùm quò clarior esset Attilij gloria, Carthaginenses moribus suis vti passi sunt: tertio Punico bello religiosissimi spiritus tam crudeliter vexati, vrbis eorum interitu, iusta exacturi piacula. Max. lib. 1.

De senatu Romano & Publicola Consule.

Inita pace à Pop. Rom. cum Porsena Hethruscorum Rege, solutáque obsidione, Porsena initæ pacis pignus, obsidésque decem patritiorum filios, vtriusq; sexus accepit: facta autem virginibus balneandi copia, quia custodes honoris gratia secesserant, ipsæ traiecto amne penè omnes Romam abiere. In eis Valerij consulis filia erat, qui superato paternæ charitatis affectu, Senatui persuasit, vt virgines ad Porsenam mitterentur, & publica fides illæsa maneret. Bap. Fulg. lib. 6.

De Sexto Pompeio.

Memoranda quoq; Sexti Pompeij, qui Magni filius erat, fides fuit. nam diu post patris mortem, cùm Siciliæ, Sardiniæque, & aliarum insularum possessor esset factus, & propter Cæsaris mortem Triumuiris videretur ex quiete publica esse, pacem cum eo inire, data acceptáque fide per Legatos, apud Puteolos ad cœnam se inuitarunt: & cùm cœnarum sors prima Sexto obtigisset, Octauius & Antonius apud eum in ipsius triremi cœnauerunt. Dum autem epulis opera intenderetur, Menodorus Pompeianæ classis præfectus, qui olim seruus eius fuerat, misit qui in aurem Sexto dicerent, meminisset in triremi sua habere ea, per quæ paternã, fratrisque mortem vlcisci, & insuper imperio toto potiri posset: & propterea, nisi ipse id fieri nollet, se ita classem ordinaturum, vt ne vnus quidem eorum, quos in triremi habebat, euadere posset. Cui Pompeius respondit, nulla re dicta Menodorum potuisse id efficere, qui nec promiserat, nec iurarat: verùm posteaquàm illud ei significarat, nullo modo fidem, quã dederat, violari velle. Hoc responso fidem hosti datam sanguinis sui vltioni atq; imperio ipsi pop. Rom. anteposuit. ibidem

NOSTRORVM EXEMPLA,

De Guidone Flandriæ Comite.

MArci Attilij Romani religionẽ seruata à Guidone Flandriæ Comite, eiúsque filio fides superauit: quia qui cogere posset non habebat, vt Regulus. nam carcere liberati à

Philippo qui cognomento Pulcher erat, Gallorum Rege, data fide, si Flandriæ populos, qui rebellarant, & cum Britannis Philippum vexabant, ad officium restituere non possent, se ad carcerem redituros: quia de componendis rebus non successerat, fidem carcere petito seruarunt, in quo intra breue tempus Guido decessit. Bapt. Fulg. li. 1.

De Ioanne primo Gallorum Rege.

Gallorum Rex Ioannes primo prælio victus, captúsque apud Pictones ab Edouardo tertij Britannorũ Regis filio, Galliæ principe: posteaquàm magna vi auri atque locis quibusdam redemptionem suam pactus, data fide, ad ea comparanda quæ ex pactione debebat, redire in Galliam permissus est. Cæterùm cùm domi inuenisset, nimiùm hac re regnum grauari, neque ea comparare quibus seruaret promissa, posset, in Britanniam reuersus est, vbi in aduersam valetudinem incidit atque decessit. ibidem.

De Petro Aleres Comite.

Alphonsus Aragonius Rex qui Vrracham Alphonsi Sexti Castulonensis Regis filiam vxorem duxerat, cum ea, quòd parum pudicè viueret, diuortium fecit. Ad eam Castulonensis regni per patris mortem hæreditas obuenerat, & communi nomine eam cum viro possederat: cæterùm dimissa, in paternum regnum cùm se recepisset, præfectos munitorum locorum, ac minores populorum dominos, qui Castulonensi regno fidem obstrictam habebãt, requisiuit, vt sibi soli tanquàm patris hæredi in posterum parerent. Petrus Aleres comes Castulonensis cùm ab initio ab Vrrhaca matrimonio cum Aragonio Alphonso, in Alphonsi manu iurasset: nunc à Regina postulatus, inter has difficultates, hanc vt vir iustus non sine vitæ suæ discrimine rationem iniuit, qua vtrique fidem datam seruaret. Loca enim munita, & alia quæ in manu sua habebat, Vrrhacæ dedit, cùm iure ei quæ patris erat hæres, deberentur: vt verò Arragonio quoque Alphonso pro fide, quam ei dederat, satisfaceret, insigni Comitum veste amictus manè ad eũ profectus est, cùm omnis Purpuratorum numerus adesset, & reste in collum accepta, Regi dixit, Loca omnia quæ fidei meæ credita erant, quia in Castulonensi regno posita Reginæ Vrrhacæ, vtpotè quæ mihi domina est, hæreditario iure debebantur, ab ea iussus tradidi: verùm (vt nosti) cùm eam duxisti vxorem, tibi quoque fidem pro eis locis sacramento obstrinxi. itaque pro ea tibi fide corpus meum, manúsque illas quæ iurauerunt, tibi præsens assigno, vt veluti eorum dominus in ipsa quod pro æquitate ac iustitia tua duxeris, statuere valeas. Quam rem cùm Rex, omnésque qui astabant, non sine ingenti admiratione auduissent, Petrus iuramento solutus est, quoniam eũ omnes pro vtrusque fidei nexu satisfecisse iudicarunt. idem libr. 6.

De Alphonso Petro Gusmano.

Insigne etiam fidei exemplũ fuit illud, quod Alphonsus Petrus Cusmanus egit, qui cùm Tariffæ vrbi Sãctij Quarti Castulonensis Regis nomine præfectus esset, atque in ea arcta Maurorum, Ioannísque Sanctij domini sui fratris hostisque obsidione premeretur, nunquàm aut pretio, aut precibus ad deditionem faciendam flecti potuit. Cùm autem Ioannes eius filium, quo in obsequio vtebatur, ad muros deduxisset, fretus filij periculo patrem motũ iri, non modò id pater neglexit, verùm etiam à muris gladiũ porrexit, dixitque nolle, vt ei modus ad occidendum filium deesset: quo autem vultu de muris ensem detecit, eodem occidi filium nihil ab eo mutatus inspexit. Rarum fidei exemplum. ibidem.

De Marco Guterio Hispano.

Cùm graui longóque bello

Alphonsus Nonus Legionensis Rex cum Vrrhaca nouerca & fratre eius Didaco Harro decertaret, pulsis è regno ambobus, arcem Giuarram longa obsidione preßit. Arci præerat Didaci nomine Marcus Guterius, qui aut mortuis, aut profugis comitibus, quos in arce habebat, solus ad eam tuendam remanserat, loci monimento adiutus. cæterùm cùm superatis aliis malis, fames hominẽ ita confecisset, vt consistere amplius non posset, appensis collo suo arcis clauibus, in ipsa porta, vt illic incolumi fide moreretur, se prostrauerat: hostes mirati, ab arce nec tormentis, qui in præsidio erant, aliquid emitti, nec strepitum vllum exaudiri, appositis scalis in arcem ascenderunt: vbi penè exanimem Marcum iacentem inuenerũt, quem stupore capti, cùm ad Alphonsum tulissent, illic hortando aliisque necessariis rebus, vt in vita maneret, impensè laboratum est. Posteaquàm ita Marcus ad sese rediit, vt loqui posset, indoluit plurimùm, quòd emori ipsum in ea arce non permisissent, vt prorsus fidem, quam promiserat præstitisse videretur. Dimissus igitur ab Alphonso, post paucos dies ad Didacum principem suum perrexit, qui tunc in Africam se contulerat. Cùm in eum vt in singularis fidei virũ laudes ab omnibus congestæ essent, quia Didacus dixerat, quanquam Marcus egregiam fidem præstitisset, tamen arcem se suam optare, in eo Marcus aliquid desiderari putabat, quod præstare vltrà debuisset. abiecta igitur omni viuendi spe, in extremæ fortunæ habitu ad Alphonsum reuersus est: atque vbi eius canes stabulabantur, habitatum se contulit. Alphonsus intellecta reditus causa, & quamobrem ingratam habere se vitam Marcus ostenderet, precibus lachrymisque ipsius motus, Giuarræ arcem ei restituit. Marcus receptam, paulò post confecto prius instrumento, illius necessitatis, in quẽ erat coniectus, Didacum monuit, ne

fidei eius vltra obiici aliquid posset, Alphonso, quia retinendi modum nullum esse instrumento declaratũ erat, eam reddidit. longè plus perfidiæ suspitione, quàm ipsius mortis periculo motus. Quo facto triplicis rei iudicium in ambiguo relictũ est, fueritne hic maior Marci fides, an Didaci erga eũ ingratitudo, an insignis in Alphõso animo nobilitas. ibid.

DE FIDE SERVORVM ERGA DOminos, Græcorum, exempla.

De Hercule.

THebanus ille Hercules, qui Amphitryonis est filius dictus, siue oraculi monitus, siue casu in Lydia (quod satis constat) humiliter seruiuit, vt inter cõseruas puellaria obiter munia, calathũ & pensa tractaret illa victrix dextra, quæ omnia orbis mõstra sustulit. Tantum vnum hominẽ, alioqui inuictũ, mutare potuit aut necessitas, aut voluptas. Sabel. lib. 3.

De Diogene Cynico.

Qualis præterea fuerit Diogenis Cynici seruitus, Xeniadis Corinthij, qui tam nobile mancipium emit, publicè vox testata est, qui rogatus (vt fertur) quem hominem domi emptum haberet, Nõ hominem (inquit) habeo, sed bonum genium, qui domum meam ingressus, sanctè & iustè seruit apud me seruitutem. ibid.

De Asdrubalis percussore.

Age nunc, & qua fide seruiuisse putandus est Barbarus ille in Hispania, qui vt herum ab Asdrubale Pœnorum duce interfectum vlciscereturſ summum eius gentis Imperatorem obtrũcare non dubitauit. Cæterùm raptus ad supplicium, atque acerbissimè discrutiatus, tantũ abfuit vt signũ vllũ tristitiæ, aut doloris dederit, cùm variè torqueretur, vt post multos cruciatus, lætitia gestiens,

tanquàm optatæ vltionis compos expirauerit.ibidem.

De Micio Anxiali seruo.

Anaxilaus Messenius, qui olim Messanam in Sicilia condidit, & postea tyrãnidẽ apud Rheginos exercuit, moriens, filios in Micij serui sui tutela reliquit: is autem tanta fide, bonitate, atque iustitia commendatã sibi administrationem rexit, vt Rhegini ciues haud indecorũ sibi ducerẽt à seruo æquè vt antè ab Anaxilao domino regi. Cæterùm posteaquam Anaxilai liberi adoleuerũt, vrbis administrationem seruus eis tradidit, ipséque pauca secũ accepta pecunia Olympiam habitatum se contulit.Bap.Fug.lib.6.

De quibusdam seruis matronæ Adrumentanæ.

Cùm Adrumẽtum obsidione premeretur, à matrona Adrumentana serui quidam in hostium castra profugerunt: vrbe autem postea ab hostibus capta, serui quoque profugi cũ eis in vrbem irruperũt, statimque ad matronam, cuius serui fuerant, profecti, eam magna minari cœperunt. Et cùm durum seruitium vlciscivelle dicerent, tanquam hostes essent, extra vrbem in tutum ab hoste locum eam deduxerunt, semperque ei fidem, quam debebant præstiterunt.ibid.

De duobus seruis Gozagiani Persæ.

Cozagianus Persa, cùm tenuis fortunæ mercator in Indiã Cambaiem vrbem vsque penetrasset, ab Indo Rege ad magnã fortunam sublatus est, opésque ingentes apud eum congessit. Postremò apud Regẽ (vt in aula mos est) per inuidiam falsis criminibus accusatus, ab eo morte affectus est. Hic cùm ad Regem ingressus occideretur, duos in exteriori conclaui seruos reliquerat, qui postea à Rege in cubiculum vocati, vt ab eis de domini pecunia certior fieret, statim vt iacentem humi herum mortuum viderunt, adeò eos in dominum charitas incendit, vt spreta vita ambo vnanimes cultellis, quos secum habebant, Regem occiderent: atque haud multò post ipsi quoque interierunt.ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De P.Catreno Philotimo.

P. Catrenus Philotimus non seruus, sed iam libertate donatus, & omnibus bonis relictus hæres: ita tamen fuit erga patronum affectus, vt in defuncti rogum doloris impatiens sese conniceret.Sabel.lib.3.

De seruo quodam.

Nec illa vulgaris fides in seruo, quòd Triumuirali conspiratione proscriptorum quendam fidelissimus seruus sepulchro texit, quoad ipse ad mare curreret, vt nauigium ad fugam expediret. Mox inde reuersus, herum interfectum inuenit, sed adhuc paululum spirantem: tũ ille, Sustine (inquit) here, et hoc vide, vibratóque ferro turmarum ducem, qui ad cædem venerat, euestigio obtruncat: mox suum hausit pectus, inclamans, Et hoc solamen mortis accipe. ibid.

De quodam seruo M. Antonij.

Marcus Antonius auorũ nostrorũ tẽporibus clarissimus orator, incesti reus agebatur: cuius in iudicio accusatores seruũ in quæstione perseuerantissimè postulabant, quòd ab eo, cùm adstuprum iret, laternam prælatam contenderent: erat autem is etiam tum imberbis, & stabat coràm, videbátque rem ad suos cruciatus pertinere, nec tamen eos fugitauit. Ille verò, vt domum ventum est, Antoniũ hoc nomine vehementiùs confusum, & solicitum vltrò est hortatus, vt se iudicibus torquendum traderet, affirmans nullum ex ore suo verbum exiturum, quo causa eius læderetur: ac promissi fidem mira patiẽtia præstitit, plurimis etiam laceratus verberibus, eculeóque impositus, candentibúsque etiã laminis vstus, omnem vim accusatoris, custodita rei salute,

subuertit. Argui fortuna merito potest, quod tam pium & tam fortem spiritum seruili nomine inclusit. Max. lib. 6.

De Philocrate C. Gracchi seruo.

Quid Philocrates C. Gracchi seruus, quando in vllo eius fortunæ tam euidens apparuit fides? Siquidem Gracchus ciuili seditione ex Auẽtino deiectus, amicorúmque fauore destitutus, in Transtiberinam regionẽ fuga delatus, vbi sensit percussores adesse, pectus Philocrati seruo obtulit fero hauriendum. Paruit ille: cæterum ferrum ex herilicorpore eductum, confestim in se vertit, mortémque sibi conscíuit, ne cadenti domino superesset: qui siue sit cõciderit, siue (vt fertur) quòd herum complexus, ab eo diuelli nequiuerit, nisi multis vulneribus cõfossus. certè non vulgare dedit fidei exemplum qui non solùm superstes domino esse noluit, sed ne cadentem quidem videre potuit. ibidem.

De quodam seruo Panopionis.

Quid vrbani Panopionis seruus, quàm admirabilis fidei? Qui cum ad dominum proscriptum occidendum domesticorum indicio certiores factos milites in Reatinam villam venisse cognosceret, commutata cum eo veste, permutato etiam annulo, illum postico clàm emisit, se autem in cubiculum ac lectulum recepit: & vt Panopionem occidi se passus est. Breuis huius facti narratio, sed nõ parua materia laudationis. nam si quis ante oculos ponere velit subitum militum occursum, conuulsa ianuæ claustra, minacem vocem, truces vultus, fulgentia arma, rem vera æstimatione prosequetur: nec quàm citò dicitur aliquem pro aliquo mori voluisse, tam id ex facili etiã fieri arbitrabitur. Panopion autem quantum seruo deberet, amplum ei faciendo monimentum; ac testimonium pietatis grato titulo reddendo, confessus

est. ibid.

De Parauinorum seruis.

Cùm Asinius Pollio acerbè Patauinos vrgeret, vt pecuniã armáque præsentarent, & ob id omnes laterent, edicto seruis libertatem proposuit, qui latentes dominos detegerent. Mira res profectò fuit, seruum neminem inuentum, qui non constanter eo modo propositam libertatem sperneret. ibid.

De seruo Menenij.

Inter proscriptos Menenius erat: & cùm eius domum circumsceptam armatorum coronas, qui Menenium quærebant, seruus videret, spreto omni præmio, quod propositum erat, spretis periculis, ac denique vita ipsa, vt domini vitam seruaret, lecticam vbi Menenius manere cõsueuerat, ingressus, ferri se ab aliis seruis iussit: Meneniũ eũ esse milites arbitrati, ipsum illic occiderunt, & moriens cùm Milites fefellisset, dominum seruauit, qui seruilem vestem amictus, alia via cum multis, quos eadem fortuna vrgebat, in Siciliam ad Pompeium profugit. Bap. Fulg. lib. 6.

De alio proscripti seruo.

Alius quoque proscripti seruus ad mare profectus quærendæ nauis gratia, qua dominum in Siciliam traiiceret, dum reuertitur, dominum offendit lethali vulnere à Tribuno percussum, qui proscriptorum conquisitioni præerat, adhuc spirare. itaque ad eũ accessit, dixitque, Domine, aliquantisper morare. et cùm hoc dixisset, Tribunum interemit, & super vtrunq; ipsi quoque gladio incubuit. ibidem.

De Herone Triumuiri M. Antonij seruo.

Postremo prælio, quo ab Actio Antoniana classis Alexandriam profugit, cùm Cleopatra intellexisset Antonium suspicari ipsius culpa eam cladẽ acceptam esse, eius iram verita, in sepulchra locum expugnabilem se recepit, misitque qui Antonio nuntiarent, eam esse

Universidad de Deusto Biblioteca

mortuam: Antonius autem lõgè grauius Cleopatræ cõmotus morte quæ leuiter de suspicione sua nuntio crediderat, quàm propter cladem abiecto, viuendi desiderio, mori constituit. Vocauit igitur clam Heronem seruum suum, quem ante polliceri coëgerat, quando iussisset ipsum occisurum: iussitque, vt tunc eũ occideret. at Hero domini vitæ, quàm suæ studiosior, arrepto gladio dum fingit Antonium ferire, in seipsum gladium conuertit, & se interemit. ibid.

De L. Pisonis seruo.

Inchoante Vespasiani imperio Domitianus res vrbanas absente patre administrabat, Ab eo missi in Africam milites, vt L. Pisonem interimerẽt, eo tempore Africæ Proconsulatum gerentem: cùm Carthaginem ingressi, ad L. Pisonis ædes venissent, vbi Piso esset petterunt: Pisonis seruus veste, aspectúque conspicuus, cùm rẽ quò tẽdebat animaduerteret, vt dominum ab eorum vi seruaret, seipsum Pisonem esse mentitus est. occisus autem, dominum tamen non seruauit: quia re detecta, Pisonem quoque interemerunt. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Paulo Holano Antistite.

VErùm nulla seruitus tam volũtaria fuit, quàm Pauli Holani Antistitis, & ob id fortasse omnium maximè celebranda. Posteaquàm is omnia sua Vandalicis temporibus impendit in Holanis ciuibus ex Africa redimendis, seipsum (quando nil præterea reliquum erat) hostibus dedit, vt viduæ filium redimeret. Hic regij cultor horti tam fideliter dextréque id obire munus, vt meritò esset omnibus charissimus. Cæterùm nihil æquè illi profuit ad gratiam promerendam, ac de eius sanctitate inter Barbaros opinio, sequutáque diuinatio de futura rerũ mutatione: cui cùm euentus abũdè respondisset, tantum apud nouum regem meruit,

meruit, vt cum suis popularibus libertate donatus, magnáque frumenti copia triumphãti similis, Holam remeauerit. Sabel. lib. 3.

DE PRODITIONE Græcorum exempla.

De Antiocho Eupatore Asiæ ac Syriæ Rege.

CVm Antiochus Eupator aduersus Iudæos bellum mouisset, accepissétque à se Philippũ rebellasse, pacem cum Iudæis firmauit, atque in vrbem ac templum data fide à Iudæis acceptus, nulla pacis initæ habita ratione, permultos Iudæorum gentis cepit, atque occupatis locis munitis, hierosolimarũ partem maiorem euertit. Bap. Fulg. lib. 9.

De Diodoro, cui Tryphõ cognomen erat.

Diodori Tryphonis res gestæ, vitáque omnis nihil aliud, quã proditio atque perfidia fuerũt. Nam cùm is Demetrij Syriæ Regis copiarum dux esset, ab eo, cùm aduersus Parthos bellũ gereret, rebellauit, atque Antiocho qui Deus cognominabatur, se coniunxit, eúmque Syriæ Regẽ constituit. Non multò autem pòst, cum Demetrius à Parthis occisus diceretur, idem manu sua Antiochum interemit. Paruo enim temporis interuallo duobus inter se contrarijs Regibus manifestus hostis ac proditor fuit. ibid.

De eodem.

Non minore perfidia ac proditione idem Tryphon in Ionatham Maccabæum Iudæorum sacerdotũ principem fuit. nam cùm is subsidio Tryphoni atque Anthiocho Deo aduersus Demetrium profectus esset, vt pro lata ope gratiam referret, persuasit ei Tryphon, vt exercitũ suum à se dimitteret: quod Ionathas cùm egisset, eum Tryphon cepit, atque omnes, qui cũ eo erant, occidit. neque verò ea proditione contentus, perfidiam quoque addidit. nam cùm iurè iurando Simoni Ionathæ fratri

promisisset, si Ionathæ filios & centum auri pondo, quæ poscebat ad se misisset, Ionathã carcere emissurum, omnibus à Simone peractis, Tryphon postea Ionathã occidit. Sed haud longa tantorum scelerum penes eũ voluptas fuit, quod ab Antiocho, qui Soter cognominatus est, Demetrij filio, in Asia apud vrbem Apameani prælio victus atque interfectus fuit. ibidem.

De Ptolemæo Macedoniæ Rege.

Cruẽta prorsus perfidia fuit, qua Ptolemæus Macedonũ Rex in Arsinoem Reginam, quæ ipsius soror erat, vsus est. nam cum eius regnum appeteret, de matrimonio cum ea egit: quæ quanquam cognitã fratris crudelitatem suspectam haberet, tamen vt filios periculo liberaret, matrimonio assensa est, itaque cum misisset qui fratris fidem iuramento confirmatam acciperent, priusquàm ei despõderetur, tandem vtriusque assensu firmato matrimonio, deductus Cassandriã Ptolemæus, eo ipso die quo vrbẽ iniuit, Lysimachum ac Philippum paruulos in Matris Arsinoë gremio cõfodi iussit, atque eam regno ac filij simul orbatam Samothraciam in exilium emisit. ibidem.

De Radamisto.

Radamistus Pharasmanis Hyberniæ Regis filius (quæ regio his temporibus Georgiana appellatur) ficta cum patre discordia, quòd ei nouercam superinduxerat, ad auunculum Mithridatem Armeniæ Regem profugit: ab eo benigne exceptus, filiæ quoque matrimonio dignus est factus. Dum ita apud Mithridatem agit, ingratitudine beneficij quod acceperat, fœdare memoriã non contentus, perfidiam atque proditionem addidit. clàm enim Mithridatis populos subornauit, ac fingens se cum patre in gratiã redijsse, ad eũ profectus, omnia quæ egerat detexit. itaque paratis ingentibus copijs, subeo prætextu vt in Albanos arma

moueret, in Armeniam aduersus Auunculum signa ferri iussit, eúmque ab omnibus suis destitutum in arce Gorneas obsedit. Sed cùm prorsus omnia, vt designarat, Radamisto non successissent, noua proditione primã cumulare adortus est. nam cùm res cum auũculo componere velle simularet, atque data fide eum ad colloquiũ traxisset, cùm illius gentis more amborum pollices colligãdi essent, & haustũ ex eis sanguinem vtrũque gustare oporteret, is, cui vinciendi munus erat iniunctum, fingens, ad terrã funes concidisse, illis Mithridatis pedes implicuit, atque ita eum cum vxore ac liberis cepit. Et quoniã neque ferro, neque veneno eos se læsurum promiserat, culcitris oppressos præclusa anima enecuit: arbitratus huius rei obseruantia, quòd neque ferro neque veneno eos necasset, perfidiæ suæ crimen latere. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De M. Iulio Philippo, itẽ de M. Q. Traiano Decio, & C. Viuio Treboniano Gallo Imperatore.

Exhausti profectò pudoris perfidia, atque proditio Philippi fuit, qui cum Iunioris Gordiani præfectus esset, cum eo ad Persicum bellum profectus, non id solũ egit, quòd Misithæum eius socerum, qui alio nomine Mesocles appellabatur, veneno sustulit, verũ et ã perfidia, atque ingenti astu in loca arida, atque sterilia, vbi omniũ rerum inopia premebatur, exercitũ deduxit. Et cùm naues, quibus ad exercitum frumenta comportabantur, demersisset, subornauit qui ad tumultuandum impellerẽt exercitum, & dicerent in ea mala eũ esse deductum, Iunioris Gordiani insciti. ab exercitu igitur Gordiano æquatus, imperij societate spreta, crudeliter Gordiano caput adimi iussit, atque Senatui scripsit, Gordianum febre correptum interijsse. Et vt per-

Universidad de Deusto Biblioteca

fidiã occultiius tegerẽt, in deorũ numerum, vt alios Romanos principes, retulit, neque alio vnquam nomine, quàm Diuũ appellabat. quanquã secretò haud pauci essent, qui rem vt gesta erat, non ignorarent. Igitur non puduit tam insigni proditione, tantóque scelere principem suũ, atque eundem innocentem, cuius stipendio militabat, & cui officij iure atque sacramento erat obstrictus, tollere: sed ita ferente Deo, qui iustus est vltor, haud multò pòst Decij opera Philippus vnà cum filio à militibus interfectus, perfidiæ suæ haud incongruum munus tulit: quemadmodum Decius quoque simul cum filio egit. in Thracia enim cũ aduersus Scytas bellum gereret, à Gallo Treboniano, qui Mysiæ fines cum exercitu custodiebat, proditus, ac postea occisus fuit. id enim persæpe contigit, vt proditor de alterius proditione pœnas sumat. Bapt. Fulgosus lib. 9.

De Macrino Imperatore.

Simili perfidia vsus est Macrinus in Bassianum Caracallam: qui cùm eius esset præfectus, secretò ipsum in castris occidi curauit, corporéque eius cũ honore Romam remisso, inter Diuos, vt bonũ principem, retulit. scriptis ad Senatum literis, quibus Caracallæ mortem dolebat, iurabátque se eius insciũ atque insontem esse. tanquàm enim perfidia per se paruũ crimen esset, periurio eam cumulauit: & quod abominabilius est, ei se, cui militari sacramento addictus erat, ceu ipsius statuendi ius esset, diuinos concedere honores dixit, impudenti nimis arrogantia proditionẽ tegere quærens. ibid.

De Arrio Apro.

Arrius Aper Numerianũ Augustum, cuius præfectus & socer erat, propter oculorum aduersam valetudinem lectica vtentem pari perfidia, qua superius nominati, occultè necari iussit: neque ante detecta fraus ac prodigium fuit, quàm clausa lectica putrescente cadaueris fœtorem emisit. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Arbogaste Comite.

Arbogastes Comes, Iunioris Valentiniani Imperatoris militaris dux, cùm Viennæ in Allobrogibus esset, strãgulari eum iussit: & vt scelus suum tegeret, cùm in eius cubiculo ipsum suspendisset, diuulgauit, quòd atrocibus nuntiis perculsus erat, molestiæ impatientem sibi ipsi mortem conscriuisse. eo autem scelere vsus est, vt ad Eugenium hominem ignauum deferret Imperium, & sub eo ipse arbitratu suo imperij habenas moderaretur. Bapt. Fulgosus lib. 9.

De Richimere Patritio.

Insigni perfidia Richimeres Patritius aduersus Anthemium Imperatorem vsus est. Nam cùm ei Cisalpinæ Galliæ præfecturam Anthemius dedisset, & vt eũ affinitatis quoque vinculo deuinceret, generũ asciuisset, arma in socerum ac dominum mouit, violatáque pace, quam per Epiphanium Papiensem episcopum iurauerat, vrbem Romam ingressus, eum cepit, ac variis cruciatibus affectum occidit. ibidem.

De Emanuele Secundo Imperatore.

Perfidè nimis ac crudeliter egit Emanuel Secundus in vrbe Constantinopoli aduersus Conradum Imperatorem, atque alios Christianos, qui per Thraciam aduersus Christi hostes iter habebant. nam cùm fœdere inito, eis commeatus dare deberet, gypso farinæ immixto maiorem exercitus partem interemit, vt his qui superfuerant, necesse esset, eam expeditionem omittere. ibidem.

De eodem.

Non minore quoque perfidia idem Emanuel erga Venetos vsus est. nam cùm ab eis petiisset, vt ad se magnarum rerum gratia, quas cum eis tractare

cupiebat, oratorem mitterent, & Veneti Henricum Dandalum misissent, immerenti oculos effodit: quo facto ipse quoque fidem sibi ademit. ibid.

De Michaële Paleologo Imperatore.

Insignis ea fuit perfidia, qua Michael Paleologus à Theodoro Græco Imperatore in Adrianopoli filiis tutor relictus est vsus: adhuc enim penes Græcos Imperatoriũ nomen erat, quanquam Balduinus Belgicæ partis (quæ Flandria nuncupatur) comes imperio atque vrbe Constantinopoli potiretur. nam cùm Michaël Balduinum, Gallósq; inde depulisset, pupillos qui eius fidei à patre crediti erant, interemit, atque imperium occupauit. ibidem.

De Theodoro Cominio Macedoniæ Principe.

Petrus natione Gallus tertius Latinus Imperator in vrbe Cõstantinopoli cùm Henrico in eo imperio successisset, atque eodem tempore Cominius quoque Græciæ veluti imperator, eam Macedoniæ partem obtineret, cui vulgò Albaniæ nomen est: ambo in colloquium venerunt, atque colloquio fœdus addiderunt: & cùm prior Cominius in Gallicis castris cum Petro, vt palam inita pax omnibus declararetur prandisset, postridie ad epulas in castris suis Petrum excepit, vbi eum pro prandio cepit, atque in carcere occidit. ibid.

De Ludouico Bossoni filio Burgundiæ Rege.

Ludouicus Bossoni filius Burgundiæ Rex, cùm in Italiam aduersus Berengarium secundum Imperatorem descendisset, ab eo prælio superatus, ac captus, vt insigne Berengarij humanitatis testimonium extaret, liberatus est. neque enim aliud ab eo Berengarius exegit, nisi vt iureiurando promitteret, se Berengario viuo in Italiam amplius non rediturum. sed ipse pro accepto beneficio ingratus, haud multò post cum ingentibus copiis Italiam repeteret (sic enim Deo visum est) prope vrbem Veronam denuò à Berengario superatus, captúsque, quia se ipse fide priuarat, oculis à victore erutis, lumine quoque priuatus est. ibid.

De Henrico quarto Imperatore.

Henricus quoq; quartus Imperator singulari perfidia insignẽ se fecit. nam cùm Romę ante sancti Petri aram Paschali secundo Pontifici iureiurando adactus promisisset, se in posterum ab Ecclesiæ locis temperaturum, simoniámque vltra non commissurũ, duodecimque Germani principes pro eo ita factum spopondissent, cùm denuò iusiurandi fidem ab eo Paschalis exigeret, vt periurio sacrilegium cumularet, Põtificem atque vniuersos Cardinales cepit, omniáque eorum bona diripuit: neque antè eos carcere emisit, quàm omnia quæ volebat, ab eis impetrauit. ibid.

De Theoderico Gallorũ Rege.

Theodericus Gallorum Rex post graue bellum inita pace cum Hermefredo Thuringorũ Rege, cùm data fide in Tolbiacensem arcem acciuit, atque cùm in eius muris ambo colloquerentur, Theodericus Hermefredum, ceu casu impulsum de muris ita, vt collum frangeret, deiecit, liberósque eius infantes enecuit. perfidia enim sæuitiáque simul in eos vsus est, quos ætas, vt salui apud omnes haberentur, agebat, & inter feras quoque, vt misericordiam sperare possent, efficiebat. ibid.

De Antonio Spinula Genuensi.

Silentio nequaquam prætereunda est Antonij Spinulæ perfidia: qui à Genuensibus Corsicæ præfectus, cùm data fide in consilium ac simul in conuiuium multos Gorsorum principum vocasset, contra datam fidem caput omnibus ademit: cuius perfidiam etsi Genuenses nequaquam probarunt, minimè tamen vlti sunt: quoniam veneno à Corsis sublatus, nunquãin patriã reuersus est. ibid.

DE SPE, GRÆcorum exempla.

De Semiramide.

QVid, quòd fœminis sua spes blãdita est æternitatémq; pollicita? Quæ causa fuit Semiramidi, vt virilem sexum mẽtita, amplissimos ductarit exercitus, multos & magnos adierit labores, periculáq; immensa, præsertim Indico bello, licuisset illi vt fœminæ suæ per otium indulgere libidini, nisi aliquid esse persuasum habuisset, quod vltra hoc, quòd viuimus, stabile esset, perpetuúmque mansurum? Sabel. lib. 5.

De Artemisia.

Recusasset Artemisia Xerxis commilitium excusata imbecillitate sexus, sed & prælia obire voluit, & militares ferre labores, ne tota semel interiret. Eadem fortasse alteri eiusdem nominis causa fuit, & non iugalis amor sepulchri Mausolo construendi, rei opere & materia memoratissimæ. fuit enim inter rara mundi miracula id opus celebre. vel si extincti coniugis famam insigni monumento tueri voluit, (nam impatienter eum amasse dicitur) suam interim ambitiosa mulier non neglexit. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Romulo.

HVc spectat illa Romuli qui parens fuit & conditor Romanæ vrbis: huc Numæ sanctitas. Etsi inter deorum aras hic vixit, ille inter lituos & arma: neuter tamen tantum suscepisset laboris, si omnia cum corpore interitura credidisset: aliquid ambo spectarunt diuersum à mortalitate: quapropter laboriosè viuere, non voluptuosè maluerunt. Sabel. lib. 5.

De pluriumRomanorum virtute.

Ac Curij paupertas, fides Reguli, Fabricij constantia, Catonis sanctitas, Bruti & Torquati seueritas, multò longiùs prospexere quàm breuis sit humanæ vitæ terminus, nisi virtutis operibus longiùs extendatur. Alius atque alia via: cæterùm omnes immortalitatis spem complexi, tales fuerunt, qualium virorum fama sit omni æuo duratura. ibid.

De Thuscia & Claudia Vestalibus.

Quis demum Vestalis Claudiæ, aut Thusciæ factum considerat, qui non fateatur, sine spe euentus eorum, quæ sequuta sunt, res tantas non modò fieri, sed ne tentari quidem potuisse? & tamen hæc cribro aquam (vt proditum est) hausit, illa nauem quam Romanus populus non potuit, cingulo remolita est. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Latronis spe.

PEndebat in cruce homo infamis, & sceleris damnatus: cæterùm quia spes illi veniæ non defuit, egitque postremò pœnitentiam: & si serò, quia tamen pœnituit, suorum sceleru veniã meruit. Sab. li. 5.

De Petro Bar-jona.

Nisi virtus hæc præsto Barionæ fuisset, post Christum ter abnegatum, nunquam totum triduũ lachrymis impendisset: sed quia spei ductu fleuit vbertim, est quoque non solùm restitutus, verùm nascentis Ecclesiæ constitutus caput & princeps. ibid.

De Pelagia Antiochena.

Sunt & muliebris spei exẽpla multa & illustria. Pelagia Antiochena mulier diues & inexpletæ libidinis Nonij Nepotiani Antistitis prædicatione ad pœnitentiam conuersa, omnia sua distribuit pauperibus, sexúmq; virili habitu mentita, in solitudinem concessit. quantò maior fuit sui conatus spes, tantò maior est sanctitas sequuta. ibid.

De Maria Magdalena & Ægyptiaca.

Maria cognomento Magda-

lena, & altera eius nominis, quæ Ægyptiaca dicta est, spem ipsam, nec aliud sequutæ, in solitudinem abierunt. Mirum quantum his labor & abstinẽtia ad castitatem contulerint: castitas sanctitatẽ peperit, quæ vsqueadeo perspecta fuit, vt supra Iordanem visa sit hæc siccis pedibus ambulare, sublimis illa à terra destineri Angelorum ministerio. ibid.

De Matthæo & Zachæo.

Sed neque illis desperandum est, quos in omne vitium egit cumulandarum opum immoderata libido, & impudens exigendi fœnoris cupiditas. Matthæus de Telonæo ad apostolatum vocatus est: Zacchæus Publicanorum princeps & ipse diues Saluatorem mundi hospitio suscipere meruit. vterque igitur cùm vsuras reliquissent, lucrati sunt regna cælorũ. Talem quæstum facere solent, qui conuersi, spem suam de terrenis diuitiis in Deũ transferunt, cælestium diuitiarum æternæq; beatitudinis largitorem. Marul. lib. 2.

De Paulo Tarsensi.

Sed quis præterea desperet quamuis impius, & crudelis, & omni immanitate præditus, si Paulus Christiani nominis persequutor, factus est Christi Apostolus? Si vas iræ conuersum est in vas electionis? Si is qui infensissimus fuerat Ecclesiæ hostis, repentè euasit constantissimus eiusdem Ecclesiæ propugnator? Sed dices, Ille in via vocatus est, & vt se corrigeret, penè coactus est. Quid tu quoties peccatorum conscientia pungeris, nónne vocaris? quoties aduersitate aliqua solicitaris, nónne cogeris? Quid ergo auerteris? quid reluctaris? ille increpitus statim obediuit: & tu quæso ne obdurescas. ille cùm in terram cecidisset, iussus est surgere, & ciuitatẽ ingredi, vt ibi audiat quid se oporteat facere: & tu terrenarum cupiditatum malignitate subuersus, iam tandem insurge & ingredere ciuitatẽ mandatorum Dei: vt ibi discas quid te

facere, quid fugere oporteat, vt salutem tibi parare possis. Illi Ananias manum imponẽs, visum quem cadendo amiserat, restituit. Ananias interpretatur Donum gratiæ Domini. Hoc donum tibi manum imponet, conferens virtutem, vt in spe confirmeris, & visum recipias, quem peccando perdidisti. Non visum carnis, neque oculorum, sed quo Deus videtur, mentis & intellectus, vt demum cum ipso Paulo gloriari queas, dicens, Gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit, sed gratia eius in me manet semper. ibid.

De Moyse Abbate.

Moysen Abbatem, Isidori Abbatis apud Thebaidem discipulum, natione Æthiopem, singularis sanctitatis ac patientiæ virum, latronem antea fuisse memorant multorum spoliis cædibúsque infamem. Igitur compunctus ad mentem rediit, misericordiam Domini orando, & pœnitendo quæsiuit, sperando assequutus est: & qui aliquando de latronum numero fuerat, in Sanctorum cẽsum redigi meruit. Sic Æthiops mutauit pellem, & pardus varietates suas: sic lupus rapax conuersus est in agnum. ibid.

De Iacobo Martyre.

Iacobus Martyr à præfectis membrorum nodis denodatus dictus, cùm esset fidelis, fidelibúsque ortus parentibus, atque inter Regis Persarũ aulicos primo loco haberetur: Gentili domino gratificari cupiens, eò prolapsus est, vt idolum adoraret: deinde à matre per literas increpitus, culpã agnouit, animo resipuit, pœnitentiam egit, honores, quibus fruebatur, contempsit, Regem nihil veritus, idola eius detestatus est, & se Christianum esse, palàm asseruit tã constanter, vt articulatim dilaniatus, nõ formidare supplicia, sed appetere videretur. Æternæ deniq; fœlicitatis bona, quibus præuaricando, se indignum

fecerat diuina clementia suffragante, martyrio suo redemit. Bonum est ergo (vt Propheta ait) confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. ibid.

De Nicolao sene.

Si quis verò delinquendi assuetudine ita duratus est, vt per se omnino corrigi non possit, non ideo desperet, sed senem illum Nicolaum imitetur: qui cùm libidinibus ætatem consumeret, & neque anni ad finem vitæ vergentes, finem turpitudini facere possent, Andreæ Apostolo supplicauit, vti pro se Deum obsecraret: se enim sceleris consciẽtia ne orare quidem satis audere. precibus ergo Apostoli placatus Dominus, veniam indulsit, & ille correctus peracta semestri pœnitentia, hinc decedens, misericorditer in fine saluatus est. Exemplum nobis reliquit, vt si quando spes vitæ emendãdæ, veniæque impetrandæ ob peccandi vsum difficilior contigerit, ad eorum qui Deo placent, auxilia confugiamus. Nostris enim flagitiis irritata Diuinitas, Sãctorum meritis, qui pro nobis orauerint, facilius mitigabitur, & ad miserandum citius conuertetur. ibid.

De Theophilo Ciliciæ Archidiacono.

Theophilus Ciliciæ Archidiaconus, ab Episcopo officio motus chirographum confecerat, quo Deum matrémque Dei abnegare se, & Diaboli subiici seruituti dixit, promittente diabolo se facturum vt ipse in locum suũ gradúmque restituatur. Restitutus demum animáduertit quãtum sceleris flagitiique commisisset, & animo conflictatus lachrymas fudit, et veniam orauit: die quadragesimo dormienti virgo Dei mater cuius opem inuocauerat, apparens dimissum illi peccatum nũtiauit. somno excitatus chirographum suum iuxta iacẽtem reperit. Ea re lætus & peccatum suum & Dei erga se misericordiam cunctis audiẽtibus publicè enarrauit. Die tertio vita defũctus etiam miraculis claruit. Quòd si tanti criminis reus ad tantam beatitudinem peruenit, profectò nemo perit nisi qui pœnitere non vult: nemo condemnatur nisi qui desperat. ibid.

De Maria Abrahami eremitæ nepte.

Maria Abrahami eremitæ ex fratre neptis virginitatis seruandæ voto ipsum ad desertum sequuta, eodem cum illo contubernio annos septem vsa, piè sanctéque vixerat, clausis semper ianuis, nusquàm inde discedẽs. Sed quid tam clausum, quòd diaboli non penetret inuidia? Iam vigesimum ætatis agebat annũ, cum inimici dolis, suggestionibúsque subuersa, iuueni cuidam eò ventitanti consentiens, in turpis luxuriæ foueam corruit, sceleris conscia veniam desperauit, solitudinem reliquit proximam ingressa ciuitatem, pristinas virtutes vitiis æquauit, permisit libidini frenos, & quæ diu virginitatem accuratissimè seruauerat, prostibuli obruta est spurcitiis. Postquã verò ab ipso Abrahã sene vehementer de eius perditione solicito diu quæsita, & tandem inuenta, illo hortante ad montem rediit, sanctitatis meritum quod peccando amiserat, pœnitendo recuperauit: sic perdita ouis boni Pastoris humeris reportata, lupi fauces effugit: & electo tandem dominico gregi meruit computari. Nunquàm in Deo vana spes pœnitentis fuit. ibidem.

De Thaide Ægyptia.

Thais etiam Ægyptia meretrix crebris Pannutij Abbatis admonitionibus ad pœnitentiã conuersa, facultates, quas non modicas corporis vulgatione parauerat, constructa pyra in ignẽ coniecit, & de prostibulo, vbi diu diabolo seruierat, ad monasterium trãsiens, seruiuit Christo. Post triẽnium eius clausuram Paulo Antonij Abbatis discipulo reuelatum est, dimissa

Universidad de Deusto Biblioteca

esse à Domino Thaidi peccata. itaque à Pannutio de cellæ carcere educta cùm dies quindecim superuixisset, migrauit ad Paradisum, & consortio inserta est Angelorum. Talis beatitudo eos manet, qui vitam corrigunt, & spem suam in sola Dei misericordia semper collocant. ibid.

DE PATIENTIA, GRÆCORVM exempla.

De Theodoro.

IN Theodoro viro grauissimo Hieronymus tyrannus tortorum manus frustra fatigauit. rupit enim verbera, fidiculas laxauit, soluit eculeũ, laminas extinxit priusquam efficeret, vt tyrãnicidij cõscios indicaret: quin etiam satellitem, in quo totius dominationis summa quasi quodam cardine versabatur, falsa criminatione inquinando, fidum latere eius custodem eripuit, beneficióque patientiæ nõ solùm quæ occulta fuerant texit, sed etiam tormenta sua vltus est, quibus Hieronymus, dum inimicũ cupidè lacerat, amicũ temere perdit. Max. lib. 3.

De Indorum Gymnosophistis.

Apud Indos verò patientiæ meditatio tam obstinatè vsurpari creditur, vt sint qui omne vitæ tempus nudi exigant, modò Caucasi montis gelido rigore corpora sua durantes, modò flammis sine vllo gemitu obiicientes, atque haud parua his gloria contemptu doloris acquiritur: titulus nanque sapientiæ datur. Hæc è pectoribus altis et eruditis orta sunt. ibid.

De quodam seruo.

Seruus barbarus Asdrubalem, quòd dominum suum occidisset, grauiter ferens, subitò aggressus interemit: cúmque comprehensus, omni modo cruciaretur: lætitiam tamen, quam ex vindicta ceperat, in ore constãtissimè retinuit. ibidem.

De quodam Alexandri Regis puero.

Vetusto Macedoniæ more Regi Alexandro nobilissimi pueri præsto erant sacrificanti: è quibus vnus thuribulo accepto, ante ipsum astitit, in cuius brachiũ carbo ardens delapsus est. quo etsi ita vrebatur, vt adusti corporis eius odor ad circunstãtium nares peruenirent: tamen & dolorem silentio pressit, & brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut excusso thuribulo impediret, aut edito gemitu aures regias aspergeret. Rex quoque patientia pueri magis delectatus, hoc certius patientiæ experimẽtum sumere voluit: solitò enim sacrificauit diutius, nec hac re eũ à proposito repulit. Si huic miraculo Darius inseruisset oculos, scisset eius stirpis milites vinci non posse, cuius infirmam ætatem tanto robore præditam animaduertisset. ibid.

De Zenone.

Philosophus Zeno cùm à Nearcho Tyranno, de cuius nece consilium inierat, torqueretur, supplicij pariter atque indicandorum consciorum gratia, doloris victor, sed vltionis cupidus, esse dixit quod secretò eum audire admodum expediret: laxato eculeo, postquam insidiis opportunum tempus animaduertit, aurem eius morsu corripuit: nec antea dimisit, quàm & ipse vita, & ille corporis parte priuaretur. ib.

De Anaxarcho.

Talis patientiæ æmulus Anaxarchus, cùm à Tyranno Cypriorum Nicocreonte torqueretur, nec vlla vi inhiberi posset, quominus amarissimorũ eum maledictorum verberibus inuicem ipse torqueret, ad vltimum amputationem linguæ minitanti, Non erit, inquit, effœminate adolescens, hæc quoque pars corporis mei tuæ ditionis: protinúsque dentibus abscissam & commanducatam linguam in os eius ira patens expuit. ibid.

De Socrate.

Socrates vir ad sapientiam

Universidad de Deusto Biblioteca

natus ictu calcis à quodam percussus, patienter tulit. Ferre id iniquo animo ex assectatoribus quidam, monitúsque vt hominem repercuteret. An, inquit Socrates, si meus me asinus percusserit, oporteat me continuò in quadrupedem recalcitrare? Sabel. lib. 5.

De Dionysio Tyranno.

Dionysius Iunior regno deiectus adeò pristinam est fortunam oblitus, vt iam minus sapere ac parum sibi constare à multis crederetur. Cæterùm rogatus à quodam, ecquid ex Platonis consuetudine esset assequutus, quem incolumi iamdiu penes se habuisset. An parum, inquit, vobis videor consequutus, quòd præsentem fortunam fortiter fero? ibid.

De Lycurgo Lacedęmonio.

Licurgus, qui leges Lacedæmoniis dedit, non modò æquo animo tulit oculi cæcitatem ab Alexandro adolescente temerario illatam, sed ipsum iniuriæ autorem ad supplicium sibi deditum benignè, clementérque penes se tamdiu habuit, quoad longua consuetudine ex improbissimo factus sit omnium frugalissimus. Sabel. lib. 9.

De Pericle Athenienſi.

Tulit patienter per integrum diem in publico conuitiatorem temerarium & insolentem Pericles Athenienſium alioqui princeps, nec cùm vesperi se domum reciperet, à se repulit adhuc maledictis insectantem. Postremo vbi in primo domus limine constitit, ad seruum conuersus, Ito, inquit, & hunc ciuem domum reducito: sicque homo improbus ab iniuria & cõtumelia gratiam reportauit. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Pompeio.

Pompeij probabilis virtus fuit, qui dum legationis officio fũgeretur, à Gethio Rege interceptus, cùm Senatus consilia prodere iuberetur, admotæ lucernæ cremandum digitum præbuit: eáque patientia Regi simul & desperationẽ tormentis quicquàm ex se cognoscendi excussit, & expetendæ populi Romani amicitiæ magnam cupiditatẽ ingenerauit. Maxim. lib. 3.

De Mutio Scæuola.

Mutius, cui Scæuolæ à clade dexteræ manus fuit postea cognomen, Porsenæ castra ingressus, regium Scribam pro Rege interfecit, captúsque, suique erroris admonitus, dextrã flammis iniecit, vt ea parte, qua erratum erat, à seipso pœnam exigeret. Visum est id spectaculum cùm cæteris, tùm ipsi Regi atrox, qui vnius Romani ciuis fiducia constantiáque cõmotus, pacem reddidit vniuersæ ciuitati, vrbémque soluit obsidione. Sabel. lib. 3.

De Caio Mario Consule.

Caius Marius Romanus Cõsul, cùm varicosus esset, atque vt curaretur, ex cruribus alterum secandum medico porrexisset, non modò non vinculis vllis, vt mos est, vinciri, aut ab aliquo teneri se passus est, sed ne verbo quidem, aut gemitu plus doloris signum edidit, quàm si in alieno corpore sectio fieret, vel ipse sensu omnino careret. Cæterum posteàquàm alterius cruris adoriri curationem medicus tentauit, ei Marius dixit, cùm ægritudo, quam pateretur, deformitatis tantùm damna ferret, haud opere dignum esse pretium, vt eius rei gratia tam grauem cruciatum perferret. quo verbo grauiter quidẽ dum crus secaretur, se affectũ fuisse declarauit: sed animi patientia, ferendóque dolorem dissimulasse. Facinus profectò illius virtute, atque animi magnitudine dignũ, qui antè tam multa gloriosè gesserat. Bap. Fulgosus. lib. 3.

De Attilio Regulo.

Nec Regulus in suo ad hostẽ reditu maiorem præstitit fidẽ,

quàm in supplicijs constãtiam. duplex itaque laus hominis memoriam comitatur, iustitiæ vna, altera fortitudinis: vtraque virtus atque eius indolis alumna, per quam res Romana non solùm creuit, sed etiam in immensum propagata est. Sab. lib. 5.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Caterina virgine Alexandrina.

QVa patientia fuit Caterina Alexandrina virgo, quæ læto vultu patientérque sæua flagella, præacutis septas gladijs rotas, denique mortem ipsam pertulit, virorum, ipsorúmque Philosophorum deuicta in tenera virginalique ætate sapientia? Bap. Fulgosus. lib. 3.

De Agatha Catinensi virgine.

Non minus miranda Agathæ Catinensis virginis patientia fuit, cuius nomen ob id solùm, quia Christiana ferebatur esse, tanquam maleficæ mulieris apud Quintianum Catinensem Prætorem, cùm delatũ esset spretis promissis, minisque, ac plagis, atque fidiculis neglectis, cùm insuper à pectore desecta essent vbera, atque ex pedum plantis derasa cute super tegularum fragmenta incedere cogeretur, intrepido vultu, verbisque seu ea tormenta non attingerent, defessis tortoribus, ipsa tamen inuicta mortẽ in carcere obiit. ibidem.

De Eulalia.

Eulalia virgo Hispana è Merita vrbe orta, omnibus cruciatibus grauius, quàm vllus vnquàm pro Christi nomine torta, cùm tertiumdecimũ annum non impleret, (mirum dictu) ne verbo quidem, aut vlla lachrymula, donec animam efflauit, mutati animi, aut doloris signa vnquam ostendit. ibid.

De Petro Augusti Diocletiani Cubiculario ministro.

Diocletianus Augustus acerbus Christianorũ persequutor, cùm sciret Petrum vnum è cubicularij ministris suis Christianæ religioni initiatum esse, dum ab ea deducere ipsum studet, plumbeis flagellis cædi, & deinde præacutis clauis dilaniari iussit. Cùm autem inter hæc tormenta læto perstaret vultu, aceto, salèque totum perfundi, ac deductũ, vt erat nudus, in ferrea crate distendi iussit, vbi lentis ignibus aduri cœptus est, vt tormenti diuturnitas sæuius dolorem acueret. Cæterũ ne ita quidem victus, quo vultu fuit, cùm inchoarentur tormenta, hoc sibijpsi constans, & vitæ & tormentis finem fecit. ibid.

De duobus iuuenibus Antiochenis.

Duorum Antiochenorum iuuenũ miranda patientia, quæ longè Romanũ Sceuolam prætergressa est, iniuriam pateretur, si eam silentio præterirem. Nam cùm eorum nomen imperante Diocletiano, quòd Christiani essent, delatum esset, in custodiam missi sunt, tẽtatúmque diu blanda oratione est, vt ad colenda idola descenderent. Cæterùm cùm incassum laboraretur, & paratis tormentis ante aras Diocletianus, vt sacrificarent iussisset, concordibus animis responderunt, patientiæ suæ periculum se facere paratos, ne quis consideret tormentorum magnitudine posse eos à Christiana fide deduci: quòd cùm dixissent, ambo manus sacrificij ignibus iniecerunt, nullòque doloris ostenso signo tam diu perstiterunt, quoad igne desiccata carne ossa relicta sunt. ibidem.

De Ioanne Beneto Veronensi.

Cùm Ioannes Benetus Veronensis ab Ecerino tormẽtis discruciaretur, vt initæ in Tyrannum cõiurationis quosdam nominaret, quos ipse insontes norat, ne forte doloris magnitudo ad ea dicenda cogeret, quæ ipse sua sponte nunquàm fassurus erat, in ipsius Prætoris cõspectu

sibiipsi dentibus linguam abscidit, atque haud multò post inter tormenta defecit.ibid.

De Ioanne atque Hieronymo Hus Bohemis.

Inter patientiæ exempla obstinationis quædã referamus, quæ in Ioanne atque in Hieronymo Hus contumacißima visa est, qui sacerdotij honore insignes, neque indocti in Constãciensi concilio affuerunt, vt orationibus hæresim tuerẽtur, quæ Husitana appellata est, de ecclesiasticorum paupertate, & Redemptoris corpore sub vtraque specie sumendo: vbi multis argumentis re disputata, cùm eos catholici conuicissent, in custodiam mißi sunt, qui cùm in peruersæ opinionis sentẽtia perstarent, ad locũ, in quo cremandis extructa erat pyra, deducti, Ioannes aliquantò antequam Hieronymus, cùm eos neque amicorum preces, nec tormenti ipsius præparati species flecteret, posteaquàm incẽsa fuit pyra, clara voce Psalmos ambo cantantes consumpti sunt.ibid.

De duabus Bohemis mulieribus.

In Bohemia post Vincestai mortem, cùm Husitana hæresis regionem, quemadmodum incultos hortos malignæ herbæ, citò infecißet, Gallus quidam natione Picardus, nouæ hæresis scelus in eam intulit. Is Adami nomine inter sectatores vsurpato, cùm adoptiuum se Dei filio appellaret, redigerèque gẽtem ad primos hominũ cultus vellet, instituit vt nudi degerent, ac promiscuus fœminarũ vsus esset. Cuius turpitudinis magnitudinẽ abominatus Ioãnes Zisca, qui eo tempore magna ex parte Bohemorum genti imperitabat, quanquàm Husitana hæresi laboraret, gentem hanc quæ Lysmeriti amnis insulam incolebat, adortus, omnes occidione deleuit, superstitibus tantùm fœminis duabus, quòd eas grauidas esse inuenerat. Hæ autem cũ nec antè, nec pòst partum discedere à scelerata disciplinæ instituto vellent, & propterea supplicio succensæ pyræ ignibus iniectæ afficerentur, carmina modulantes, nunquam donec eas vita defecit, canere desierunt.ibidem.

De Hieronymo Olgiato Mediolanensi ciue.

Quod sequitur exemplum. propriis oculis visum est. Hieronymus Olgiatus ciuis Mediolanensis ex quatuor vnus fuit, qui Galeatium Sfortiam Mediolanensem ducem occiderunt. Hic captus, atque in custodia acerbè discruciatur, vt eius cædis conscios detegeret, etsi secundum ac vigesimũ annum nondum excedebat effigie mollique corpore virgini quàm viro similior, neque armis assuetus, vnde in hominum animis vigor robúrque cõparatur, funi quo torquebatur, appensus, ceu si tribunali insideret, procul ab omni dolore clara voce intrepidóque animo & suum & comitum facinus commendans, nullum vnquam pœnitentiæ signum ostẽdit. Intermißis inde tormentis soluta oratione, carminibúsque suas & sociorũ laudes descripsit. demum ad locum vbi excarnificandus erat, deductus, Carolũ Francionúmque comites, qui præ timore exanimati videbantur, cohortatus, carnifices orauit, vt à se prius inchoarent, vt eius exemplo comites patientiam discerẽt. Nudus igitur in disco protẽsus, cruribus brachiísque ad disci pedes deligatis, cũ eos, qui astabant, præparatæ mortis species, atque horror conuerteret, ipse speciosis verbis atque intrepida voce peractum facinus extollens, à summo humero vsque ad medium pectus lanij falce diuisus, nec verbis nec voce mutata, vitam cum catholica ad Deum oratione finiuit. Patientia celebri profectò scriptore digna.ibidem.

De Stephano Sacerdote Reatino.

Congesserat segetem desectam ex modico agro in proximam aream Stephanus sacerdos in Sabinis apud Reate, éstque ea mox paulò incẽsa subiecto igni à quodam Christiani nominis

inimico: nuntiauit id trepidè discipulus, Væ tibi, inquit clamitans, area incensa est. Imo væ illi, respondit, per quem id mihi accidit. persuasum habuit vir iustissimus nihil malũ dici oportere præter peccatum. Sab. lib. 5.

De Petro Clarauallensi Abbate.

Captus est Petrus Clarauallensis Abbas altero oculo graui morbo affectus. cæterùm tantum abfuit vt ob eam cladem sit mœrore aliquo affectus, vt testaretur etiam vehementer se gaudere, quòd ex duabus corporis partibus sibi inimicissimis alterius molestia liberatus esset. ibid.

De Pigmenio Romano presbytero.

Gaudebat ei Pigmenius Romanus presbyter, quòd ambobus esset oculis captus, ne Ecclesiæ inimicos videret. occurrit itaque ei aliquando Iulianus Apostata. Habeo, inquit is, atque ago Deo ô Pigmeni, gratias quòd te video. tum ille, Et ego quidem habeo & ago, quòd te non video. Tulit Pigmenius nõ solùm iacturam corporis fortiter, sed Tyrannum etiam cõtempsit, omnibus alioqui formidolosum & terrificum. ibidem.

De Stephano protomartyre.

Potuit protomartyr Stephanus cùm lapidibus obrueretur, supplicij diritatem fortiter ferre, atque ita potuit, vt ducis optimi optimus miles exemplũ sequutus, vel medio dolore non potuerit de percussorum salute non esse solicitus. ibid.

De Marcellino & fratre.

Quid Marcellinus & frater, an hi stipitibus affixi, dolori succubuisse videri possint, aut minus constanter martyriũ tulisse? qui medio cruciatu sunt illud canere exorsi, Ecce quàm bonum & quàm iucũdum. notũ est reliquum carmen: ferre illi tam pulchrè suppliciũ alioqui atrocissimum. at impius Domitianus eorũ vocem ferre non potuit, quin ludribio se illis esse arbitratus, quòd canerẽt, quos flere voluisset, vtrũq; telis trãsfigi imperauit. sæuus carnifex, cui pro Sirenibus fuit piorũ gemitus, supplicium pro theatro. ibi.

De Bernardo Abbate.

Venit ad Bernardum Abbatem nescio quis monasticam professurus vitam, monitus ab eo, posse quidem & alibi eum proficere, si velit: ceu repudiatus eũ pugno percussit. fuissent qui aderant, confestim vlti iniuriam, nisi eius, qui erat iniuria affectus, interceßisset autoritas, vim inhibentis oportere hunc dictitãs aliis ignoscere, cui toties à Deo ignosceretur. Sabel. libro 9.

De Christophoro martyre

Christophorus martyr à Samiorum præfecto percussus colapho, Repercuterem te, inquit, nisi Christiana pietas, cuius cultor sum, prohiberet: per quæ haud dubiè monstrauit Christianæ pietatis proprium esse, non iniuriam vindicare, sed æquanimiter ferre. ibid.

De Libertino Monacho.

Quid, quod Libertinus Eundani cœnobis monachus fecit, qui scabello domi Abbatis manu intorto percussus, ne ingemuit quidem: postridie negotiũ quoddam sequutus, cùm in vrbem venisset, rogatus vnde illa oris suggillatio, in scabellũ, inquit, offendi. sic & quod verè acciderat confessus est, & Abbatis iracundiam texit. ibid.

De Alexandrina muliere.

Impetrauit ab Athanasio vrbis Antistite Alexandrina mulier tam diues, quàm nobilis, vt ex viduis, quæ Ecclesiæ sumptu alebantur, daretur sibi vna aliqua alenda. data est illi mulier miti & suaui ingenio, cuius facilitate auctum est matronæ studium in pauperes: poposcit sibi alteram dari: casu an consilio, non facilè dixerim, data est peruicax, & inhumana mulier, ex qua cùm ex pio hospitio probra & sæua verbera reportaret, gratias egit Athanasio, quòd sibi demum dedisset, per quam ad patientiæ

cultum exerceretur.ibidem.

De beato Martino Episcopo.

Beatus Martinus Episcopus dũ à sello veheretur, fortè obuiã fit quibusdã equitibus: eo viso territi equi saltibus in diuersum actis, suum quisque sessorem dorso excussere, & illi casum indignantes, Episcopo immodestiùs insultarunt, ita vt nec manibus temperarent. Sed rursum conscensis equis, cùm loco eos & calcaribus, & flagris vrgendo mouere nõ possent, diuinam in homine virtutem (quem improbè vexauerant) animaduertunt, & repentè ante ipsum suppliciter prouoluti peccatum confitentur, & veniam exposcunt. Tunc ille pro iniuria beneficium referens, eos amicè amplexatus est. Equis autem, vt dominis suis obedirent imperauit: qui quasi vinculis carceribusue soluti, statim abiere, iter cœptum maturãtes. Meritò brutis belluis imperare potuit qui superborum hominum offensam tam moderatè tulit: meritò miracula fecit qui læsus irasci nesciuit. Marul. lib.5.

De Lupo Trecasinæ vrbis Episcopo.

Lupus Trecasinæ vrbis Episcopus, Attila ciuitatẽ obsidẽte, interrogauit quis hic esset qui sic se armis lacesseret. Vbi accepit Attilam flagellum Dei esse, ingemiscens, ait, Et ego Lupus vastator gregis Dei dignus flagello eius. Portas ergo referari iussit. ingressi autem hostes, rectà vrbem pertransiere, nihil hostiliter agentes, ne respicientes quidem ad quenquam oppidanorũ, quasi neminem vidissent. Hanc tantã tutandæ ciuitatis gratiam Deus cõtulit Lupo, vt qui se dignum flagello confessus fuerat, à flagello liber esset.ibidem.

De Benedicto Abbate.

Benedictus Abbas Florentium presbyterum vitæ suæ insidiantem patientissimè tulisse perhibetur. Panem veneno infectum sibi ab illo muneri missum (licet dolos cognouisset) benignè accepit, ne recusando, scelus hominis (quod cæteros latebat) proderet. Cæterùm abeuntibus, qui panem attulerãt, corruo aliti præcipit, vt illũ rostro sublatũ eò transportaret, vbi cõtingi à nemine posset: & protinus volucris illa iussis eius obediuit, cuius sanctitati homo inuidebat: vt appareat inuidos homines bestiis minus rationales esse. Decipi autem Dei seruus non potuit, Spiritu sancto insidias reuelante: eas tamen ipse nosse tunc dissimulauit, ne malitiam inimici palàm faciendo, suam vltus iniuriam argui posset: timens illud, Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam.ibidem.

De eodem.

Florentius verò in flagitio perseuerans, quem occulta fraude vincere nequiuit, aperto bello aggredi decreuit. Meretriculas ergo de prostibulo conuocatas, in hortum monasterij adduxit, quæ impudenter inter se lasciuiendo monachos ad libidinem prouocarent. Abbas autem cum iam non vitæ suæ vnius, sed animabus cunctorum, qui secum erant, periculũ vertiuidisset, loco cessit, & vnà cum suis longiùs inde demigrauit. At hic scelestus infelicissimæ pugnæ victor, quod eos fugere compulisset, exultans domum rediit: sed cùm lætabundus tripudiaret, repentino pauimenti collapsu elisus, expirauit. Benedictus verò exitialis inimici vehementer dolens, discipulum suum Maurum, quòd eo nuntio lætari videbatur, puniuit, vt doceret ne persequutorum quidem malo quemquam gaudere debere, cùm etiam inimicos diligere, & pro eis orare Domini præceptum sit. Sed eodẽ exemplo timeant tandem & improbi iustos insectari: qui quamuis ab vltione sui se contineant, suum tamen vltorem Deum habent.ibidem.

De Gregorio Pontifice Maximo.

Gregoriũ Pontificem ne summa quidem dignitas ad inui-

riæ impatientiã compulit. Mauricio Augusto filiisque eius persequentibus dicitur scripsisse, Quoniam ego peccator sum, vos tantò magis (vt opinor) Deum vobis conciliatis, quantò magis me illi ignauiter seruientem affligitis. Post hæc Imperator cùm solus esset in conclaui, vidit Monachum ad se intrantem, strictóque ense ferociter minantem, nisi à Pontificis persequutione protinus cessaret. Eo visu territus incunctanter, & veniam ab eo, cui vehementer infensus erat, petijt, & odium in amicitiam commutauit. Itaque ipsum, cui multorũ bellantium exercitus resistere nequiuisset, vnius hominis toleratio fregit. Victus est patientia, quem arma vincere non valuissent. ibidem.

De quodam Pauli Abbatis discipulo.

Paulũ in partibus Ægypti Abbatẽ Cassianus tradit magno monachorũ & suorũ & alienorũ cœtu discumbẽte (qui tunc eò fortè conuenerant) suo cuidam discipulo adolescenti, quòd tardius ferculum apposuisset, colaphum infregisse: ita vt & illi qui non viderant ferientem, ictus tamen sonitum audirent. At verò ipsum, qui percussus fuerat, tanta patientia vsum vt non mutiret, non tristitiam fronte præferret, non vultum demitteret, non colorem saltem mutaret. Omnes tantam adolescentis constantiam admirati. tandem didicerunt, Abbatem quoque patientiæ illius conscium, id ex industria, non ex culpæ castigatione egisse, vt scilicet ipsa patientiæ virtus cæteris (quibus adhuc incognita erat) exemplo foret. O inuicti animi iuuenem! percussus in maxilla, ita stetit, vt præbere videretur & alteram, ac tacitus dicere, Posui faciem meam, vt petram durissimam, & scio quoniam non confundar. ibid.

De Eulogio presbytero Alexandrino.

Sed ne quis ab ingratis saltem per impatientiam subtrahenda esse beneficia existimet, Eulogius presbyter Alexandrinus leprosum quendam domi susceptum iam per annos quindecim benignius quàm dici potest, aluerat: & tãdem pro tanto pietatis officio conuitia excipiens, & ab eo, cui pro amore Christi contempto contagiosi morbi periculo, suis ipse manibus ministrabat, contumeliis assiduè affectus, iam quid ageret nesciebat. Antonium ergo Abbatem consuluit, vtrum illum dimittere deberet, à quo talia patiebatur. Vtrique consultum est, modicum adhuc sustinerent, donec alter sicut pietatis, ita & patientiæ meritum impleret: alter ingratitudinis vitia emendaret, ne grauiorem animi, quàm corporis leprã incurreret. Itaque cùm admoniti trãquillius manere simul cœpissent, Eulogius dies quadraginta superuixit, & leprosus die tertio post eum obiit. Pius ergo ac patiens Eulogius consilio sanore vsus, gemmæ tandem virtutis diademate meruit coronari. Quod nequaquam meruisset, si illum quem languentem misericorditer acceperat, ingratum impatienter repulisset. Iunxit patientiam pietati, & duplũ adeptus est felicitatis præmium. ibid.

De Alexio patritio Romano.

Alexius quoque Patritius Romanus, sicut voluntariæ paupertatis perpetuus obseruator, ita ad tolerandas iniurias patientiæ extitit assiduus cultor. Mendicus (vt Christum lucraretur) sponte factus, cùm in Syria de eleemosynis vixisset, Romam rediit, & in paterna domo pro inope susceptus, annos decem & septem nulli cognitus mansit. toto eo tẽpore à seruis patris indigna passus, duréque acceptus, non se prodidit, neque de aliquo conquestus est. Rideri, verberari, fœda colluuione perfundi à mancipiis patienter sustinuit, vt Christũ suum (cuius paupertatẽ sequutus fuerat) tolerãtiæ quo-

Universidad de Deusto Biblioteca

que humilitate exprimeret.ibi.

De Paulo cognomento Simplici.

Paulus cognomento Simplex vxorem suam cum adultero deprehendens,ne tãtam iniuriam vlcisci cogeretur, statim auersus abiit, domo accessit, & se Monachum fecit, Magnique Antonij dignus euasit discipulus:deniq; manus illas, quas à vindicanda ignominia continuerat,ad Deum porrigens,nihil petiit quod non impetrauit, maximeque in faciendis miraculis insignis fuit.ibid.

De Machario Alexandrino.

Macharium Alexandrinũ Scythioticæ solitudinis cultorẽ tradunt,dum culicis ictu percitus, palmæ percussione illã corpori allisisset,extinxissetq;, mox facti pœnituisse, atque afflixisse se ita, vt sex menses nudus per eremi loca deambulans vltro culicum morsibus se exposuerit, tuleritque multarũ iniuriam,qui vnius non pertulerat.Vsque adeò igitur sanctissimi viri omne prorsus vindictæ horrebant genus, vt à bestiis, nedum ab hominibus, offensas perpeti,quàm vlcisci satius putarint.illud semper animo versantes,Mihi vindictã, et ego retribuam, dicit Dominus. ibid.

De sene quodam.

Cassianus de sene quodam Christiano hac patientiæ virtute prædito testatur. Cùm apud Alexãdriam infidelium turba constipatus, maledictis,impulsibúsque agitaretur, & ab eo quærerent quid vnquam miraculi fecisset Deus eius Christus,ipsũ respõdisse,vt iis, quas infertis atque maioribus non mouear,nec offẽdar iniuriis.Rectè id quidem:neque enim ventorum flatu concuti,aut fluminum illisu euerti potest domus, quæ supra petram fundata est. Petra autem Christus est:deinque qui confidit in Domino, sicut mons Sion non commouebitur in æternum.in persequutionibus gloriatur,in aduersis gaudet,in omnibus Deo gratias agit, & illi soli penitus inhærens, offensas non sentit improborum.ibid.

De Euphraxia virgine.

Euphraxia virgo coram illa, à qua contumeliam indignè accperat,ad genua procidens,veluti quæ offendisset, veniam petiit: Abbatissæ quoque in illã animaduertere volenti,vt missam faceret, supplicauit: nihil ei mali referre cupiens, à qua passa iniuriam fuerat, vt patiẽtiæ remunerationem à Deo sperare posset.ibid.

De Helisabet Pannoniæ Regis filia.

Helisabet Pannoniæ Regis filia postquam amico viro distractisque fortunis,Deo in paupertate seruire cœpisset,fortè per semitam pergens hinc inde laciniosis in cilibus voraginosam notæ cuidam fœminæ, & in quam non pauca quondam beneficia contulerat, facta est obuiam,Quæ contemptim admodũ superbéque incurrẽs, ipsam, quam antea coluerat,obseruauerátque, tunc per iniuriam aduerso impulsam latere euertit in lutum,atque præterijt.Multò ergo deturbata cœno Christi ancilla nihil indignationis præ se tulit,sed tacita tantùm subrisit, gaudens, se ab hominibus despici,vt placeret Deo.ibidem

De quodã Monacho Fundensis monasterij.

Quidã Fundensis monasterij monachus,cui excolendi hortus cura erat, cernẽs in eo olera partim pedibus conculcata,partim sublata furto,& reperto aditu, quo fur ingredi consueuerat, serpenti præcepit, vt illum custodiret,nec inde nisi iussus discederet.Proh pudor, irrationale animal seruo Dei obediuit, homo damnum irrogare non dubitauit. fur ergo reuersus cùm serpentem conspexisset, præ timore se retrò ferre voluit, & pede vepribus implicato, pronus pependit,donec ab ipso olitore superueniẽte expeditus fuit: tum ab eodem amicè admonitus est, ne vltra furto tolleret quod ipse petenti gratuitò con-

Universidad de Deusto Biblioteca

cessurus esset. itaque nõ olerum damno Monachus angebatur, sed furãtis peccato. Quippe qui illi sic deprehenso nihil se denegaturũ quod poposcisset, et iam pœnas pro delicto soluenti, dum per pedes penderet, incunctanter succurrit. ibid.

De Oddone Cluniacẽsis Cœnobij Patre.

Oddo Cluniacensis Cœnobij Pater ei, qui equum suũ noctu abegerat, & in eo sedens die lucescente comprehensus fuerat, cùm nec desilire interim, nec discedere quiuisset, veniam petenti indulsit: atque insuper nummos quinque dare iussit, gaudẽs vtique non quia equum recepisset, sed quòd equi raptorem ad pœnitentiam conuersum cernebat, & iam ab eo Deum timeri, qui prius contemnere consueuisset. ibid.

De Eustachio Romano.

Eustachius Romanus aduersis casibus in vita multùm conflictatus, & semper superior, ita vt non immeritò post beatum Iob alterum patientiæ dicatur exemplar, amissis fortunis, seruis, vxore, liberis, Christum suum (cuius fidem miraculo doctus acceperat) nũquã dimisit. Qua animi constantia meruit, post annos aliquot durè, miserabilitérque peractos recuperare quæ amiserat, vxorem scilicet olim à piratis auectam, duos filios alterum à leone, alterum à lupo raptos, vtrunque enim pastores illo inscio feris eripuerant, atq; à pueritia ad adultam vsque ætatã educauerant. Demum ipsam, quã apud Traianum habuerat militiæ dignitatem, rursum recepit. Sed maius his omnibus postremò sub Adriano assequutus est, cùm coniuge simul ac liberis martyrij coronam, vt quos præter spẽ viuos in terris reperisse lætabatur, cum iisdem etiam viueret in cœlo. ibid.

De Bernardo Clareuallensi Abbate.

Bernardus Clareuallẽsis Abbas, cùm ducenta argenti pondo sibi ad impensas construendi monasterij missa à grassatoribus intercepta fuisse audisset, gratias Deo egisse dicitur, quòd magno se onere leuasset. Tam ergo modicè tulit argẽti amissionẽ, vt eo grauari se putaret, si non amisisset. Quantum autem mali metuendum sit iis, quos peruersa vulgi opinio putat felices, quia opibus affluunt, illo exemplo discimus, quo traditum est, Ambrosium Episcopum, cùm apud diuitem quendam hospitandi gratia diuertisset, & ille se nihil vnquam in vita aduersi passum iactaret, euestigio cum suis recessisse, dixisseque ideo se inde fugere, ne vnà cum homine perpetuis prosperitatibus vso simul pereat: haud ita procul excesserãt, cùm respicientes vident ædes illas cum omnibus qui ibi erãt, terræ hiatu iã absorptas. Quàm ergo melius agitur cum iis, qui identidem sequuti, huiusmodi premuntur angustiis, vt illic felicitatem quærant, vbi casus timeri non possit? ibidem.

De Maiolo Monacho.

Maiolus Cluniacensis monasterij monachus cæcus erat, & tamen sapientiæ ac sanctitatis merito factus est Abbas Maticensis. Nec sua ipsi obstitit cæcitas quin alios cæcos curaret: surdos insuper, mutósque, & claudos sanaret: proculdubio sanaturus & seipsum, nisi multò plus emolumenti ac fructus percipere se sciret ex eiusmodi imbecillitatis toleratione, ac patiẽtia. itaque cæcus quidem vixit, sed miraculorum fama videntibus illustrior factus. ibid.

De Gregorio Pontifice Maximo.

Gregorio Pontifici, quòd pro Traiano infideli Imperatore Deũ deprecari ausus esset, pœnæ nomine hanc optionem datam perhibent, vti siue quãdiu viueret, magnis assiduè languoribus agitaretur, siue cùm defunctus fuerit, biduì spatio ignem purgatorij sustineret: & elegisse languores, constantérque pertulisse. At nos gra-

uioribus quidem obnoxij delictis, & nullo virtutis genere cũ hoc Sancto conferendi, quoties morbo aliquo afficimur indignamur, vt scilicet post hæc leuia, quæ impatienter ferimus, nec illa tanto atrociora deuitemus. Neque enim indignando peccata minui solent, sed cumulari: qui autem libenter corporis mala tolerat, ad expiationem spiritus proficit. ibid.

De Ægidio.

Ægidius ad Rhodani ostia Solitarius, cùm à venatoribus sagitta in incertum missa inter syluas latentem sauciasset, non modò medicinã corpori admittere noluit, sed etiam Dominũ orauit, ne quando læsa caro sanitatem reciperet. Parum erat solitudinis necessitatẽ ferri, quotidianas vigilandi, precandi, ieiunandi, fatigationes pati, vulnus insuper quasi Diuinitus inflictum manere voluit incuratum, vt inditus corpori dolor, ab animo procul arceret voluptatis cogitationes. ibid.

De Stephano Anachorita.

Stephanus Marcotidis regionis Anachorita, cùm veredas corporis partes exulceratas, taboque diffluentes haberet, curationem quidem non recusauit, sed diũ curatur, maioris patientiæ præbuit exemplum: desectiones à Chirurgo passus, nullo emisso eiulatu, nullo edito gemitu, ac si omnino doloris vim non sentiret. Ad hæc eiusmodi ægritudine affectus, non intermisit manum laborem, de palmarum foliis funiculos contorquens, nõ spiritalis exhortationis curam, semper eorum, qui eò ad se conuenissent, saluti consulens. Ita magnam languoris molestiam maiore virtutum meditatione vincebat, animo etiam fortior, quàm corpore debilior. ibid.

De quodam seruulo mendico.

De seruulo mendico et in homiliis, & in dialogo Gregorij relatum est: qui toto vitæ tempore paralysi laborarit, ita vt in lectica iacens, mouere se omnino non posset: semper tamen in doloris accessionibus Deo gratias agere, hymnos decantare, & concitatiore quodam quasi stimulis acto spiritu, aliquid de Scripturis quod non legẽdo, sed audiendo didicerat, recitare. Meritò ergo moriens, Angelorum cantus audiuit: meritò mortuus, odore suauissimo fragrauit. Quibus indicijs consideratum est, quãtam illi beatitudinem æquanimiter tolerata infirmitas attulisset. quantũ iam felix esset, qui dum viueret, tam miser ac tam miserabilis putabatur. ibidem.

DE CONSTANtia, Græcorum exempla.

De Phocione.

PHocion, cùm Athenienses rem aliter atque ipse suaserat, prosperè administrassent, adeo perseuerans constãtiæ suæ propugnator extitit, vt in concione lætari quidem se successu eorum, sed consilium tamen suum aliquantò melius fuisse diceret. Non enim damnauit quod rectè viderat (quia quod alius malè consuluerat, bene gesserant) felicius illud existimans, hoc sapiẽtius. Plerumque enim temeritatem casus iuuat, vbi prauo consilio propius aspirat: & quò vehemẽtius noceat, desperatius prodest. Placidi sane & misericordes & liberales omni suauitate temperati, mores Phocionis, quos optimè profectò consensus omnium bonitatis cognomine decorandos censuit. Itaque constantia, quæ natura rigidior videtur, lenis è mansueto pectore fluxit. ibidem.

De Syracusano Dione.

Syracusanuus Dion quibusdam monentibus, vt aduersus Heraclidem & Calippũ, quorum fidei plurimum credebat, tanquàm insidias ei nectentes, cautior esset, respondit, se vitam malle excedere, quàm in metu violentæ mortis amicos, inimi-

Universidad de Deusto Biblioteca

ésque iuxta ponere. ibidem.

De Alexandro Magno.

Quod sequitur, & rei ipsius admiratione, & claritate autoris illustre. Alexander Macedonum Rex inclyta iam pugna, excellentissimis opibus Darij contusis, æstu & itineris feruore in Cicilia percalefactus, Cydno, qui aquæ liquore conspicuus Tarsum interfluit, corpus suum immersit: subitò deinde ex nimio haustu rigore obstupefactis neruis, ac torpore hebetatis artubus, maxima cũ exanimatione totius exercitus, in oppidum castris propinquum defertur. Iacebat æger Tarsi, inque valetudine eius aduersa instantis victoriæ spes fluctuabat. Itaque conuocati medici attentissimo consilio salutis remedia circunspiciebant: qui cũ ad vnam potionem sententiam direxissent, atque eam Philippus medicus suis manibus temperatam Alexandro (erat autem ipsius amicus & comes) porrexisset, à Parmenione missæ literæ superuenerunt, admonẽtes, vt Rex insidias Philippi perinde ac pecunia corrupti à Dario, caueret: quas cùm legisset, sine vlla cũctatione medicamentum hausit, ac tum, legendas Philippo tradidit. pro quo tam cõstãti erga amicũ iudicio, dignissimã à Diis immortalibus mercedem recepit, qui incolumitatis eius præsidiũ falsò interpellari iudicio noluerunt. ibidem.

De Magistona Eliensi & eius comitibus.

Magistona Eliensis, cùm ab Aristimo immani Tyranno vnà cum filiis, multisque aliis fœminis in carcere obseruaretur, ipsiúsque & aliarum mulierum viri parentésque à Tyranno patria pulsi, armis eam, libertatémque simul repeterẽt, fretus posse exules ad pacem redigere Tyrannus, si vxores filiique eorum id per literas petiissent, carcerẽ ingressus, mulieres captiuas, vt de pace scriberent, humanis verbis hortatus est: omnes autem ad Magistonã conuersa, respondendi curam ei detulerũt. Magistona verò minimè Tyranni præsentia mota non solùm quod petebat negauit, sed ne assurrexit quidẽ, aut alio honore Tyrannum dignata est. paritérque idẽ cæteræ mulieres fecerunt. Quare adeò cõmotus est Aristotimus, vt statim in carcere Magistonæ filiũ ad occidendum perquiri iuberet: sed ne hoc quidem Magistonam mouit, vt sententiã mutaret, verùm ipsa manu apprehensum filium his tradidit, qui Tyranni iussu eum quærebant. quanquàm verò ita Tyrãni ira ob hæc succenderetur, vt vix quin manu sua eam interimeret, temperare sibi posset: efficere tamen nequiuit, vt Magistonam comitésque propositi pœniteret, atque vel vnum verbum, vt cupiebat scribereẽt, cùm plus apud eas induta semel constantia, quàm carcer Tyranníque minæ valerent. Baptista Fulgosus. lib. 3.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Fuluio Flacco.

Fuluius Flaccus Capuam fallacibus Annibalis promissis Italiæ regnum nefaria defectione pacisci persuasam, armis occupauerat: tandem culpæ hostium tam iustus æstimator, quàm speciosus victor Capuanum senatum impij decreti autorem funditus delere constituit. Itaque catenis onustum in duas custodias Theanam Calenámque diuisit: consiliũ exequuturus cũ ea peregisset, quorum administrãdorum celerior esse necessitas videbatur: Rumore deinde de Senatus mitiore sententia orto, ne debitam pœnam scelerati effugerent, nocte admisso equo, Theanam contendit, interfectísque qui ibi asseruabantur, è vestigio Calenam transgressus, perseuerantiæ suæ opus exequutus est: & iam deligatis ad palum hostibus, literas à P. C. ne quicquam Capuanis salutares accepit. In sinistra enim eas manu, sicut erant traditæ, reposuit, ac iusso lictore lege agere, tunc demum aperuit:

postquam illis obtemperari non poterat. Qua constantia victoriæ quoque gloriæ antecellit: quia si eum intra seipsum parita laude æstimes, maiorē punita Capua, quàm capta reperies. Max. lib. 3.

De Q. Fabio Maximo.

Imperium Romanum Cannensi prælio penè destructū vix sufficere ad exercitus comparādos videbatur. itaque frustrari & eludere Pœnorum impetus, quàm manum cum iis tota acie conserere, Fabius Maxim. melius ratus, pluribus comminationibus Annibalis irritatus, sæpe etiam spe bene gerendæ rei oblata, nunquàm à consilij salubritate ne parui quidem certaminis discrimine recessit. quódque est difficillimū, vbique ira ac spe superior apparuit. Ergo vt Scipio pugnando, ita hic non dimicando maximè ciuitati nostræ succurrisse visus est. alter enim celeritate sua Carthaginem oppressit: alter cūctatione id egit, ne Roma opprimi posset. ibidem.

De Q. Scæuola.

Depulsis prostratisque inimicorum partibus, Sylla occupata vrbe, Senatum armatus coëgerat, ac summa cupiditate ferebatur, vt C. Marius quàm celerrimè hostis iudicaretur, cuius voluntati nullis obuiam ire audentibus, solus Scæuola interrogatus de hac re sententiam dicere, noluit: quinetiam truculentius sibi minitanti Syllæ, licet (inquit) mihi agmina militum, quibus Curiam circumsedisti, ostentes, licet mortem idētidem miniteris: nunquàm tamen efficies, vt propter exiguū senilémque sanguinem meum, Marium, à quo vrbs & Italia conseruata est, hostem iudicem. ibidem.

De Centurionibus, Pontio & C. Meuio.

An abigi debet Pontius ab horum exemplorum contextu? qui pro Cæsaris partibus excubans, Scipionis præsidio interceptus, cum vno modo salus ei daretur, si se futurum Cn. Pompeij generi ipsius militem affirmasset, ita respōdere non dubitauit, Tibi quidem Scipio gratias ago, sed mihi vti ista conditione vitæ non est opus. Sine vllis imaginibus nobilem animum, & idem constantiæ propositū sequutus C. Meuius Centurio Diui Augusti, cùm Antoniano bello sæpenumero excellentes pugnas edidisset, improuisis hostium insidiis circūuentus, & ad Antoniū Alexandriam perductus, interrogatúsque quidnam de eo statui deberet. Iugulari me, inquit, iube: quia non salutis beneficio, nec mortis supplicio adduci possum, vt aut Cæsaris miles desinam, aut tuus esse incipiam. Cæterùm quò constantius vitā contempsit, eò facilius impetrauit. Antonius enim virtuti eius incolumitatem tribuit. ibidem.

De Catone Iuniore.

Iunior Cato, qui postea ab vrbe, vbi mortuus est, Vticensis cognomentum accepit, omnis etiam priuatæ, quæ suspecta esse posset, potētiæ ceu à natura editus hostis, nedum apertorum tyrannorum grauis persequutor fuit. Itaque cùm verba faceret aduersus ciuilem occultámque tyrannidem, in quam Crassus, Pompeiúsque ac Cæsar sub Triumuiratus nomine inuaserant, Treboniy Tribuniplebis iussu lictor eum à suggestu, in quem verba facturus ascēderat, detraxit. Cùm ob id loqui nō desineret, foro ab eodem pulsus fuit: sed cùm constanter tunc quoque in Triūuiratus potentiam inuehereiur, Tribunus in carcerē duci iussit: & cùm ne tunc quidem sileret, multitudinis concursu delictorum manu liberatus est. Baptista. Fulgosus lib. 3.

De Pomponio equite Romano.

Militarem constantiam non sine laude Pōponius eques Romanus ostendit, qui in Luculli exercitu contra Mithridatem militabat. Nam cùm vulneribus confectus, ac simul in Mithridatis manu captiuus à Rege

interrogaretur, si curatis vulneribus liberaretur, amicúsne ei futurus esset, intrepidè respondit fore se, si ipse quoque Roma. Popul. amicus foret. Audacia proculdubio ingens, & animi robur Romano viro dignũ. ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA,

De Iacobo Iusto Redemptoris Christi fratre.

CVm Ananias Iudæorum Pontifex perimiquo animo ferret Christianorũ augeri numerum, arbitratus est si Iacobus (cuius vitæ sanctitas apud omnes nota, omnibúsque probata erat) adduci posset, vt Christi fidem reprobaret, omnes eius autoritatẽ sequuturos esse. Cùm autem precibus ac minis frustra, vt id Iacobus ageret, laboratũ esset, supra templi pinnaculum perductus fuit, vt nisi ab eo loco populis quæ de Christo eius lex continebat, tãquam falsa dissuaderet, inde præceps deturbaretur: fretus est enim Ananias periculi præsentis magnitudine territum Iacobum, quod vsque ad eam horam negarat, fortasse facturum: sed ne ob id quidem Iacobus sententia motus est, loquutúsque contraria, id est, Christum verè Dei filium, fidémque eius veram, sanctam, atque iustam esse: indignatis Iudæis, eorum impulsu inde deiectus vir sanctus verba simul cum vita finiuit. Bap. Fulg. lib. 3.

De Gesualdo Lõgobardo

Pari constantia inter recentiores Gesualdus Longobardus vsus est, cùm à Romualdo Beneuẽtano duce Beneuenti à Cõstantio Imperatore obsesso clàm missus ad Grimoaldum Longobardorum Regem ipsius Romualdi patrem rogatum, vt filio opem ferret: cum ipso atque auxiliario exercitu cùm Beneuentum reuerteretur (à Grimoaldo enim iussus clàm anteire ad Romualdum atq; opem, quã pater ferebat, nuntiare) aduersa eum fortuna in hostes tulit: ab eo de propinquis auxiliaribus copiis hostes certiores facti, spectare eo cœperunt, vt ad pacem Romualdum traherent, arbitratique se id melioribus conditionibus facturos, si auxiliorum spem Romualdo ademissent. Gesualdum monitum antè, vt in eam sententiam loqueretur, ad Beneuenti muros deduxerunt. Cæterùm ipse ex fide omnia obsessis narrauit, breuiq; affuturum cum valido exercitu Grimoaldum affirmauit. Quare indignati hostes statim Gesualdum occiderunt, & postera die motis castris obsidionem soluerunt. ibid.

De Theone Eremita.

Hieronymus verus scriptor testimonium perhibet, Theonẽ Ægyptium Eremitam triginta annos cellula inclusum non alio, quàm crudo cibo semper vixisse: neque vllius alloquio per id tempus vnquam, neque cum ipso quidem Hieronymo nisi per literas vsum. ibidem.

De Paterno Scotto monacho.

Paterni Scotti Monachi obstinationem potius quàm constantiam appellarem. Cùm Vndebruna, quæ in Germania est, flagrante vrbe tota, omnes fugerent, ipse constanter maneret, ne præter longi temporis institutum cella sua egrederetur. verùm sanctitas obstare videtur. etenim imperij Hẽrici tertij anno secundo sæpius vrbis illius incendium cùm prædixisset, profectò id deuitare poterat, nisi Deo ita volente, cuius consilia abyssus multa sunt, satius duxisset in cella permanendi propositum non violare. ibidem.

De Paulo primo Eremita.

Paulus primus post Christum Eremi cultor sic Deo seruiens perdurauit, vt à decimosexto ætatis suæ anno, quo solus desertum adijt, vsque ad centesimum & decimum tertium, quo vita defunctus est, hominem nonviderit. Hac tam diutina tam pij propositi continuatione meruit (velut Elias propheta) diuinitùs nutriri, coruo pabulum homini quo-

Universidad de Deusto Biblioteca

i die deferente. Meruit ab Antonio sepeliri, cauata leonibus terra. Quódque omnium maximum est, meruit ab Angelis in cælum ferri, teste Antonio, qui hoc se oculis suis conspexisse affirmabat, cuius quidem mercedis magnitudinem quisquis crebrò secum cogitauerit, nullo vnquam spiritalis vitæ labore grauari poterit, nunquam laßitudinis tædia sentiet, tantorum spe premiorũ sustentatus. Marul. lib. 5.

De Antonio Eremita.

Antonius cùm primùm solitudinem inhabitare decreuisset, ne verberibus quidem dæmonum absterreri potuit, quin quod cœperat, persequi pergeret. Perseuerauitq; ita ab octauodecimo ætatis suæ anno vsque ad centesimumquintum, quo in Domino quieuit, cui seruierat, Angelorum sortitus gloriam, quia in perseuerãdo dæmonum contempserat iniurias. ibid.

De Paulo Simplici.

Antonij discipulus Paulus Simplex cùm se recipi postulasset, & Antonius ab eo discedẽs donec rediret, expectare respõsum iußisset, toto triduo ante ianuam perstitit: plus moræ ibidem tracturus, nisi Antonius iam satis eius constãtiam se expertum arbitratus, illum intrò admisisset. Hoc exemplo eorum sanè arguitur ignauia, qui religionis habitũ sumere volentes, nisi statim in collegiũ recepti fuerint, indignãtur, mussitantésque abeunt, & priusquàm de ipsis periculum factum sit, ea re, quam petebant, se indignos ostendunt. ibid.

De eodem.

At verò posthæc idem Paulus multò etiam constantioris perseuerantiæ specimen dedit. Nam lingua quãdoque lapsus, cùm se errasse animaduertisset, trienne silentium seruauit, donec scilicet se iam didicisse credidit quid loquendum, quid tacendum esset. Si cui difficile factu videtur parte aliqua diei ex monastico instituto silentium custodire, consideret quãtò difficilius sit annos tres nihil cuiquam proloqui voluisse. ibidem.

De Simeone, Susotionis filio.

Simeonem Susotionis filium tredecim annos natum adisse Timothei Abbatis monasterium ferunt, & Monachum se profiteri velle dixisse. cùmq; non esset admissus, quòd ea ætas leuitatis propior videretur, ante ostium procidisse, & ita dies quinque sine cibo ac potu perseuerasse: ibi mori paratum, nisi quinta demum die receptus votum suum implesset, stupente Abbate tantam in puero animi firmitatem, quanta raro in senibus esset. Hoc ille stabilitatis præludio sic reliquã ætatem egit, vt in omnibus mirabilis euaderet: & si cuncta vera sunt quæ de illo produntur, nemo vnquam corpus suum acerbius afflixit. ibid.

De Mutio.

Mutium tandiu pro foribus monasterij rogantem permansisse constat, vt contra consuetudinem vnà cum Octennii filio in ordinem Monachorum receptus sit, immobili fixóque perseuerandi proposito extorsit, quod cœnobitica lex vetabat. Ab eo enim vocabatur, qui supra legem erat, & qui ait, Pulsate, & aperietur vobis. neque hoc fecit quod à filio separari non posset, sed quòd simul cum filio saluari optaret, mallens illum secũ offerre Christo, quàm relinquere mundo. ibid.

De Theodoro Pacomij discipulo.

Theodorus Pacomij discipulus professionis suæ initio à matre multùm, vt rediret, solicitatus, nunquam assensit. Attulerat illa ab Episcopis literas, quibus reddi sibi filium præcipiebatur. Hisque obsequi compulsus Abbas discipulo discedendi potestatem fecerat. Cæterùm ipse omnibus præferens Christum, nec egredi de monasterio voluit, nec saltem se ostendere matri, ne scilicet scandalizantem oculum, quem à se

Universidad de Deusto Biblioteca

iam proiecerat, rursum quærere videretur. Perseuerauit ergo in monasterio, & factus est Dei filius, qui matris esse noluit.ibid.

De Beato Francisco.

Beatum Franciscum ipse, qui genuerat, pater infenso admodum animo persequebatur, nec efficere potuit quin ille, sicut cœperat, post Christum ire perseueraret. Verberatur ergo Franciscus, despoliatur, contemnitur & gaudet, quòd dignus habitus sit pro nomine Iesu contumeliam pati. Et quoniam omnia aduersa subire prius paratus erat, quàm à proposito discedere, mox virtutum operatione, vitæque sanctitate tantum profecit, vt & terram sui fama repleret, & gaudio cælum. ibidem.

De Thoma Aquinate.

Thomam quoque Aquinatem de monasterio Prædicatorum vi tractum & domi clausum fratres eius, vt à religione reuocarent, biennio ferè tenuerunt, sed cùm ille nec minis terreretur, nec blanditiis allici posset, nec meretriculæ, quam ad eum intromiserant, lasciuia deliniri, dimissus, ad monasterium rediit, ac veluti sol, qui diu nube tectus latuerat, mox serenato cælo irradiare terram incipit: sic ille relictis fratribus ac domo, illuminare Ecclesiam cœpit, & morum & ingenij & doctrinæ nitore. Nequaquam ad tãtam gratiæ claritudinem peruenisset, nisi etiam nebula fraternæ fatuitatis circumseptus, currere perseuerasset, in proposito firmus, in tentationibus inuictus.ibid.

De Ioanne Abbate & Pesio Eremita.

Illa quoque duorum perseuerantia in primis memoratu digna, Ioannis Abbatis & Pesij Eremitæ. hunc (sicut à Cassiano relatũ est) quadraginta annis, quos in solitudine exegerat, comedentem sol non vidit, quòd occaso duntaxat sole ieiunium soluere consueuisset. Illum verò nunquam vidit iratum, eo quòd nunquam omnino in iram cõcitatus esset, licet magno fratrum numero præsideret. Quæret aliquis quomodo sontes castigauit, si nunquam iratus sit: neque enim fieri potest vt in tanta multitudine aliquis nõ peccarit. Huic respondebimus, quòd ne delinquentes quidem irascendo castigandi sunt, sed miserendo. Iræ proprium nocere est, castigationis prodesse: in altero virtus, in altero vitium est. Sed cur, inquiet, in Scripturis Deus irasci dicatur, si ira vitium est? Irasci quidem Deus dicitur, nõ quòd irascatur, sed quia dũ iustè punit, iratus videatur. Iudici autem ac præsidi punire conuenit, vt iuuet, non irasci, ne noceat. Quòd autem & ille iuuetur qui punitur, hinc patet, quia impunitus plus deliquisset: & vbi plus delicti est, ibi pœnæ grauioris exactio est. Hoc quidem modo Ioannem hunc nunquàm fuisse iratum crediderim.ibid.

De Elpidio Abbate.

De Elpidio Abbate memoriæ proditum est, quòd per quinque, & viginti annos nũquàm se ad Occidentem verterit, semper ferè orans, & illum, cui nomen, Oriens, iugiter contemplans. Nõ putauit nefas esse retro aspicere: sed sibi voluit imperare, vt cùm corporis appetitum ab iis etiam, quæ licita erãt refrænasset, facilius ab illicitis custodiret.ibid.

De Nathanaele Anachoreta.

Nathanaelis etiam anachoretæ, quam constans in perseuerando animus fuerit, ex eo intelligi potest, quòd semper clausus vixit, Episcopos ad se venientes reuerenter excepit, abeuntes ad limen vsque officij gratia prosequutus est. Neque vt inde pedem efferet, callida diaboli euocatione induci potuit. Sicque septem & triginta perseuerans annos, elatus inde, non egressus est, & corpus pariter, cellámque relinquens, in consortium receptus est beatorum.ibid.

De Sara.

Sara in Scythiotico monasterio Abbatissa, iuxta quod fluuius molliter labens, perspicuisque limpidus aquis, intuëtium oculos mira amœnitate detinere solebat: cùm tantam in eo cernendo iucunditatem esse audisset, sibiipsi imperauit, ne quando illud aspiceret, ne quam ex eo caperet voluptatem. Itaque annos sexaginta, quibus ibi vixit, nunquam fenestram adiit, nunquàm tam propè fluentem fluuium vidit, vt potius flumen illud videre digna esset, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei. Et quoniam in cauendis terrenarum rerum oblectatiunculis perseuerauerat, cælestium felicitatem perenniter possedit, æternis digna deliciis, quæ breues perituráque semper contempsit.

Optima autem perseuerandi ratio est non solùm non retrocedere, sed etiam in dies vlterius progredi, & quantum possumus ad sublimiora semper tendere ac niti. Ibunt de virtute in virtutem (inquit Propheta) videbitur Deus Deorum Sion. Vnde & Apostolus, quæ retro sunt obliuiscẽs, & ad quæ priora sunt, se extendens, ad destinatum persequitur brauiũ supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Beati enim qui esuriũt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabũtur, ait Dominus. Quo autem pabulo vel qualibus epulis hi saturandi sint, in Apocalypsi declarat dicens, Vincenti dabo edere de lignovitæ, quod est in Paradiso Dei mei: vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit. Quibus verbis quid nisi veræ perfectæq; beatitatis indicibilis designatur suauitudo? ibid.

DE SEVERITATE, GRÆCORVM exempla.

De Lacedæmoniis.

Seueri fuerunt erga Archilochum poëtam Lacedæmonij. eũ enim quãquam genere Spartanum, vrbe pepulerũt quòd carmẽ scripserat, in quo ostendi videbatur, satius esse in prælio arma, quàm vitã amittere. nam eo doctrinæ genere arbitrati sunt, homines ignauiæ atque timiditatis plus habituros. Bap. Fulg. lib. 6.

De Atheniensibus.

Athenienses autem Timagoram inter officium salutationis Darium Regem more gentis illius adulatũ capitali supplicio affecerũt: vnius ciuis humilibus blanditiis totius vrbis suæ decus Persicæ dominationi summissum grauiter ferentes. Max. lib. 5.

De Cambyse rege.

Iam Cambyses inusitatæ seueritatis, qui mali cuiusdam iudicis ex corpore pellem detractans sellæ intendit, in eáque filium iudicaturum cõsidere iussit. Cæterùm Rex & Barbarus atroci ac noua pœna iudicis, ne quis postea corrumpi iudex posset, prouidit. ibid.

De Memnone.

Memnon pugnans cõtra Alexandrum pro Dario Rege, quendam ex suis militibus, qui multa petulanter in Alexandrum maledicéque fuerat loquutus, lãcea percussit. Ego te, inquiens, alo, vt pugnes, non vt maledicas. Guido Exẽplorũ lib.

De Atheniensibus.

Athenienses missos in Arcadiam legatos, quoniam alia via, quam imperatũ erat, profecti fuerant, tametsi mandata perfecerant, tamen morte multarunt. Ælianus lib. 6.

ROMANORVM EXEMPLA.

De populo Romano.

Eadem seueritate vsus est erga Fuluium Argentarium Romanus Senatus, quòd secundo bello Punico à fenestris per meridiem in forum roseo serto coronatus spectare visus erat. carceri enim per omne tempus eius belli damnauit, vt tẽpestiuum gaudium, quo laborante patria vsus erat, carceris molestia emendaretur. Æ-

lianus lib.6.

De Tiberio Cæsare.

Tiberius Cæsar quendam Romanũ quæstura priuauit, quia vxore decimo die posteaquàm eam duxerat, repudiauit: sine fide atque cõstantia esse eum arbitratus, qui in re tanti momẽti varium se ostendit.ibid.

De Vespasiano Augusto.

SEuerior Vespasianus Imperator fuit, qui Romanum iuuenem ad eum profectum, vt pro data præfectura gratias ageret, quia vnguenta olebat, nõ contentus, manu reiecisse, contumeliam hoc verbo antè præfatus, scilicet malem allium oluisses, literas quoque datæ præfecturæ reuocauit. Seuero exẽplo monstrauit effœminata blandimenta nobilitati esse incongrua.ibidem.

De Septimo Seuero Legato Romano.

Profecto in Africam Seuero legato obtulit se amicus, & vt antè consueuerat, præ lætitia eum complexus est: ea re indignatus Septimus palàm cædi eũ grauiter iussit, præcone magna voce eum monente, ne ipse homo plebeius in posterum non habita nobilitatis ratione, Legatum Romanum amplecteretur. ibidem.

De Piscenio Nigro Galliæ gubernatore.

Piscenius quoque Niger, cùm Galliam regeret imperante Septimio, Tribunũ lapidari iussit, quia militum stipendia decimaret.ibid.

De Aureliano Imperatore.

Militis, qui hospitam violarat, Aurelianus Imperator duabus magnis arboribus ad terram deflexis alligari crura iussit, qui redeuntibus vi sua in consuetum arboribus, in duas partes discerptus est.ibid.

De Populi Rom. seueritate in Spuriũ Cassium.

SVmma indignatio ciuitatis aduersus Spurium Cassium

erupit, cui plus suspicio concupitæ dominationis nocuit, quàm tres magnifici cõsulatus, ac duo speciosissimi triumphi profuerunt. Senatus enim populúsque Rom. non contentus capitali eũ supplicio afficere, interempto domum superiecit, vt penatum quoque strage puniretur, in solo autem ædem Telluris fecit. Itaque quod prius domicilium potentissimi viri fuerat, nunc religiosæ seueritatis monimẽtum est.Max.lib.6.

De P. Mutio Tribuno plebis.

P. Mutius omnes collegas suos qui duce spurio Cassio id egerant, vt magistratibus nõ subrogatis, communis libertas in dubium vocaretur, viuos cremauit: nihil profectò hac seueritate fidentius. vnus enim Tribunus eam pœnam nouem collegis inferre ausus est, quam nouem Tribuni à vno collega exigere exhorruissent.ibid.

De C. Vatieno.

Nec in C. quidẽ Vatieno, qui sinistræ manus digitos, ne bello Italico militaret, abscíderat, seueritas Senatus cessauit. publicatis enim bonis eius, ipsum æternis vinculis puniendum censuit, effecitque, vt quem honestè spiritum profundere in acie noluerat, turpiter in catenis consumeret.ibid.

De M. Curio Consule.

Id factum imitatus M. Curius Consul, cùm delectum subitò educere coactus esset, & iunior nemo respondisset, coniectis in sortẽ omnibus tribubus, Polliæ quæ proxima exierat, primũ nomen vrna extractum citari iussit, neque eo respondente, bona adolescentis hastæ subiecit. Quod vt illi nuntiatum est, ad Cõsulũ tribunal cucurrit, collegiúmque Tribunorum appellauit. Tunc M. Curius præfatus, non opus esse eo ciue Reipub. qui parêre nesciret, & bona eius et ipsum vendidit.ibid.

De L. Domitio Prætore.

Æquè tenax propositi L.

Domitius. Nam cùm Siciliam Prætor regeret, & ad eum eximiæ magnitudinis aper allatus esset, adduci ad se pastorem, cuius manu occisus erat, iussit: interrogatúmque quomodo eam bestiam confecisset, postquam comperit vsum venabulo, crucifixit: quia ipse ad exturbanda latrocinia, quibus prouincia vastabatur, ne quis telum haberet, edixerat. Hoc aliquis in finem seueritatis, & sæuitiæ ponendum dixerit: disputatione enim vtroque flecti potest. Cæterùm ratio publici Imperij Prætorem nimis asperum existimari non patitur. ibidem.

De Horatio.

Horatius post prælium trium Curiatium conditione pugnæ omnium Albanorum victor, cùm ex illa clarissima acie domum repetens, sororem suam virginem Curiatij sponsi mortem profusius, quam illa ætas debebat, fluentem vidisset, gladio, quo patriæ rem bene gesserat, interemit: parum pudicas ratus lachrymas, quæ præpropero amori dabãtur. Quem hoc nomine reum apud populum actum, pater defendit. Ita paulò propensior animus puellæ ad memoriam futuri viri & fratrem ferocem vindicẽ, & vindictæ tam rigidum assensorem patrem habuit. ibid.

De Egnatio Metello.

Egnatij autem Metelli longè minore de causa seueritas ad exigendam vindictam concitata est, qui vxorẽ, quòd vinum bibisset, fuste percussam interemit. idque factum non accusatore tantum, sed etiam reprehensore caruit: vnoquoque existimãte optimo illam exemplo violatæ sobrietatis pœnas pependisse. Et sanè quæcunque fœmina vini vsum immoderatè appetit, et virtutibus omnibus ianuam claudit, & delictis aperit. ibidem.

De C. Sulpitio Gallo.

Horridum C. quoque Sulpitij Galli maritale supplicium. nam vxorem dimisit, quòd eam capite aperto foris versatã cognouerat: abscissa sententia, sed tamen aliqua ratione munita. Lex enim, inquit, tibi meos tantum præfinit oculos, quibus & formam tuam approbes, & placere desideres: his decora instrumẽta compara, his esto speciosa, horũ te certiori crede notitiæ: vlterior tui conspectus superuacua irritatione accersitus, in suspicione & crimine hæreat, necesse est. ibidem.

De Q. Antistio Vetere.

Nec aliter sensit Quintus Antistius Vetus repudiando vxorem, quòd illam in publico cum quadam libertina vulgari secretò loquentem viderat. nam (vt ita dicam) incunabulis culpæ & nutrimentis, non ipsa commotus culpa, certiorem delicto præbuit vltionem, vt potius caueret iniuriam, quàm vindicaret. ibidem.

De Publio Sempronio Sopho.

Iungendus est his P. Sempronius, qui coniugem repudij nota affecit: nihil aliud, quàm se ignorante ludos ausam spectare. Ergo dum sic olim fœminis occurritur, mens earum à delictis aberat. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Sergio II. Pontifice Maximo.

Ludouicus à patre Lothario, qui Imperatoris nomen habebat, Augustus creatus, atque Imperij consors, & socius nominatus, cùm magnis viribus grandique apparatu vrbẽ Romam peteret, vt ei Pontificis manibus diadema impositum sanctius haberetur, à Sergio secundo Pontifice ad sancti Petri valuas, quæ argentearum nomen habent, quæ è more tunc Pontificis iussu clausæ erant, deductus est. cùm autem manu sua eum Pontifex teneret, senio confectus inermisque ac solus iuueni Ludouico, nulla eius virium habita ratione, omnibus audientibus hæc dixit, Si Lu-

douice pacato animo venisti, reclusdantur fores, atque ingredi templum tibi licebit: quòd si alio venisti animo, caue ne has fores contingas, quia vindex Dei gladius in tuum tuorúmque caput sæuiet. Cui cùm humanè Ludouicus de animo suo respondisset, reclusis foribus tẽplum iniuit, atque illic è more fuit coronatus. Bap. Fulg. lib. 6.

De Rodulpho Imperatore.

Fuit Rodulphus Aspurgensis Comes in Ottochari Bohemi Regis aula magisterij domus honore insignis: Otthocharus autem alio nomine Primislaus fuit dictus. Hic Rodulphus virtute ad imperiũ sibi viam fecit. itaque cùm ab Ottocharo qui iam ei propter imperij nomen subijceretur, peteret vt secum fidei atque obedientiæ sacramento adigeretur: indignatus Ottocharus ei parêre, cui ipse iam imperare consueuisset, imperium neglexit. Rodulphus qui cum nomine animum quoque imperatorium induerat, ne ius suum amitteret, armis id repetiturus venerat: sed amicorum opera Ottocharus persuaderi sibi passus est, vt iuraret, modò inter paucos ea res ageretur, quòd suppudebat eum, vt coram Rodulpho deflexo genu in adorantis specie conspiceretur. Rodulphus vt grauis vir, & animi ingentis, sed nec minore ingenio, superbo Regi annuit, vt intra tentorium suum iuraret. ad eum igitur postero die Ottocharus rem occultam esse arbitratus, se contulit. dum igitur in tentorium proficiscitur, inspicit Rodulphum chlamyde atque diademate imperatorio ornatum in aureo throno principibus septum sedere. itaque stupore captus, cùm quid consilij iniret, non videret, quia iam ad pœnitentiam regressus non erat, deflexis genibus ad Rodulphi pedes iacuit. Vbi dũ Scriba longis verbis iuramenti formulam recitaret, tentorij latera, quæ ad eam rem per Rodulphum composita erant, cùm ad terram corruissent, Rodulphum diademate insignẽ Germanis, Bohemísque in throno sedentem, Ottocharúmque ad eius pedes iacentem ostenderũt. Eo facto Bohemus Rex vehementer indignatus, cùm postea in Rodulphum arma cepisset, vitam amisit. Ostendere enim Rodulphus Ottocharo voluit, pro fortuna animum habendum esse: & qui olim cùm ei parêret, officio non defuerat, postea mutata fortuna, alium quoque induisse animum, atque sibi quoque alium deberi honorem. ibidem.

De Gregorio VII. Pontifice.

Gregorius septimus Pontifex non contentus Henricum tertium anathemate multare, tãdem imperatorij quoque honoris dignitate priuauit: quia ecclesiastica sacerdotia venalia habebat: & admonitũ vt corrigi se pateretur, durum inuenit: neque verò antè anathematis vinculo liberauit, aut ad pristinum honorem admisit, quàm per hyemem nudis pedibus in niue collo indutus Zonã, multas horas ad Canusiæ oppidi portas in Rhegiensi agro, vbi tunc Põtifex agebat, erroris sui veniam petiit: & tandem illius, amicorúmque precibus ad suos exosculandum pedes admisit. ibidem.

De Matthia Vngariæ Rege.

Matthias Coruinus Vngariæ Rex tonsori suo, quem pergratũ habebat, locupletauerátque, labra ac nasum desecuit, atque in lance ferre iussit: quòd is in regio cubiculo ministris Aragonij Cardinalis legati vxoris suæ fratris posteriores vestium partes per iocum mutilauerat: & ipse rogatus eius facti causam exprimere, ridens Regi fassus erat, cui pœnæ eum Rex damnauit, vt qui in maleficio ridebat, exertis dentibus etiam cũ fleret, ridere videretur. ibidem.

De Leone IIII. Pontifice.

Leo IIII. Pontifex Maximus cardinalatus honore Anastasium tituli sancti Marcelli

priuauit: quia contra canones quinquennium à parochia sua abfuerat.ibidem.

De Vrbano Sexto Pontifice.

Vrbanus quoque VI. Pontifex maximus ductos mari à Nuceria ad vrbem Genuam septã Cardinales, qui clàm cum Clemente conspirarunt cũ ipso de pontificatu contendente, nulla mitiori pœna dignatus est, quàm vt saccis seorsum inclusos in mari demergeret. ibid.

De Castrutio Castracane Lucensium domino.

Cùm Castrutius Castracanis Lucẽsium dominus sciret mercatorem quendam prædiuitem aufugisse, nec multò pòst parua pecunia cum creditoribus pacta mensam repetiisse, magnificasque ædes ædificare cœpisse, in vincula coniecit: vocatisque ex edicto creditoribus, pro tota summa satisfieri iussit, et quod vltrà mercatori superfuit, in publicum redegit, appenso autẽ mensario iuxta mensam, in qua aduersus eos qui fidem eius sequuti fuerant, fraus commissa est, ceruices fregit: neque enim minori supplicio dignum putauit, quàm qui in viatores grassantur.ibidem.

DE PARENTVM patientia in ferenda filiorum morte, Græcorum exempla.

De Dione Syracusano.

Dion sermonem cũ amicis cœptum in cubiculo non intermisit, cùm audito ingenti strepitu accepit filium de fenestris collapsum, mortuum esse. nam cùm mulieribus sepeliendi eius curã mãdasset, ipse inceptum sermonem continuauit nullo doloris edito signo. Bapt. Fulgo. lib. 5.

De muliere Spartana.

Spartana mulier cùm quinque liberos haberet in eo prælio, quo haud longè ab vrbe decertabatur, quendam inde venientem rogauit, quo in statu Lacedæmonia res esset, respondente autem illo, filios eius omnes interiisse: mulier ad eum, Malo tuo fato hoc à te non petij, sed vt patria res se haberet: & cùm is postea subiunxisset, omnia bene cedere, mulier iam filiorum morte non dolere dixit.ibidem.

De Alia Spartana.

Lacedæmonia mulier vt intellexit in prælio filium occubuisse, monuit vt sepelirẽt: quoniam pro eo ad prælium alterum missura erat.ibidem,

De Xenophonte.

Xenophon autem, quod ad Socraticam disciplinam attinet, proximus à Platone, felicis ac beatæ facundiæ gradus, cùm solenne sacrificium peragere, è duobus filiis maiorem natu nomine Gryllum apud Mantineã in prælio cecidisse cognouit: nec ideo institutũ deorum cultum omittendum putauit, sed tantummodo coronã deponere contentus fuit. Quam ipsam percunctatus quonam modo occidisset, vt audiuit fortissimè pugnantem interiisse, capiti reposuit: numina, quibus sacrificabat testatus, maiorem se ex virtute filij voluptatem, quàm ex morte amaritudinem sentire. Alius remouisset hostiam, abiecisset altaria, lachrymis respersa thura disiecisset: Xenophontis cor pia religione immobile stetit, & animus in consilio prudentiæ stabilis mansit, ac dolori succumbere ipsa clade, quæ nuntiata erat, tristius duxit. Max. lib. 5.

De Anaxagora.

Ne Anaxagoras quidẽ supprimendus est. Audita nanque morte filij, Nihil, inquit, mihi inexpectatum, aut nouũ nuntias. ego enim illum ex me natum sciebam esse mortalem. Has voces vtilissimas præceptis imbuta virtus mittit: quas si quis efficaciter auribus perceperit, non ignorabit ita liberos procreandos, vt meminerit his à rerum natura & accipiendi

spiritus, & reddendi eodẽ momento temporis legem dici: atque vt mori neminem solere, qui non vixerit: ita nec viuere aliquem quidem posse, qui non sit moriturus. ibidem.

De Antigono.

Antigonus cùm filius eius ex acie defunctus reportaretur, non vultum mutauit, nec lachrymas fudit, sed collaudatũ, quòd fortiter pugnando occubuisset, sepulchro mandari iussit. Ælianus.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Horatio Puluillo.

Horatius Puluillus cùm in Capitolio Ioui Opt. Max. ædem Pontifex dedicaret, intérque nuncupationem solennium verborum, postem tenens, mortuum esse filium suum audisset, neque manum à poste remouit, ne tanti templi dedicationem interrumperet: neque vultum à publica religione ad priuatum dolorem reflexit, ne patris magis, quàm Pontificis partes egisse videretur. Max. lib. 5.

De Æmilio Paulo.

Clarum exemplum, nec minus tamen illustre, quod sequitur. Æmilius Paulus nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repræsentatio: ex quatuor filiis formæ insignis egregiæ indolis duos iure adoptionis in Corneliam, Fabiámque gentem tralatos, sibi ipse denegauit: duos ei fortuna abstulit. Quorum alter triumphũ patris funere suo quartum ante diem præcessit: alter in triũphali curru conspectus, post diẽ tertium expirauit. itaque qui ad donandos vsque libertos abundauerat, in orbitate subitò destitutus est: quem casum quo robore animi sustinuerit, oratione, quam de rebus à se gestis apud populum habuit, hac adijciendo clausulam, nulli ambiguum reliquit: Cùm in maximo prouentu felicitatis vestræ, Quirites, timerem ne quid

mali fortuna moliretur, Iouem Opt. Max. Iunonémq; Reginam & Mineruam precatus sum, vt si aduersi quid populo Rom. immineret, totum in meam domum conuerteretur. Quapropter bene habet se res: annuendo enim votis meis, id egerunt, vt vos potiùs meum casum doleatis, quàm ego vestrum ingemiscerem. ibid.

De Q. Martio Rege.

Martius Rex Superioris Catonis in consulatu Collega filiũ summæ pietatis, magnæ spei, & (quæ non parua calamitatis accessio fuit) vnicum amisit: cúmque se obitu eius subrutum, & euersum videret, ita dolorem altitudine consilij coërcuit, vt à rogo iuuenis protinus Curiam peteret, Senatúmque quem eo die lege habere oportebat, euocaret. quod nisi fortiter mærorem ferre scisset, vnius diei lucem inter calamitosum patrem & strenuum Consulem neutra in parte cessante officio partiri non potuisset. ibid.

De Tiberio Cæsare.

Tiberius Cæsar magno animo magnóq; iudicio in Drusi morte, quem vnum habebat filiũ, fuit. nam cùm haud magni momenti eum duceret, quippe qui pluris virtutem, quàm sanguinem faciebat, à funere eius rectà ad Curiam, ad publica munia obeunda, vt antè solebat, nullo doloris expresso signo, perrexit. Bapt. Fulg. lib. 5.

De M. Crasso.

M. Crassus, cùm filium, quem vnicum habebat, prælio cum Parthis inito occisum esse, & ob id exercitum animo consternatum intelligeret, dissimulato dolore, qui altius tamen in ipsius corde insederat (quia senio confectus alium procreãdi spem nullam haberet) ingenti animo per totum agmen percurrens, magna voce dicebat, ne vnius militis iactura tantopere commouerentur: verùm fortiter dimicantes, & sui & patriæ decoris meminissent, huius doloris vltione ipsi soli relicta. ibid.

Universidad de Deusto Biblioteca

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Felicitate ciue Romana.

QVod de quinque liberis Spartana, id de septẽ Felicitas in vrbe Roma fecit, imperãte Antonino Vero, cùm crudeliter pro fide Catholica morti affici eos videret, neque enim vel lachrymas misit vnquàm, vel suspiria traxit, sed constanti animo hortabatur, vt fortiter eam mortem perferrẽt. Omnia gentium exempla nostræ fœminæ exemplum virtutis magnitudine superat. Baptista Fulgosus. lib. 5.

De Lãba Auria Genuẽsi.

Lambas Auria Genuensis classis præfectus, dum in Adriatico sinu cum Venetis confligeret, vbi magno eos prælio superauit: cùm in medio prælij ardore ei nuntiatũ esset, filium pugnando interfectum fuisse, nullo alio doloris edito signo, vt in certamine pergerent, & ad victoriam enitterentur, alios hortatus est: & quod ad filium pertineret, in mare eum proijcerent, quòd nullo nobiliori sepulchro tumulari posset, quàm illic, vbi pro patria pugnãs parta à suis victoria mortem oppetijsset. ibidem.

De Homulo Iurisconsulto Neapolitano.

Pari patientia Homulus Iurisconsultus Neapolitanus cùm Romæ in palatio causam ageret, nuntiata filij morte, neque voce, neque vultu mutato, magna constantia peregit quæ dicenda susceperat. postea ad clientes & aduersarios conuersus, orauit, vt æquo ferre animo vellent, dum vnam tantùm horam paterno affectui operam daret: atque his dictis in cubiculum in ipso palatio secessit, neque plusquam horam moratus, ad perficienda quæ supererant, reuersus est, nulla in parte à priore statu mutatus. ibidem.

De Marzuco Pisano.

Marzucus Pisanus Iurisconsultus equestri dignitate insignis, relicto seculo in fratrum Minorum ordinem se recepit, ibique factus certior quòd Farinatas filius à Bentino Capraiensi esset occisus, non solùm filij funeri sine lachrymis interfuit, sed vt veriùs iniuriam se remisisse monstraret, Bentini percussoris filij manum deosculatus est. mirandum profecto virtutis exemplum religionis cultu comparatum. ibid.

DE GRAVITATE & maiestate, Græcorum exempla.

De Alexandro Rege.

Dario enim vno et altero prælio virtutem Alexãdri experto, atque ideo partem regni Tauro tenus mõte & filiam in matrimonium cum decem cẽtum millibus talentum pollicente, cùm Parmenion dixisset, se si Alexander esset, vsurum ea conditione, respondit, Et ego vterer, si Parmenion essem. Vocem duabus victoriis respõdentem, dignámque cui tertia, sicut euenit, tribueretur. Max. lib. 6.

De quodam Spartano.

Nec parum graue Spartani cuiusdam dictum: siquidem nobilitate & sanctitate præstans, & in petitione magistratus victus, maximæ sibi esse lætitiæ prædicauit, quòd aliquot patria sua se meliores viros haberet, quo sermone repulsam honori adæquauit. ibid.

De populo Cinanensi.

Cum se Decio Bruto tota penè Lusitania dedidisset, ac sola gentis huius vrbs Cinania pertinaciter arma retineret, tentata redemptione propemodum vno ore legatis Bruti respondit, ferrum sibi à maioribus, quo vrbem tuerentur, non aurum, quo libertatem ab Imperatore auaro emerent, relictum. Melius sine dubio homines nostri sanguinis hæc dixisset, quàm audissent: sed illos quidem natura in huius grauitatis vestigia deduxit. ibidem.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Cimone Atheniensi.

Cimon Atheniensis cùm per totam vrbem disseminatum esset, à Delphico Oraculo responsum esse, vnum Athenis virum esse, qui aduerso ciuibus omnibus aliis animo esset, & cui præsentium rerum administratio inuisa esset, populum apertè monuit, ne quis esset qui quærendo laboraret: se enim eũ esse liberè fatebatur, cui nihil eorum placeret quæ per id tempus in administranda Rep. gererentur. verbo enim & aperto & libero eius temporis administrationem carpsit. Bapt. Fulg. lib. 6.

De Democrate Atheniẽsi

Cùm Athenienses ad Philippum in Macedoniam legatos misissent, acerbum quidem, sed occultum eorum hostem: confecta legatione Philippus eos dimittens, vt mos est, dicere cœpit, si quid aliud esset quod Athenienſium gratia facere posset, neque vltrà ad finiendam orationem pergebat: statim legatorum vnus Democrates cæteris audacior subiunxit, Vt te suspendas: apertè ei verum fassus, qui fictè operam suam Atheniensibus videbatur offerre. Quæ libertas magno ei malo constitisset, nisi eum plus ficta Philippi humanitas, quàm propria prudentia texisset. neque enim aliud Philippus egit, nisi quòd ad alios legatos conuersus dixit, Referte Atheniensibus eum, qui tam acerbum verbum minimè indignatus audiuit, longè eo qui verbum nihil lacessitus pronuntiauit, modestiorem erga vos fuisse. ibid.

De Dericle Spartano.

Non minus liberè Dericles Spartanus missus à Spartano populo ad Regem Pyrrhum legatus egit. nam cùm Pyrrhus grauibus verbis vrgeret, vt Lacedæmonij Cleoninum Regem, quem pepulerant, in regnum restituerent, nulla illius dignitatis ratione habita, respondit, Si Deus es, nobis minimè timẽdum à te ducimus: nam cùm iustã habeamus causam, Deus, qui iustus est, nihil aduersus nos molietur: quibus tu si non Deus, sed homo es, melior profectò non es. quapropter nobis tantopere timendum non est. ibid.

De Zenobia Regina Palmerensium.

Regina Palmerensium Zenobia cùm ab Aureliano Augusto capta esset, Aurelianus ab ea petiit qua re freta, æquare se Romano Imperatori ausa esset: ipsa verò etsi captiua atque in vltima fortuna constituta respondit, Te qui vincere scis, Imperatorem agnosco, sed Galienum, Aureolum atque alios ei similes nunquam Imperatores duxi. itaque si optatis meis fortuna respondisset, imperij consors ac socia tibi esse volebam. Mira res profectò fuit, fœminam captiuam de participando imperio cum Romano imperatore mẽtionem facere ausam esse. Idem lib. 6. De his quæ graiter facta vel, &c.

De Themistocle.

Cum Simonides poëta Prætoris Themistoclis operam pro amico in re iniqua peteret, respondit Themistocles, nec Simonidem bonum poëtam fore: nisi mensuram modúmque in canẽdis carmimbus quæ scriberet curaret: neque se bonum Prætorem, si legibus ac iustitiæ alicuius gratiam præposuisset. ibidem.

De Sene Lacedæmonio.

Cùm in Spartanorum consilio quidam vitæ parum probatæ, cæterùm lingua promptus sententiam suam prudenter dixisset, quoniam maiorem Senatus partẽ mouerat, iámque pro eius sententia deliberaretur: senex quidam inter alios vehementer Senatum reprehendit, quòd ab illaudatæ vitæ homine aliquo modo consilium cepisse videri vellet: ostendens rem vehementer grauitati Lacedæmoniorum aduersari. Sed cùm omnes vehementer illius sen-

tentiam laudaret, persuasit vt eandem illam rem, quam eloquens, cæterùm parũ bonus dixerat, ab alio quanquam non æquè diserto, bono tamen viro dici iuberent, & sub eius nomine senatusconsultum conficerent: qui ne grauitatis immemores fuisse videretur, bono vsi consilio, autoris nomen prætermiserunt. ibid.

De Philippo Macedonum Rege.

Cùm Philippus Macedonum Rex Antipatri amici rogatu quendam in iudicum collegiũ adhibuisset, eúmque postea barba capillóque tincto inspexisset, honorem quem dederat, ademit. affirmauit enim nũquam eum fidelẽ constantémque fore, qui barbam capillúmque mentiretur.

De Alexandro.

Cùm veterani milites tumultuosius missionem efflagitarent, sensissentque ob eum tumultum alienatum à se Regis animum: etsi satis honorifice dimittebantur, multùm diu ambiuere ante eius tabernaculũ, cum mœrore & luctu prostrati, vt in ordinem restituerẽtur. Sabel. li. 6.

De Themistocle.

Tantùm Xerxes Rex Themistocli tribuit Athenienſi, vt nocte proxima, qua illũ patria extorrem accepit, exclamasse dicatur, Habeo Athenienses. ibidem. 6.

De eodem Themistocle.

Par illi autoritas inter suos: nam præter Salaminiam pugnam, cuius autor fuit, satis cõstat: Olympiaco conuentu totius Græciæ oculos in se vertisse, tanta in vno fuit aut autoritas, aut virtutis opinio. ibidem.

De Annibale Barchino.

Habuit sub signis Annibal, cùm bellum in Italia gessit, Afros, Numidas, Mauros, Hispanos, Baleares, Gallos, Ligures, & Italici nominis numerum ingentem: tanta tamẽ in eo fuit autoritas, vt nullam in tanta hominum colluuione tam longo bello, ac tam varij euentus sit seditionẽ expertus. ibid.

De Chilone Lacedæmonio.

Chilon Lacedæmonius amicitiæ conciliandæ gratia Corinthũ missus, cùm ciuitatis principes in alea reperisset occupatos, statim infecto negotio rediit dicens, se nolle gloriam Lacedæmoniorum tum quidem clarescentem, ea maculare infamia, vt diceretur instigasse Lacedæmonios eum aleatoribus societatem inire. Guido Exemplorum lib.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Q. Flaminio Consule.

Q. Flaminius cùm aduersus postremum Philippũ Macedoniæ Regem bellum gereret, & in tractanda pace delectus locus esset ad colloquendum, posteaquam loco appropinquarunt, Philippus fraudem veritus, obsides à Flaminio petiit, affirmans Romæ multos esse Flaminios: sed apud Macedones vnum esse Philippum: ad quem Flaminius, id ipsius culpa accidere, qui amicos et propinquos omnes interemisset. Romano verbo & libertatis pleno crudelitatem, atque perfidiam Philippo improperauit. Bap. Fulg. lib. 6.

De Paulo Æmilio Consule.

Paulus Æmilius Cõsul aduersus Persen Macedoniæ Regem creatus, cùm mos esset in eiusmodi rebus populo Romano gratias agere, vt suam in dicendo libertatem seruaret, virtute atque innocentia sua fretus, ad populum dixit, de duobus consulatibus, quos erat adeptus, primum se sui gratia petiisse, hunc ante secundum ab ipso populo delatum suscepisse. Huius igitur postremi causa gratias non agere: quin potius si quem meliorem se ad eam expeditionem populus inueniret, eum eligeret, id se æquo animo laturum. Verum si quid in eius vir

tute spei populus reposuisset, suis decretis obtēperaret: quòd si populo statutum esset impera re malle, & non imperanti parēre, sciret ludibrio omnibus Romanorum expeditiones fore. ita enim animi libertate populum Romanum, quavirum quencunque priuatum alloquutus est. ibid.

De Rubrio Flauio & Sulpitio Aspero Tribunis militum.

Valde profectò libera Rubrij Flauij Tribuni militaris oratio fuit, quo tēpore conuictus, conscium se Pisonianæ conspirationis esse rogante Nerone, quamobrem eius vitæ insidiaretur, respondit, Nullus vnquā maior me erga te fide fuit, dū vt amari posses, dignum te præstitisti: sed posteaquam matris parricida, vxoris tuæ occisor, itē auriga factus es, & inimicam exercuisti artem, patriam incēdisti, mortalium omnium odio dignum te fecisti. Sulpitius quo que Asper eadem quo Flauius dignitate & eadem culpa insimulatus, cùm similiter de conspirationis causa percunctatus esset, non minus liberè verum paucioribus verbis respondit, se in Neronem conspirasse, quod aliam rationem finiendorum tantorum scelerum non inueniret. Vera profectò Romanorum hominum libertas. ibid.

De duabus vetulis.

Non minoris facienda fuit Macedonicæ vetulæ libertas erga Demetrium Regem, & alterius erga Adrianū Augustum: quæ quanquam diuersis fuerunt temporibus, tamen hic propter similitudinem coniunctim enarrantur. Indignatæ enim quòd loquendi potestate petita, hi duo principes audiendi sibi otium non esse respondissent, eis dixerunt, Ergo reges non estote. Quod verbum cum acriter eos pupugisset, in posterum cum aliis vterque humanioré faciliorémque se præbuit. ibid.

De Homulo ciue Romano.

Antonius pius singulari humanitate princeps Homuli ciuis Romani ædes ingressus, cùm Porphyritas colūnas vidisset, petiit vnde Homulus eas habuisset. cui is respondit, in aliena domo hominē surdū, mutúmque esse oportere. libero enim verbo fortasse magis, quàm apud Imperatorem æquum erat, nimiam Antonij curam momordit. ibid.

De Frontone Consule.

Fronto Cōsul de Cocceio Nerua principe optimo ac patientissimo cùm videret nimium populo permitti, esseque in eius manu vel accusare, vel occidere, clara voce dixit, malum esse sub principe viuere, qui nihil agi permitteret: sed longè deterius sub eo, qui fieri nihil prohiberet. quod Nerua cùm audisset, modum accusationibus imposuit. ibid.

De Scipione Africano.

Cùm Scipio Maior in Africam traiecisset, & Carthaginenses bello defessi aliquot Legatos ad eum de pace misissent, dimisit eos ita, ne amplius redirent, nisi Terentium Senatorem Romanum, quem captiuū habebant, secum adducerēt. deductum igitur ab eis Terentiū lateri suo assidere iussit, atque ita Carthaginensium Legatos audiuit, ac pacem quam petebant, dedit. Vsus enim grauitate, quæ virum Romanum decebat, egit vt Terētius eodem die Carthaginensium captiuus atque pro tribunali sedens petitæ à Carthaginensibus pacis arbiter esset. ibidem.

De eodem.

Idem militarem seditionem est nonnunquam expertus, fuit in eo alioqui tanta de ipsius virtute opinio, vt multi Italici nominis, qui iam stipendium erāt emeriti, sponte sequuti sint illū Africā prouinciam extra sortem adeptum. Sabel. lib. 6.

De C. Cæsare Dictatore.

Est C. Cæsar, qui dictator

fuit, militari seditione aliquando exagitatus, ita tamen, vt in nullo Ducum maiora interim extiterint autoritatis exempla, quorum vnum satis sit referre. Dum Africam bello petit, Romæ legionarij mota seditione missionem efflagitabant: obtulit sese ille nihil secius sæuienti multitudini, omnibus amicis frustra reuocantibus. cæterùm vno verbo quo eos, Quirites, & non milites appellauit, adeò circum egit, vt responsum sit, se milites esse, non Quirites, móxque exautorati ægrè precibus tenuerunt vt in integrum fuerint ab eo restituti. Sic circa Placentiam sexta legio multata, sic C. Cassius Pompeianorum ducum vnus, cùm plures ductaret naues ad bellum instructas, eidem Cæsari cessit paruo nauigio sedenti: tanta vni ducum autoritas non solùm inter suos fuit, sed superfuit etiam apud hostes. ibidem.

De Rege Antiocho & Scipione Africano.

Rex Antiochus bello, quod cum Romanis gerebat, filium Scipionis Africani à militibus suis interceptum honoratissimè excepit, regiisque muneribus donatum vltro & celeriter patri remisit, quanquam ab eo tum maximè finibus imperij pellebatur: sed et Rex lacessitus maiestatem excellentissimi virive nerari, quàm dolorem suum vlcisci maluit. Max. lib. 2.

De eodem Africano.

Ad Africanũ eundem in Linternina villa se continentem, complures prædonum duces videndum eodem tempore fortè confluxerũt: quos cùm ad vim faciendam venire existimasset, præsidium domesticorum in tecto collocauit, erátque in his repellendis, & animo et apparatu occupatus. Quod vt prædones animaduerterunt, dimissis militibus, abiectisque armis, ianuæ appropinquant, & clara voce nuntiant Scipioni, non vitæ eius hostes, sed virtutis admiratores venisse, conspectum & congressum tanti viri rasset, sagitta configeret. Sabel. lib. 6.

De Michaele Veneto principe.

Extitit in Michaele Veneto Principe autoritatis exemplum clarum & illustre. obsidebat Venetus Tyrum vrbem circa Syriam cum numerosa classe: fuitque obsidio illa longa & laboriosa: & quia procul à patria, stipendij indiga. ne igitur socij nauales remigésque stipendij causa militiam detractarẽt, ex aluta ad tempus pecuniam publica forma signauit, adnumerauitque classiariis ea conditione, vt domum reuersis aurea argenteáque pro temporaria repræsentaretur. Crediderunt nauales turmæ, & quicunque hominum in nauibus erant, publicámque fidem & ducis autoritatem sequuti, quãdiu foris est bellatum, sine discrimine inter se imaginaria sunt pecunia vsi. ibid.

De Mose Ægyptio Eremita.

Magna habita est apud Saracenos Mosis Ægyptij Eremitæ maiestas, quam illi virtus & morum sanctitas peperit. Nam Mainam, Saracenorum Reginam præpotentem ab idololatrico cultu ad Christi fidem perduxit. Valentiniano enim Imperatori scripsit, Si Mosem Ægyptium Eremitam, & nõ alium ad eam Episcopum ac fidei doctorẽ mitteret, ad Christianam religionem se transituram esse, persuasa sibi sine illo non bene hoc se opus impleturam. B. Eul. lib. 2.

De Benedicto Abbate Cassinate.

Maiestatem quam in Mose Maina Regina reuerita est, Totila Gotthorum Rex in Benedicto coluit. Fama enim illius impulsus, ad eũ in Cassinatem montem profectus est videndũ, etsi tunc ipsum suscepta aduersus vrbem Romam expeditio occupatum habebat. Vt igitur in eius conspectum venit, & solus sederet senio & squalore obsitus Abbas: tamen vt eum intuitus est, quanquam adhuc

longè ab eo esset, immanis ac barbarus Rex, quem imperij Romani magnitudo non mouebat, senis & inopis Abbatis existimatio mouit: ad terram enim concidit, humi vtroq; nixus genu, sanctóque homini, ceu eius conspectu indignus, ap propinquare non audebat, neque Abbatis hortationibus antè se mouit, quàm Abbas ad eum profectus, manu sua ipsum leuauit. Potuit enim homunculi virtus apud ferocis Regis verendam potentiam id efficere, quod nulla humana potentia, vt præstare Totila vellet regi alicui, ne dum priuato homini, effecisset. ibid.

De Petro Morono Eremita.

Vacante apostolica sede iam secundo anno per Nicolai IIII. Pontificis mortem propter graues Cardinalium in eligendo successore contentiones, vnanimes tandem conuenerunt Cardinales, vt Petrum Moronum Eremitam Pontificem crearet: arbitrati illum vnum ad tantam dirimendam contentionē, lapsæque in deterius Ecclesiæ corrigendos mores remedium esse posse. boni enim illius viri sanctitatis opinio, inopiáque humili consociati spiritu, plus valuit, quàm versuta eorum doctrina opésque, qui locum, quem ipse non quærebat, inuadere moliebantur. Electus igitur à sacro Senatu secularibusque multis principibus in Æquorum vrbem Aquilam exceptus vetulus Eremita, asinæ insidens, horrida amictus veste, omnes in admirationē venerationémque simul haud aliter permouit, quàm se Redemptorem Hierosolymam Palmarum die ineuntem videret. humilis enim illius vestis atque peruilis animalis, quod senex insederat, imperium Cardinalium fulgens purpura, candidique equorum greges subierunt, virtutem ceu cælitus missam, quæ sub tā humili latebat habitu, adorantes. Huic enim humilitati Deus hoc ceu prærogatiuæ munus cōcessit, vt qui ei aduersarentur, eámque fugiunt, in aliis ipsam adorare cogantur. ibid.

De Francisco qui Paulæ dicebatur, Eremita.

In eandem penè existimationem venit Franciscus Paulæ Eremita, vir natione Calaber, cùm à tertiodecimo anno vsque ad sexagesimum Eremiticam egisset vitam, obsonio nullo cibos suos molliente. Quamobrem missis à Ludouico vndecimo Gallorum Rege ad Ferdinandū Seniorem Neapolitanum Regem oratoribus, qui precibus multis hunc peterent, vix tandem Sexto IIII. Pontifice ita iubente adduci Franciscus potuit, vt in Galliam ad Ludouicum se conferret. à quò per omne regnum, quo iter habuit, præmissis sacris, ceu si Cardinalis cum legationis honore illuc tenderet, exceptus fuit: quanquàm literarum expers esset, ab eo Rege eiúsque filio Carolo octauo consiliis de magnis rebus adhibebatur, sententiáque eius præferebatur. Alexādróque IIII. Pontifice hoc præbente, princeps quintæ regulæ factus fuit. quæ postea ab eo nomen accepit. ibidem.

DE CONVERSATIONE, NOSTRORUM exempla.

De Petro Bar-jona.

Petrus Apostolus amore inter omnes ardētissimus, tunc quidē refixit cùm atrium Caiphæ ingressus, impiorum hominum se implicuit colloquiis, compulsusque est negare se illum nosse, quem paulò antè Dei viuentis Filium confessus fuerat. corrumpunt itaque (vt Paulus ait) bonos mores confabulationes pessimæ: & qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Marul. lib. 3.

Idcirco Dominus noster petenti discipulo, vt abiens parentaret patri, non permisit, ne infidelium cognatorum, quos afore funeri necesse erat, consortio macularetur. Sine, inquit, mortuis, vt sepeliant mortuos suos: tu me sequere. Quia scilicet

Universidad de Deusto Biblioteca

ego vita sum, mecum viue, & dimitte mortuos, ne fortè & ipse simul moriaris. ibid.

De Ioanne Apostolo.

Ioannes Apostolus balnea cum discipulis ingressus, vt eos qui illò conueniebant, Euangelium doceret, vidit inter lauantes Cherintum hæreticum, atque inde relato statim gradu, ad suos cõuersus, Fugiamus hinc, ait, ne balnea nos opprimant ruina, in quibus Cherintus lauat, veritatis inimicus. Adeò non fidem solùm, sed etiam vitam periclitari cum hæreticis cõuersantium existimauit. ibid.

De Polycarpo Ioannis Apostoli discipulo.

Polycarpus quoque eius discipulus Martioni hæretico fortè occurrens, cùm ab eo, an se agnosceret, interrogaretur, respondisse dicitur, Agnosco, agnosco diaboli primogenitum. Itaque docet, haud molliter cum huiusmodi hominibus loquendum esse, si quando loqui necesse fuerit. Cur enim dissimulemus eosdem nos habere inimicos, quos Dei esse nouerimus, tanto maiore odio dignos, quantò dolosius catholicæ insidiantur veritati? ibidem.

De Antonio Abbate Alexandrino.

Antonium Abbatem Alexandrinum dicere solitũ ferunt, non expedire Christi seruis eorum, qui seculo seruiunt, domos frequentare, aut consuetudine vti. sicuti enim pisces de aqua eductos continuò languescere, & emori solere: sic Monachum extra Cœnobij septa vagantem, si quicquàm confabulationi vacauerit alienorum, ad cordis tepiditatem redigi, et circa spiritalia exercenda effici tardiorem. ibidem.

De Arsenio.

Arsenius interrogatus cur tantopere accessum hominum deuitaret, respondit, non posse se simul cum Deo & hominibus esse. ibidem.

De Paulo primo eremi cultore & Honophrio.

Paulus primus inter Christianos eremi cultor annos septẽ & nonaginta, Honophrius septuaginta hominibus inuisi incogniti que fuere. ac postremò ne incogniti essent, tũc visi sunt cùm de solitudine terrena ad celebritatem cælestem transferendi erant, Domino nobis prospiciente, vt eorum exemplo ad virtutes capessendas, viámque perfectionis confidenter aggrediendam magis accenderemur. ibidem.

De Francisco Asisiate.

Quis autem perfectionem vitæ professus in ædibus magnatum securè versari poterit, si Seraphicus Franciscus ob eam causam diuino permissus dæmonum verbera passus scit? Apud Leonem sanctæ Crucis Cardinalem dies aliquot moratus, pœnam sustinuit, & culpam agnouit: ilicóque discessit, atque ad monasterium rediens, rem quæ sibi contigerat, vt cæteri cauerent, indicauit: Ouis quippe, quæ de ouili egreditur, lupi morsibus patet. ibid.

De Hilarione.

Sed profectò sicuti secularium & potentum consortium ijs, qui seculo renuntiarunt, fugiendum est: ita omnibus Sanctorum quærenda familiaritas, quos vel vidisse, incitamentũ virtutis est. Hilarion visendi Antonij cupiditate ardens, eremum adyt, ac statim vt illum vidit, habitum mutauit, religionis propositum suscepit, duobus ferè mensibus iuxta eũ mansit, contemplans ordinem vitæ eius, morúmque grauitatem, quàm creber in oratione, quàm humilis in suscipiendis fratribus, seuerus in corripiendis, alacer in exhortandis: & vt continentiam cibique eius asperitatem nulla vnquàm infirmitas frangeret. His imbutus exemplis in solitudinem secessit, tantáque præstitit sanctitate, vt vbique latebras quæritans, nusquam latere potuerit, miraculis eum semper proden-

tibus. Vsqueadeo quidem adisse aliquando Antonium, & cum Antonio fuisse iuuit. Hoc ita nõnunquàm vsu venire et Propheta disertissimè testatur, dicens, Cum sancto sanctus eris, & cum electo electus eris, et cũ peruerso peruerteris. ibid.

De Bernardi Abbatis sorore.

Bernardi Abbatis soror dũ fratrem visitat, mundum contempsit. Ornata multo cum fastu ad monasterium venerat, aditu interdicta est causa, cur repelleretur, cognita, lugens pro foribus stetit, Et peccaui, inquit, sed pro peccatoribus Christus mortuus est: si delinquẽte despicis, ne despicias corrigi volentem. Admissa audiuit quãtæ vanitatis esset ille ornatus, quo caro mox in terram cessura, & in putredinem resoluenda comitatur, decoratúrque. Tunc domum rediens impetrata à viro, cui tradita erat, coniugij solutione, religioni sese addixit, et tantò deinde Deo seruire cæpit humilius, quantò ambitiosius antè seruierat mundo. Vis etenim quædam inesse solet confabulationi Sanctorum, quæ interdum (quanuis dura) peccatorũ corda frãgit, macerat, emollit, ac prorsus à vanitate resipiscere cogit. ibidem.

De infidelium consortio vitando.

Ab infidelium præterea consortio nos amoliri oportet, qui ad Ecclesiam conuerti neglexerint, Apostolo dicente, Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ conuentio Christi cum Belial? aut pars fideli cum infideli? quis cõsensus templo Dei cum idolis? Et Dominus in Euangelio, In viam gentium, inquit, ne abieritis. ibidem.

Postremò ab omnium illorum conuersatione secedendum est, qui vitiis assueti, pertinaciter obdurantur, corrigique & emendari omnino nolunt. Præceptum quippe Domini est, Qui

neque Ecclesiam audire voluerit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, Et ij quidẽ sunt qui nihil præ se neq; Christiani præter nomen, neque hominis præter figuram gerunt. Cum quibus vnà accumbere Paulus vetat dicens, Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens aut maledicus aut ebriosus aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumite. de iis, & in Prouerbiis dicitur, Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum illis: quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur. hi sunt membra illa quæ scandalizant, & idcirco abscindi, proiicique iubentur, vt potius sine illis vitam ingrediamur æternam, quàm simul cum illis mittamur in gehennam ignis inextinguibilis. Discedite igitur à nobis qui operamini iniquitatem. Modicum fermentum totam massam corrumpit: nihil tam perniciosum est, quàm societas hominum perditorum. His itaque cautè sapientérque repudiatis ad illos conuerti, illis inhærere, ab illorum latere nunquàm, si fieri potest, discedere nos decet. quorum vox, gestus, incessus, habitus, norma virtutum est. Cum viro sancto assiduus esto, quemcũque cognoueris obseruantem timorem Dei. Quia scilicet nihil æquè proficit ad bene beatéque viuendum, vt optimi cuiusque accessionibus identidem copulari. ib.

DE AMICITIA, GRÆCORVM exempla.

De Damone & Pythia.

Damon et Pythias Pythagoricæ prudentiæ sacris initiati tam fidelem inter se amicitiam iunxerunt, vt cùm alterum ex his Dionysius Syracusanus interficere vellet, atque is tempus ab eo, quo priusquã periret, domũ profectus res suas ordinaret, impetrauisset, altero vadem se pro reditu eius Tyranno dare non dubitauit. solutus erat pericu-

lo mortis, qui modò gladio ceruices subiectas habuerat: eidém que caput suum subiecerat, cui securo viuere licebat. igitur omnes & in primis Dionysius nouæ atque ancipitis rei exitũ speculabantur. Appropinquãte deinde definita die, nec illo redeunte, vnusquisque stultitiæ tam temerarium sponsorem damnabat: at is nihil se de amici constantiam metuere prædicabat. Eodem autem momento & horæ à Dionysio constituta, qui eam acceperat superuenit. Admiratus amborum animum Tyrannus, supplicium fidei remisit, in superque eos rogauit, vt se in societatem amicitiæ tertium sodalitij gradum vltima culturum beneuolentiã reciperent. Hæ sanè vires amicitiæ mortis contemptum ingenerare, vitæ dulcedinem extinguere, crudelitatem mansuefacere, odium in amorem conuertere, pœnam beneficio pensare potuerunt. Quibus penè tantum venerationis, quãtum Deorum immortalium cæremonis debetur. Illis enim publica salus, iis priuata continetur. atq; vt illarũ ædes sacra domicilia, ita harum fida hominum pectora, quasi quodam sancto spiritu referta templa sunt. Maxim. lib. 4.

De Alexandro.

Quod ita esse, Rex Alexander sensit. Darij castris, in quibus omnes necessarij eius erant, potitus, Ephestione gratissimo sibi latus suum tegente, ad eos colloquendos venit, cuius aduẽtu mater Darij recreata, humi prostratum caput erexit, Ephestionémque, quia ei & statura & forma præstabat, more Persarum adulata, tanquam Alexandrum salutauit. Admonita deinde erroris, per summam trepidationem excusationis verba quærebat. Cui Alexander, Nihil est, inquit, quòd hoc nomine confundaris. nam & hic Alexander est. Vtri prius gratulemur, qui hoc dicere voluit, aut cui audire cõtigit? maximi enim animi Rex etiam totum terrarum orbem aut

viri, quasi cæleste aliquod beneficium expectantes: proinde securum se nobis præstandum ne grauetur. Hæc postquam domestici Scipioni retulerunt, fores reserari, eósque intromitti iussit, qui postes ianuæ tanquã aliquam religiosissimam aram sanctúmque templum venerati, cupidè Scipionis dexterã apprehenderunt, ac deosculati, positis ante vestibulũ donis, quæ Deorum immortalium numini consecrari solent: læti, quia Scipionem vidisse contigisset, ad lares proprios reuerterunt. Quid hoc fructum aiestatis excelsius? quid etiam iucundius? Hostis iram admiratione sui placauit: spectaculo præsentiæ suæ latronum gestientes oculos obstupefecit. Delapsa cælo sidera, hominibus si se offerant, venerationis amplius non recipient. ibidem.

De Paulo Aemilio.

Hoc quidem viuo Scipioni, illud autem Æmilio Paulo exanimi contigit. nam cùm exequiæ eius celebrarentur, ac forte tunc principes Macedoniæ legationis nomine Romæ morarẽtur, funebri lecto sponte sua sese subiecerunt. Quod aliquantò maius videbitur, siquis cognoscat lecti illius frontem Macedonicis triumphis fuisse adornatam. Quantum enim Paulo tribuerunt, propter quem gentis suæ cladium indicia per ora vulgi ferre non exhorruerunt? quod spectaculum funeri speciẽ alterius triumphi adiecit. Bis enim te Paule Macedonia vrbi nostræ illustrem ostendit, incolumem spoliis suis, fato functũ humeris. ibidem.

De Rutilio.

Quid damnatione, quid exilio miserius? Atqui P. Rutilio cõspiratione publicanorum perculso, autoritatem adimere non valuerunt. Cui Asiam petenti omnes prouinciæ illius ciuitates legatos eius secessum opperientes, obuiam miserunt. Exulare aliquis hoc loco, an triumphare iustius dixerit? ibidem.

De C. Mario.

Universidad de Deusto Biblioteca

C.etiam Marius in profundũ vltimarum miseriarum abiectus, ex ipso vitæ discrimine beneficio maiestatis emersit. Missus enim ad eum occidendum in priuata domo Minturnis clausum seruus publicus, natione Cimber, & senem & inermem, & squallore obsitum, strictum gladium tenens, aggredi non sustinuit: sed claritate viri obcæcatus, obiecto ferro attonitus inde, ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis perstrinxit, deuictæq; suæ gentis interitus animum comminuit: etiam Diis immortalibus indignum ratis ab vno nationis eius interfici Marium, quam totam deleuerat. Minturnenses autem maiestate illius capti, compressum & constrictum dira fati necessitate incolumem præstiterunt: nec fuit eis timori asperrima Syllæ victoria, cùm præsertim ipse Marius eos à conseruando Mario absterrere posset. ibidem.

De Manlio.

Manlius cùm ei consulatus omnium consensu deferretur, eúmque sub excusatione aduersæ valetudinis oculorum recusaret, instãtibus cunctis, Aliũ, inquit, Quirites quærite, ad quẽ hunc honorem trãsferatis. nam si me gerere eum coëgeritis, nec ego mores vestros ferre, nec vos meum imperium perpeti poteritis. Si priuati tam ponderosa vox, quàm graues fasces Consulis extitissent? Max. libro. 6.

De Scipione Aemiliano.

Scipio Æmilianus, cùm Seruius Sulpitius Galba, & Aurelius Consules in Senatu cõtenderent, vter aduersus Viriatum in Hispaniam mitteretur, ac magna inter P.C. dissensio esset, omnibus, quónam eius sententia inclinaretur, expectãtibus, Neutrum, inquit, mihi mitti placet: alter nihil habet, alteri est nihil satis: æquè malã licentis imperij magistram iudicans inopiam, atque auaritiã: quo dicto vt neuter in prouinciam mitteretur, obtinuit. ibid.

De Pompilio legato.

C.verò Pompilius à Senatu legatus ad Antiochum missus, vt bello se, quo Ptolemæum lacessebat abstineret: cùm ad eũ venisset, atque is prompto animo & amicissimo vultu dextram ei porrexisset, inuicem ei suam porrigere noluit: sed tabellas Senatusconsultum continentes, tradidit, quas vt legit Antiochus, dixit se cum amicis colloquuturum. Indignatus Pompilius, quòd aliquam morã interposuisset, virga solum, quo insistebat denotauit, & Prius, inquit, quàm hoc circulo excedas, da responsum, quod Senatui referam. Non legatum loquutum, sed ipsam Curiam ante oculos positam crederes. Continuò enim Rex affirmauit fore, ne amplius de se Ptolemæus quereretur. Ac tum demum Pompilius manum eius tanquã socij apprehendit. Quàm efficax est animi sermonisque abscissa grauitas? eodem momento Syriæ regem terruit, Ægypti texit. ibidem.

De Publio Rutilio.

Publij autem Rutilij verba prius an facta existimem, nescio: nam vtrisque æquè admirabile inest robur. Cùm amici cuiusdã iniustæ rogationi resisteret, atque is per summã indignationem dixisset, Quid ergo, inquit, mihi opus est amicitia tua, si quod rogo, non facis? respondit, Imò quid mihi tua, si propter te aliquid inhonestè facturus sum?

Huic voci consentanea illa opera, quòd magis ordinum dissensione, quàm vlla culpa sua reus factus, nec obsoletam vestem induit, neque insignia Senatoris deposuit, nec supplices ad genua iudicum manus tẽdit, nec dixit quicquam splẽdore præteritorũ annorum humilius, effecitque hoc aliàs vt periculum huic, non impedimẽtum grauitatis eius esset, sed experimentũ: atque etiam cùm ei reditum in patriam Syllana victoria præstaret, in exilio, ne quid cõtra leges faceret, remãsit. quapropter felicitatis cogno-

men iustius quis moribus grauissimi viri, quàm impotentis armis assignauerit: quod quidē Sylla rapuit, Rutilius meruit. ibidem.

De M. Antonino Philosopho.

Legitur, Antoninū Philosophum propter doctrinam virtutémque in eam venisse existimationem, maiestatémque, vt eo imperante, ferrent palàm homines Platonis impletum esse vèrbum, quo dicebat, totum orbem terrarum feliciter habiturum, cùm contigisset, vt Philosophi rerum potirentur. Ob id igitur ipso mortuo velut incestus atque sacrilegus est habitus cuius, qui domi eius non habuisset imaginem: dignum ducentes, vt aut metallo aut saltē pictura eius virtutis seruarent memoriam, cuius vita natura diuturniorem passa non erat. Id quod in contrariū antè de Caio Nerone, ac Domitiano visū erat: quorum memoriam extinguere propter sceleratam nefandámque vitam quæsiuerunt. Bapt. Fulgosus libro tertio.

De Tito Liuio Patauino.

A Gadibus homines Romā venisse Hieronymus scribit, vnius Liuij videndi studio. Cùm facundiæ eius fama eos traxisset, maiore admiratione Liuium intuiti, qui populi Romani res gestas scripsisset, quàm Vrbem illam, quæ res ipsas ediderat. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Marethe Chalcedonensi Episcopo.

MArethe Chalcedonensi Episcopo propter ætatem decrepitā luminibus capto, cùm esset Constantinopoli nuntiatū, Iulianum Imperatorem in tēplo Fortunæ sacra facere, clara voce Iulianum Apostatā compellauit. Cui cùm indignatus Iulianus respondisset, Galilæū (ita enim Christum appellare solebat) ei visum non restituturum, exclamauit, ita vt omnibus audiretur, Deo se pro cæcitate gratias agere, quod ita ei facultas Iulianū impium Imperatorem videndi erepta esset. Bapt. Fulg. lib. 6.

De Ambrosio Mediolanensi Episcopo.

Maiore etiam libertate cum Maximo vsus est Ambrosius Mediolanensis Episcopus, cùm à Valentiniano Imperatore legatus ad eum vsque in Treuiros vrbem missus fuit, ad fratris Gratiani ab eo occisi repetendum corpus. nam publicè in consilium deductus, cùm Maximus assurrexisset, vt osculo Ambrosium exciperet, ipse vestigio se, ne cùm vocaretur quidem, mouit: quin potius liberè grauitérque eum cùm proditione cædéque in Gratianum increpuisset, illic palàm omnia in Maximum retecit quæ ad purgandū crimen ipse in medium adducebat. ibid.

De Agapito Pontifice.

Quàm grauis & quàm liber Agapitus quoque Pontifex Maximus fuit, cū à Theodato, qui in Italia Gotthorum Rex erat, Constantinopolim placandi Iustiniani gratia missus, loquendo deprehendit Iustinianum Euthichena hæresi laborare, in qua re aliquādo conatus de sententia Iustinianū dimouere, cū frustra laborasset, sanctus Pontifex veritate atque conscientia fretus, continere se non potuit, quin Imperatori mētem suam aperiret. dixit enim, Ad Iustinianū Christianissimum Imperatorem venisse me arbitrabar: sed quantū intueri possum, ad Diocletianū me venisse video. ibidem.

De Ioanne Capotio Romano.

Dissidentibus inter se Othone IIII. & Federico II. Imperatoribus, cū Innocētius III. Pontifex apertè fauisset Othoni primò, deinde post aliquot tempus ad Federicū studia sua cōuertisset, apparebat Pontificem harum discordiarum causam serere. itaque cū per Quadragesimæ tempus Innocentius è

more conciones haberet, mirantibus omnibus eius in dicendo facundiam, Ioannes Capotius ciuis Romanus Othoni deditissimus, cùm Pontificem de concordia magno studio prædicantem audiret, surgens non expectato orationis Pontificis fine, dixit, Verba tua, Pater sancte, Dei sunt: cæterùm facta quæ longè dictis contraria sunt, diaboli videntur esse. neque in hoc clauium potestas, neque arma quæ simul in Pontificis manu erant, hominem hunc, quin liberè loqueretur, deterrere potuerunt. ibidem.

De quodam Episcopo & Gregorio XI. Pontifice.

Cùm iam septuaginta annos in Gallia Romani pontifices egissent, contigit vt per id tempus Gregorius XI. ad pontificatum assumeretur. is cùm absente ab vrbe Roma Pontifice videret magnis incommodis ecclesiam catholicam affici, & ob id ad repetendam vrbem Romam inclinaret animum, fortè euenit, vt se Pōtifici Episcopus quidam offerret: quem cùm Gregorius hortaretur ad petendam Ecclesiam suam, illicque commorari, vt in ea Dominicum gregem ei creditum gubernaret, Episcopus dicendo satis liber ad Pontificem, Et tu sancte Pater, respondit, à quo mihi aliisque exemplū proponi debet, cur ab episcopatu tuo abes, qui propter absentiam tuam incommoda multa perfert? quo responso Pontifex ad eam diem in petenda Italia anceps, quòd eum patriæ amor, Galliarúmque respectus moueret, Romam petere decreuit: vbi postea haud multò pòst cùm decessisset, causa fuit, vt in posterum Romæ pontifices remanerent. ibidem.

De Cōuerso Cistersiensis ordinis.

Cùm Henricus inter postremos Cisterciensis ordinis addictus, ad Cardinalatū euectus, à Clemente Pontifice legatus in Germaniam mitteretur, vt aduersus Christi hostes crucem

Prædicaret, in comitatu aliquos habebat monachos. Itaque cùm iter faceret, ab eis petiit, vt aliquis eorum aliquid ad leuandum viæ fastidium loqueretur: vnde audientium animi fructum aliquem accipere possent: Monachus autem cùm inter ipsos vnus esset ex eo numero, qui quòd ad sacros ordines non promouentur, sed in Monachorum seruitia ali solent, Conuersi appellantur, non sine difficultate eum impulerunt, vt is esset qui tunc loquendi onus subiret. ad Cardinalem igitur subridens se conuertit, ac dixit, Cùm mortui erimus, id quod haud multò pòst tempore erit, & ad paradisi valuas deducemur, Benedictus ordinis nostri primus parens, obuius nobis erit, vt in paradisum nos inducat: cùm is te, domine, mitratum conspiciet, quia ignorabit, petet quisnam sis: & si è numero ipsius Monachorum te esse responderis, dicet Monachorum non esse capitibus cornua gestare. Cæterum postquam tu multa ad hos ornatus excusandos dixeris, vt certior de te fieri possit, regni cælorum ianitori imperabit, vt tibi in terra extēso stomachum aperiat, & si herbis leguminéque te pastum inuenerit, Monachum esse credat, atque in paradisum inducat: quòd si delicatioribus cibis te enutritum cognoscet, sciet verum non esse Monachum. quid tunc, domine mi, dicturi erimus, cùm in has difficultates coniectos nos videbimus? O libertatem ingentem, & quanquam ab humilis fortunæ homine profectum, sapiens tamen & astutum, & quod lōgè plus in recessu, quàm in fronte promittit. ibid.

De Bubulco Germano.

Magna libertate vsus est arator quidam senex in Germania erga Episcopum ducémque Coloniensem, cùm iter armatus faceret, & magnus armatorū numerus eum prosequeretur, in magnum risum solutus arator, de risus causa interrogatus, respondit, ridere se quòd Petrus Apostolus clericalis ordi-

Universidad de Deusto Biblioteca

nis princeps, in tãta inopia mortuus esset, & posteros suos tantopere locupletaret: respondente autem episcopo, se simul & ducem esse & episcopum, & eo tempore vt ducem armatum esse, & cum armatis iter facere, & cùm in templo esse contingit, illic vt episcopum agere, maiori etiam cachinno solui arator cœpit. denuò igitur causam rogatus, dixit, Vellem equidem declarari mihi, cùm mortuum hunc ducem, cuius personam geris, in inferno esse continget, quò putes episcopum esse iturum? Astutè enim liberéque respondit, quàm stultum esset in eodem subiecto duas diuersæ professionis personas agere velle. ibid.

De Francisco Aragonio ordinis Minorum.

Liberum etiam verbum illud fuit, quod Franciscus Aragonius Minorum ordinẽ professus Sixto IIII. Pontifici, qui ab eodem ordine ad Pontificatum ascenderat, respondit. Cùm primùm ad eum Pontificem venerandum se contulisset, ostendentémq; ei Pontifice nonnulla quæ prætij ingentis erant, dicentique, Frater mi, iam vt Petrus Apostolus non possumus auro argentóque carere, respondit, Pater sancte, ne tu claudo quidem dicere poteris: Surge, vt ille dixit, & ambula. Hac dicẽdi libertate ostẽdens, quemadmodum opibus Petrum superabat: ita ipse ab eo vitę sanctitate vincebatur. ibidem.

De Vitoldo Duce.

Vitoldus qui patrum memoria latè regnauit in Lituania (fuit is Vladislai frater, qui in Turcos memorabile bellum gessit) tanta inter suos fuit autoritate, vt multi mortales ab eo iussi sine carnifice vitam finiuerint. Sed metus hic fuisse videri potest, non officium. Mira sunt quæ de eius crudelitate memoriæ prodita sunt: nam & sontes vrsinis pellibus inuolutos canibus laniandos obiecisse dicitur, & in expeditionibus arcum semper intentum habuisse, vt si quis ordine aberaut victoriis, aut spe cõplexus, tã paucis verbis se cũ comite suo partitus est. O donum inclytæ vocis danti pariter atque accipienti speciosum. ibidem.

De Antigoni Regis filio Demetrio, & Mithridate.

Res illa quoque, qua Demetrius erga Mithridatem amicum & comitem vsus est, non mediocris amicitiæ argumentũ fuit. Nam cùm à patre Antigono accepisset, se somniis monitum, statuisse, Mithridatem occidere: quanquam iureiurando pater eã astrinxisset, ne cui eam rem aperiret, pluris amicitiam, quàm sacramenti religionem, aut paternum imperium fecit: spaciatũ enim è more cum Mithridate profectus, aliquãtisper ab aliis secedens, hasta, quam manu tenebat in terra descripsit, Fuge Mithridates. Quam rem is vt prudens cùm vidisset, nocte proxima profugit in Cappadociam, vbi ipse posterique eius postea diu regnarunt. Bap. Fulg. lib. 4.

De Philippo Macedonum Rege.

Philippus Macedonum Rex Hiparchi Euboici mortem cordicitus ægrè tulit: dicente verò quodam, Attamen maturè ac tempestiuè mortuus est: ei statim respondit, Mihi certè nimis properè: prius enim diem obiit, quàm à me dignam amicitia nostra gratiam receperit. Guido Exemplorum lib.

De Epaminunda.

Epaminundas dicere solitus erat, non prius optimo viro interdiu discedendum è foro esse, quàm sibi aliquẽ nouum amicum conciliaret. Ælia. lib. 12.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Tiberio Graccho & C. Blosio.

INimicus patriæ fuisse Gracchus existimatus est: nec immeritò, quia potentiam suam saluti eius prætulerat: quàm constantis tamen fidei amicum

etiam in hoc tam prauo proposito C. Blosium Cumanum habuerit, operæpretium est cognoscere. Hostis iudicatus, vltimo supplicio affectus, sepulturæ honore spoliatus, beneuolentia tamen eius non caruit. Nam cùm Senatus Rutilio & Lemnati Consulibus mandasset, vt in eos qui cum Graccho consenserant, more maiorum animaduerterent, & ad Lælium, cuius consilio præcipuè Consules vtebantur, pro se Blosius deprecatum venisset, familiaritatisque excusatione vteretur: atque is dixisset, Quid si te Gracchus tẽplo Iouis Opt. Max. faces subdere iußisset? obsequuturúsne volũtati ipsius propter istam, quã iactas familiaritatem fuisses? Nunquam istud, inquit, Gracchus imperasset. Satis, imò etiã nimium: totius nanque Senatus consensu damnatos mores defendere ausus est. Verũ, quod sequitur, multò audacius multoque periculosius. Compressus enim perseueranti interrogatione Lælij in eodem constantiæ gradu stetit, seque etiam hoc, si modò Gracchus annuisset, facturum respondit. Quis illum sceleratum putasset fuisse, si tacuisset? Quis etiam non sapientem si pro neceßitate temporis loquutus esset? At Blosius nec silentio honesto, nec prudenti sermone salutem suam, ne qua ex parte infelicis amicitiæ memoriam desereret, tueri voluit. Max. lib. 4.

De L. Rhegino.

L. autem Rheginus, si ad debitam publico ministerio sinceritatẽ exigatur, posteritati conuitio lacerandus: si amicitiæ fido pignore æstimetur, in optimo laudabilis conscientiæ portu relinquendus est. Tribunus enim Plebis Cepionem in carcerem coniectũ, quòd illius culpa exercitus noster à Cimbris, & Theutonibus videbatur deletus, veteris, arctæq; amicitiæ memor publica custodia liberauit, nec eatenus amicum egisse cõtentus, etiam fugæ eius comes acceßit. Proh magnum & inexuperabile tuum numẽ, Amicitia: cùm ex altera parte

Resp. manum iniiceret, ex altera tua illum dextera traheret: & illa vt sacrosãctus esse vellet, exigeret, tu exilium indicere: adeò blando vteris imperio, quòd is supplicium honori prætulit. Admirabile est opus tuum. sed quod sequitur, aliquanto laudabilius. ibid.

De Seruio Terentio.

D. Brutus fugiens à Mutina, vt ad se interficiendũ ab Antonio missos equites aduenisse cognouit, quodam in loco iustæ pœnæ debitum spiritum tenebris furari conabatur: eóque iã facta irruptione, Terentius fideli mendacio obscuritate ipsa suffragante, Brutum se eße simulauit, & corpus suum trucidandum equitibus obiecit. Verùm cognitus à Furio, cui Brutianæ vltionis officium mandatum fuerat, nece sua amici supplicium discutere non potuit: sic inuitus fortuna cogente vixit. ibidem.

De Lucilio & Bruto ciuibus Romanis.

Vltimo prælio, quod in Philippicis campis commißũ fuit, Brutum fugientem barbari equites Antoniani grauiter insequebantur. quod conspicatus Lucilius dum Brutum se fingit eße, insequentes tandiu remoratus est, vt Brutus ab eis longè abeßet. capto igitur Lucilio, Antonius ad quem is perducebatur, obuiam se lætitiæ plenus Brutũ eße arbitratus, præbebat. Cùm autẽ Antonio Lucilius iam ita propinquus eßet, vt inuicem audiri poßent, magna voce exclamauit, Antonio ne vnquam Brutũ viuum vinctum expecta: ego cũ hos Brutum insequi equites cernerem, Brutum me finxi, vt is fugiendi tempus haberet: & ita ad te perductus sum eo animo, vt quæcunque in me statueris, perferam. Quare attonitus Antonius tantæ amicitiæ reuerentia, Lucilium seruauit, atque in amicorum numero habuit. Bapt. Fulgosus. lib. 4.

De M. Vlpio Traiano Imperatore & Surra.

Cũ manè Traiano significatum esset, Surram in ipsum cõspirare, vespere eius diei non inuitatus, ad eum Traianus cum duobus solis comitibus cœnatũ se contulit, radique ab eius tonsore voluit, atque oculos ab eius medico inspici. Eidem postea cũ denuo de cõspiratione affirmaretur, ridens respondit, se nullo modo vt crederet, adduci posse, quòd eo die periculum ipsius rei fecerat: ita vt Surra si voluisset, id quod insimulabatur, agere posset. itaque in amicitia firmus perstitit: nec multò pòst Tribunatum Surræ detulit: & cùm, vt mos erat, ei ensem traderet, eúmque non vagina tectum, sed strictum porrigeret, Surræ dixit, vt acciperet ensem, si bene imperium regeret, tuendi eius gratia, occidendi autem, si malè imperaret. ibid.

De Diocletiano & Maximiano Herculeio Imperatore.

Experimenta non rara solũ, verum penè vnica veræ amicitiæ ea fuerunt, quæ inter se Diocletianus & Herculeius Cæsares ediderunt. Diocletianus enim solus in Augustali solio Herculeium, neque eũ nationis suæ virum imperij participem elegit. ad quem locum eorum nullus, qui ante ipsum imperarunt præter admodum paucos, neque fratres, neque filios vnquam vocarant. & ij quidẽ qui vocasse inueniuntur, ex toto vocatos sibi non æquarunt. Hi autem in eo concordes semper vixerunt, quod non modò in aliis hominum gradibus, sed in ipsis quoque filijs cũ parentibus discordiam serere, ac cruentos edere effectus consueuit. Herculeius autem iam imperij dulcedinẽ expertus, inæstimabilis amicitiæ vires, sola comitis amici oratione motus, ex tanto fastigio ad priuatam fortunã reuersus, in eo comiti quietè assensus, in quo ne filio quidem postea, qui Romæ ei in parte, nec Constantino genero, qui similiter in Gallia successerant, ne cum vitæ quidem discrimine ac morte assentiri voluit. Plus enim Diocletianam amicitiã vir alioquin ferus, atque armis assuetus, quàm Romanũ imperium, aut imperandi cupidinem, rem in humanis rebus potentissimam, aut denique vitam ipsam fecit. Ex quibus rebus haud falsò iudicari potest, hanc firmiorem earum omniũ amicitiam fuisse, de quibus vnquam scriptum sciatur. Nam cum propter priuatas opes, quæ interdum pusillæ quoque sunt, non lites solũ inter se serere inueniantur etiam arctissimi propinquitatis gradus, verùm ad cædes quoque ipsas prorumpere: hi duo imperiũ, quod maiorem potiorémque orbis terrarũ partem continuit, per concordiam possederunt: in cuius primordiis ob vnam paruámque Romam imperij cupidine gemini fratres fraterno se sanguine maculârunt, ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De quodam equite Garsiæ Nauarriensi Regis.

Cvm in Hispania inter se bello decertarent Ferdinandus Legionensis atque Garsias Nauarriensis Reges, Garsias, quòd superbus audáxque nimium sæuè regni sui proceres habebat, in magno eorum odio versabatur. idque cũ animaduerteret vnus militum eius, qui puerum Garsiam aluerat, arbitratus si prælium committeretur, Garsiam à suis desertum iri, vt qui ex fide eum diligeret, re detecta, quam intellexerat, Garsiæ suasit, vt prælio abstineret. Cæterùm Garsias immodici spiritus amicorum, atque inimicorũ contemptor, decertare prælio cum hoste decreuit. quã rem auspicatus is, qui, vt dictum est, contrà suaserat, in hæc verba prorupit, Quantũ aduertere possũ, tibi statutũ esse video, vt omnino moriaris: cui rei posteaquã aliud afferre opis nequeo, id saltem enitar, ne te vel mortuum, vel victum videam. Itaque galeã atque thoracẽ exutus ac solo gladio hastáque armatus in hostiũ aciem ingenti animo irrupit. Vbi ipse

haud multo post cæsus, & Garsias à suis, vt ipse monuerat, desertus fuit. Bap. Fulg. li. 4.

DE PACE ET concordia, Nostrorum exempla.

De Apostolis, Martyribus & Confessoribus.

TAnta pax in Apostolis, in Discipulis, in Martyribus in Confessoribus Christi fuit, vt eam Tyrannorũ sæuitia discindere non potuerit, non voluptatum illecebra subuertere, non perpetuum diaboli odium supplantare. Omnes discordiarum machinationes sola pax in arce veræ fidei collocata superauit: haud illi pacem nũc haberent in cælo, si eam habere desiuissent in terra: idem velle, & idem nolle supernæ beatitatis dignos fecit. Concordia enim hæc atq; consensio veritatis non erroris fuit. Marul. lib. 3.

De Vbaldo Eugubinæ vrbis Episcopo.

Qui eiusmodi pacis tranquillitate delectari solent, non in se tantùm, sed in aliis etiam mentem irritatione aliqua alienatam allicere, ac mollire modis omnibus conãtur. Vbaldus Eugubinæ vrbis Episcopus, cùm ciues suos in seditionem versos pacare non potuisset, & iam ad arma esset concursum, inermis inter tela, strictósque mucrones irrumpens, humi prono corpore sese prostrauit: nec exurrexit, donec illi saucium iacere rati, mutua odia in vnius miserationem conuertissent. Iacens diremit pugnam, quam stans nequiuerat inhibere: audacem autem & periculi impauidum fecerat ipse pacis amor. ibid.

De eodem.

Idem Federicum Imperatorem Eugubinis infensum, iratúmque & ob id graue æris vectigal acceptis obsidibus imperantem, suppliciter adiens placauit, ita vt illis & pecuniam remitteret, & obsides restitueret, & ipsum vbi multo honore affecisset, discedentem deduci iuberet: sicque pastor bonus in

anta ouium suarum trepidatione nunquàm conquieuit, donec securas redderet, factus eis vix speratæ pacis Imperator simul & nuntius. ibidem.

De Hiuone Presbytero.

Hiuo quoque presbyter cùm multis miraculis, tum in primis pietatis operibus clarus, dolens quendam cum matre non leui odio dissidere, postquàm reconciliare nulla prorsus ratione quiuit, missale pro eis sacrificiũ obtulit Deo. Exinde nemine iam solicitante solo diuino instinctu, ita animis resipuere, vt & hic filium se agnosceret, & illa matrem. Documento est, vt quos exhortãdo ad concordiam reuocare non possumus, reuocemus pro eis deprecando: quandoquidem non hominũ, sed Dei donum est pax. ibi.

De quodam Heracleæ regionis vrbis incola.

Pasnucio Abbati in solitudine vitam agenti reuelatum est, quẽdam Heracleæ illius regionis vrbe sibi vitæ meritis esse parem, & quærens, inuenit eum quidem & vxorem & filios habere: sed post secundam susceptam prolem castitatem cũ ipsa seruare, iustitiæ studere, pietatem colere, & hoc præcipuè moris habere, vt si quos inter se odio distractos cognouisset, continuò in gratiam reducere niteretur. Non fuisset (vt opinor) ciuis iste tam religioso solitario comparandus, nisi hoc sibi virtutis genus adsciuisset, quo ille procul ab omnibus manens, vti non poterat. Assidua quippe cura in reconciliandis aliorum animis indignationibúsque leniendis vrbanum hominem dignum fecit, qui sanctis eremi cultoribus esset æquãdus. ibidem.

De Agathone Abbate.

NOn immeritò igitur Agathon Abbas gloriatus est se nunquàm cepisse somnũ, nisi prius & suam aduersum alios, & aliorũ aduersum se indignationẽ placando sopiret, implens illud breue quidem, sed

Universidad de Deusto Biblioteca

multæ perfectionis præceptum, Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam. Eundem dicere solitum accepimus, iracundos Deo atque hominibus odio esse: sicut enim humilitas pacem conseruat, ita iracundia concitat lites, concordiam dissipat. ibid.

De Ioanne Abbate.

Ioannes Monasterij in Scythia positi Abbas, cùm ad Pesium Anachoretam visendum venisset, & ab eo quæreret quantum in solitudine per annos quadraginta, quibus in ea permanserat, profecisset, ísque referret, quòd sol omnia colluſtrans, nunquam se conspexerit manducantem, nec me iratum respondit. Haud minoris meriti existimans, non irasci, quàm corpus quotidianis tenuare ieiuniis, medíque atterere. ibid.

De Pastore Abbate.

Pastor de Scythi Abbas interrogatus super illud Euangelij, Qui irascitur fratri suo sine causa, solam iustæ iræ causam definiuit, separationem à Deo, cæteris quamlibet magnis iniuriis acceptis, qui irascitur, eum sine causa irasci. Igitur cùm offensis lacessimur, meminisse debemus, nos non habere indignationis causam, sed patientiæ, ita fiet, vt pacem etiam cum inimicis habeamus. ibid.

De Benone Abbate.

Cuius quidem præcepti Benonem deserti Thebaidis Abbatem non immemorem fuisse constat, cùm nunquàm visus sit iratus. Qui nemini irascitur, nónne semper in pace versatur? profectò tametsi persequutiones sustinet, fatigantur persequutores odij stimulis agitati: ille omnia æquanimiter ferens, in spe præmij cælestis conquiescit, dicente Domino, Mihi vindictam, & ego retribuam. ibid.

De Edgaro Britannorum Rege.

Secularis quoque potentiæ in pace conseruanda studium æternæ beatitudinis præmio est repensum. Edgaro enim Britannici regni diadema suscipiente, Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus sibi diuinitùs prædictum audiuit pacem Britanniæ futuram, quandiu ille viueret. igitur annos sedecim quibus regnauit, omnia in summa quiete tranquillitatéque fuere. Perpetuo quippe amicitiæ fœdere vicinos Reges sibi deuinxerat, piratas mari prædones terra submouerat, in feras etiam prædæ auidas seuerus, à Guidaldo Gualduensium Rege tributum exegit annis singulis lupos triginta venatione captos: id seruatum, donec illud bestiarũ genus assiduis cædibus defecit. Nihil esse in regni finibus passus est quod à pacis quiete foret alienum. Tantus ergo Pacifici status amor ipsum vsq; ad quietem euexit sempiternã, & in cælestis regni gloriam sublatũ inter sanctos collocauit. ibid.

DE ODIO, GRÆcorum exempla.

De Almicare.

QVàm vehemẽs Amilcaris odium aduersus populũ Romanum? Quatuor enim puerilis ætatis filios intuens, eiusdem numeri catulos leoninos in perniciem imperij nostri alere se prædicabat. Digna nutrimenta, quæ in exitiũ patriæ suæ, vt euenit conuerterentur. Max. lib. 9.

De Annibale.

E quibus Annibal maturè adeò patris vestigia subsequutus est, vt eo exercitum in Hispaniam traiecturo, & ob id sacrificante, octo annorum natus, altaria tenens iuraret, se cùm primùm per ætatem potuisset, acerrimũ hostem populo Rom. futurũ, vt pertinacissimis precibus instantis belli commilitiũ exprimeret.

Idem significare cupiẽs quanto inter se odio Carthago & Roma dissiderẽt, instricto in terram pede, suscitatóque puluere, tunc inter eas fore finem belli dixit, cùm alterutra pars in habitum pulueris esset redacta: in

puerili pectore tantum vis odij potuit.ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Pop.Rom.

A *Priuatis odiis ad publica quoque transeundum est. Cùm pop. Romanus à Senatu videret Appium Claudium iuniorem Consulem cum T. Quintio Capitolino creari, ingenti odio commotus, quo Appiam gentem prosequebatur, ac simul indignatus, comitio excessit, ne ad honores euehi quẽquam ex ea gente conspiceret. Bapt.Fulg.lib.9.*

De eodem

Grauius quoque odium eo tẽpore in patritios ostendit, cùm per noctem occupato Capitolio ab Appio Herdonio cum quatuor Samnitum millibus, Consules Valerius Publicola & C. Claudius populum ad recipiendam arcem vocarunt. Immobilis enim populus mansit, ceu nihil hostes curaret, captámque patriã perpeti à latronibus diripi, atque incendi, quàm patritiis morem gerere mallebat: neque antè de sententia deduci potuit, quàm petitam legem ei Senatus concessit.ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Stephano VI. Põtifice.

S*Tephanus* VI. *Pontifex in Formosum Põtificem, quanquam mortuum, quòd is interdum, ne ad pontificatum ascenderet, obstiterat, odij tenax fuit adeò, vt erui è sepulchro corpus iusserit, ademptis pontificiis vestibus, atq; ornamentis, seculari amictum indumento, vt extra Ecclesiam sepeliretur statuit, manuum quoque digitos abscidit, tanquam mortuum sacerdotali atque Pontificio honore priuare vellet, ac piscibus deuorãdos in amnem abiecit. Adeò propter odium amissa ratione, vt Dominicæ admonitionis de iniuriarum remissione rationem nullam haberet. Malus enim grex ita à semita veri Pastoris aberrauit, vt Pontificatũ in tyrannidem cõuerteret. Bap. Fulg.lib.9.*

De Lothario Gallorum Rege & Sergio III. Pontifice.

Sergius III. *Pontifex odij iniquus cultor, Formosi Pontificis, de quo diximus, corpus denuò erutum à secundo tumulo palàm in foro capite mulctauit. ac deinde in amnem Tyberim proiecit, ob id solùm, vt Lothario Gallorum regi morem gereret: qui hoc odio Formosum defunctũ prosequebatur, quòd ipsius opera imperium à Gallis ad Berẽgarios transierat. Nonnulli quoque arbitrari sunt in Formosum sæuiendi apud Sergium eam fuisse causam, quod in pontificatus creatione Formosus nonnunquam Sergio restitisset. cæterùm quæcũque eius rei causa fuerit, profectò & turpis habita est, & vnde magnum in autorem dedecus, atque infamia resultauit.ibid.*

De Bonifacio VIII. Pontifice.

Quis immensi odij magnitudinem enarrare possit, qua Bonifacius Pontifex VIII. *Gibellinam factionem prosequutus est? facinus profectò non modò sacerdote indignum, sed ne latroni quidem, aut piratæ congruens. Nam qui pro pastorali officio extinguere odia debebat, ea ipse verbo, atque re inflammabat. Itaque Cinerum die cùm mox esset, vt Pontifex Ecclesiasticorum Antistitum capita cinere aspergeret, vt ad Porchetum Spinolam Genuensem Archiepiscopũ peruenit, quòd Gibellinæ esse factionis putabatur, cinerem non capiti insperſit, sed in oculos peruerse, enuntiatis solennibus verbis, cõiecit, dixit enim. Memento te Gibellinum esse, & quòd cum Gibellinis in cinerem reuerteris. Tãta enim odij vis scelerato pectori incessit, vt sacra verba ad euomendum factiosæ mentis virus vsurparet.ibid.*

Universidad de Navarra Biblioteca

De Genuensibus aduersus Pisanos.

Anno salutis ducentesimo atque octuagesimoquarto supra mille cùm bello inter se Genuēses atque Pisani decertarent, Genuenses captis duabus Pisanorum triremibus, cùm Syracusis in Sicilia appropinquassent, atque per noctem extra vrbis muros triremium patronos furcis suspendissent. reliquā naualem turmam vendiderunt, pretio in singulos vnius cepe cōstituto: eam ignominiam longè grauiorē, quàm ipsam mortem arbitrati. ibid.

DE HVMANITAte & clementia, Græcorum exempla.

De Philippo Macedonū Rege.

INsigni humanitate vsus est Philippus Rex erga Nicanorem Macedonem, qui omnibus in locis quantum poterat, Philippum criminabatur. Nam cùm Sinycitus, aliiq; Philippi amici suaderent, vt in eum Rex animaduerteret, recusauit illud Philippus, dicens, haud malum esse virum Nicanorem sibi persuasum esse. Cùm igitur inopiam eius nosset, dono ei pecuniam misit. post quod factum cùm à Sinycito moneretur, Nicanorē nō criminari, vt antè, sed regem laudibus efferre, Philippus Sinycito fertur dixisse, Nunquid nō vides in manu nostra esse, vt quæ volumus à populis de nobis audiamus? B. Fulg. lib. 5.

De Dario Persarū Rege.

Persarum Rex Darius cùm ei caput Hystici Milesij, quem hostem iudicauerat, allatum esset, non quemadmodum principum fortasse permulti agerent, ad alios terrendos, siuè etiam elatus contumelia, aut dedecore affecit, sed statim lauari & honorificè sepeliri iussit. ibid.

De Cleomene Lacedæmonio rege.

Lacedæmoniæ Rex Cleomenes cùm Achæorū exercitum

superasset, magnumq; hostium numerum interemisset, omnia ad sepulturam petita corpora, libenter concessit, inter alia autem cùm inuentum Lydialis corpus esset, qui olim Megalopoli tyrannidem exercuerat, & sponte suæ liberatis Megalopolitanis ad priuatam vitam redierat, purpurea veste tectum, corona quoque exornauit, magnóque apparatu à suis vsque ad Megalopolis portas deferri iussit, ne is in patria sepulturæ honore careret qui illi libertatem donarat. ibid.

De Dromichete Getarum rege.

Dromichetes Getarum Rex, cùm Regem Lysimachum, qui nulla lacessitus iniuria, vltro arma intulerat, prælio deuictū cepisset, quanquam barbarus, ferox & inops magnas in eum irarum ansas haberet: tamen deposita illati belli iracundia, familiariter (vt alij ostentare opes solent) ipse suam populorúmque suorum pauperiem ostendit: atque ea se valde contentum viuere affirmans, ipsum liberauit, & ex rerum copia, quam habebat, muneribus affecit, datæ quoque libertati ac muneribus consilium addidit, ne in posterum cum iis bellum Lysimachus gereret, quibus deuictis, nihil esset fortunarum, quod lucrifacere posset. Quin potius eiusmodi hominibus amicis vteretur. Eodem enim facto audacem se prudentémque, ac humanitatis cultorem: sed auaritiæ quoque atque superbiæ non minus, quàm hostium domitorem esse ostendit. ibidem.

De Pisistrato Atheniensi Tyranno.

Pisistrati Atheniensis Tyranni vxorem publicè conuitio iuuenes quidam incesserant, qui cùm postridie errorē suum agnouissent, & præ formidine profusis lacrymis veniam à Pisistrato peterent, ipse nequaquā ad iram aut vltionem animo permotus respondit, In posterū modestiores estote: quanquam vxor mea, sicut vos arbitrami-

Universidad de Salamanca Biblioteca

ni, hesterna die domum egressa non fuerit. verbo in quo non minus prudentiæ, quàm humanitatis fuit, iuuenum errorem, et illatum vxori dedecus texit. ibid.

De Mithridate Ponti Rege.

Humanum generosúmque Mithridatis Regis factum, quo vsus est cùm Thoridoracē Gallatam, qui in ipsum conspirauerat, occidi iussisset. Nam verentibus omnibus eum sepelire, adolescentula insignis, quæ eum deperibat, vt sepeliret corpus exornauit. Cùm autem ab ea Mithridates (deducta enim ad ipsum fuerat) intellexisset, amore captam illud egisse, nō modò eius, quàm amauerat, corpus illi ad sepulturam concessit, verùm, vt funus quoque exornaret, pecuniam impendit. Longè enim pluris hoc viri amoris humanique ingenij signum in puella, quàm illatam sibi ab Thoridorace iniuriam fecit. ibidem.

De Iazate Adiabenorum Rege.

Parthorum Rex Artabanus Principum Regni sui coniuratione pressus, minimè se in eo posse tutò manere arbitrabatur: & cùm vires, vt principes ad officium cogeret, ei deessent, ad Iazatem Adiabenorū Regem, etsi ei notus non erat, conferre se decreuit. Itaque dū ad eum tendit, incidit in ipsum per regnum obequitātem: vt eum vidit, ab equo statim descendit, expositóque casu suo, rogauit vt ope se ad repetendum regnum iuuaret. Cùm Iazates eum agnouisset, ipse quoque in terram ab equo descendit, coactùmque Artabanum in equū conscendere, pedibus eum prosequi volebat, quòd ætas ipsius, præteritaq; fortuna plus, quàm præsens necessitas, apud se valeret. Deductum igitur in regnū amicè Artabanum solatus est, & ceu parentem semper in honore habuit: sumptis denique armis in regnum quoque restituit. ibid.

De Pericle Athenienſi.

Periclis quoque Atheniensis humanitas ac clementia insignis fuit. Qui cùm longo tempore Athenas arbitratu suo in multis ciuium contentionibus rexisset, & iam haud longè abesset, vt moreretur, nec vires modò, verùm etiam sensus penè eum defecissent, contigit, vt inter amicos, qui in lecto iacenti astabant, de eius victoriis atque eloquentia, quæ in eo mira fuit, mentio haberetur, eámque ceu admiratione capti, laudibus efferrent. Hæc autem cùm ipse audiret, apertis oculis aliquantisper nixus, vt loqueretur, mirari se dixit, quòd victorias eloquentiámque in eo laudarent, quòd earum rerum partem fortuna sibi vendicabat, ipsos quidē potius laudare debere, quòd cùm longo tempore Athenas rexisset, nemo ipsius causa lugubrem vestem vnquam induerat. ibidem.

De Sabaco Ægyptiorum Rege.

Sabacus Ægyptiorum Rex (vt autor est Diodorus Siculus) adeò sanguinis animaduersionem exhorruit, vt capitis reos damnatósque vinctos catenis operas vulgò ciuitati præstare iuberet, ne scilicet interimerentur. Isq; postea sese regno abdicauit, & in Æthiopiam velut priuatus reduit. Guido Exemplorum. lib.

De Xenocrate Philosopho.

Xenocrates Philosophus adeò miti fuit ingenio, vt cùm passer futurus accipitri præda sese recepisset in eius sinum, eum beneuolenter operuit, ac fouit; dicens, non oportere supplicem prodere, tantò magis ad homines futurus mansuetus. ibid.

Antigono.

Antigonus Rex mansuetus admodum fuit. Cùm igitur filium suum iratum et immodestum erga subditos videret, ad filium inquit, Nónne scis fili,

regnum nobilem esse seruitutem. Magnæ profectò mãsuetudinis et humanitatis verba. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Furio Camillo.

ET humanum & clementem profectò multùm se Furius Camillus ostendit, cum capta Veientium vrbe, ab arce conspicaretur, à Romano exercitu eam diripi. nam quãquàm sciret Veientes Pop. Rom. graues fuisse hostes: tamen ex his humanos repetens casus, lachrymas continere non potuit. Baptista Fulgosus lib. 5.

De Cn. Pompeio.

Aduersus hostẽ Pop. Romano non minus grauem humanitate singulari Cn. Pompeius vsus est. Audita enim Mithridatis morte, qui desperatis rebus sibiipsi vim intulerat: quanquam sciret eum obstinato nimis animo contra populũ Romanum gessisse bellum, permultáque eum hominũ millia per id tempus inermia sine causa crudelem in modum occidisse. tamen plus miserando eius casu motus, militarique disciplina, quæ sine modestia nomine suo indigna est, quàm his, quæ permulta hostiliter Mithridates gesserat, inhonoratũ relinquere corpus eius noluit, sed iussit, vt regia pompa in Regum sepulchris conderetur. ibidem.

De Augusto.

Humanum persæpe Augustus se ostendit: sed tum maximè, cùm deambularet cũ Diomede liberto suo. Effractis enim caueis, aper proruperat, rectáque ad Augustum tendere videbatur. Itaque libertus, in quo formidinis, quàm prudentiæ plus erat, apprehenso Augusto se post eum texit. Ea re (periculi enim permultum habuit, & fortasse haud paucos ad vlciscendum libertum impulisset) Augustus neque iræ, neque cõmoti animi aliqua signa ostendit. prudenter enim aduertit eos, qui pusillo corde sunt, vbi de vita agitur, omnis rationis iudicium amittere. ibi.

De eodem.

Adeò autem clementi ingenio Augustus fuit, vt sibi similes amicos omnes optaret. id patuit, cùm eo apud Pollionem cœnante, seruus cristallinũ vas confregisset. nam domini iussu murenarum populo damnatus in viuarium perferebatur. qui cùm ducentium manus effugisset, se Augusti pedibus prouoluit, id vnum petens, vt alio mortis genere periret. Augustus vt mortis causam genúsque intellexit, solui seruum iussit, virguláque omnia Pollionis cristallina perfregit, viuariáque euertit. se enim causam dixit adimere Pollioni velle, ne in animi perturbationem incideret, aut ob eiusmodi causam imposterum seruum aliquem tam crudeliter perderet: qui cuiuscunque esset generis, in hoc ipso, quod homo erat, pluris quã omnia quæ terrarum orbis haberet, vasa, faciendus erat. ibidem.

De eodem.

Neque verò qui in aliena iniuria, quanquàm parua, flecti se ad humanitatem ostendit: iis quæ contra seipsum patrari inuenerat, etsi grauia erant, inclementem se præbuit. Nam cùm post Triumuiratum apud eum Cinna Cn. Pompeij nepos accusaretur, in Gallia insidias eius vitæ tetendisse, vxoris Liuiæ, quæ haud imprudens fuit, suasu Cinnam solum in cubiculum acciuit, eique omnia patefecit, quæ de hac re acceperat. Qua re Cinna perterritus, cùm neque deprecaretur crimen, neque negaret, Augustus humanissimè omne odium remisit, atque in sequentem annũ Consulem designatum in familiariũ amicorum numero habuit. O diuinã prorsus clementiam, ei qui vitæ insidias tetendisset, honores illos impartiri! qui vix illis præstandi essent, qui periculo protuenda dantis salute vitã abiecissent. ibidem.

De eodem.

Cùm idem pari clemẽtia obtrectatorum malignitatẽ perferret, atque eius patiẽtiam Tiberius carperet, hortatus, vt ex eis aliquot vlciscerentur, respondit, satis sibi esse, ne quis eum plusquã dicto lædere posset. ibid.

De eodem.

Idem cùm gladium vidisset, quo seipsum Antonius peremerat, secessit, lachrymisque acceptum ex eius morte dolorem expressit, atque regio honore ipsum Cleopatrámque simul tumulari iussit. ibid.

De Vespasiano Imperatore.

Vespasianus quoque Augustus humanitate clementiáque singulari vsus est. nam quanquã Vitellius Sabinũ eius fratrẽ occiderat, & filiũ vt occideret acerbè persequutus fuerat: tamen posteaquã vrbẽ attigit, Vitellij filiam magna cura ingentique collata dote, ac muneribus nuptui dedit. ibidem.

De Tito Imperatore.

Patris humanitatem imitatus est filius Titus. Ad se enim accersitis duobus patritij ordinis viris, qui affectare imperiũ dicebantur, modestè eos coarguit, docens fato imperia, & non ingenio, aut vlla alia industria dari: quòd si quid cuperẽt, eos id vt peterent, hortabatur, quia libenter assensurus esset: ambos quoque cœnæ secum adhibuit, idque qui alterius eorũ matri renuntiarent, celeriter misit, ne cũ detectam coniurationem intelligeret, verita filij vitam in discrimine versari, sibiipsi mortem consciscret: postero quoque die in theatro assidere sibi vtrũque iussit, & vt ipse oblata gladiatorũ tela inspexit, ea vtrisque inspicienda porrexit. Itaque cùm hac ingẽti humanitate amandũ se omnibus præberet, minimè mirũ videri debet, si is populi Rom. iudicio, humani generis deliciæ appellaretur. ibid.

De M. Aurelio Claudio II. Imperatore.

Humanum quoque se præstitit Claudius Imperator erga Aureolũ Tyrannum, qui in Illirico Augustalẽ dignitatem nomẽque vsurpauerat. in prælio enim cæsum sepulchri honore dignatus est, iuxta pontem, quem ab ipso Aureolum nuncupauit, epigrammáque addidit, quo ostendebat cupere, vt adhuc viueret, modò id aduersus Rempublic. non esset. Quàm humanũ igitur aduersus amicos, credere debemus fuisse, qui hosti mortuo hunc rerum verborúmque honorem tribuerit? ibidem.

De Flauio Iuliano Imperatore.

Insignis quoque clemẽtia Iuliani Imperatoris fuit, quam Antiochiæ ostendit, cùm à collitigatoribus apud eum accusatus esset Talassius, qui sub Constantio minister à secretis fuerat. Nam cùm Galli Cæsaris, qui Iuliani frater fuerat, mortis conscius fuisse diceretur, faceto verbo respondit, æquũ esse, cùm hac in re maior ipsius, quã collitigantium cùm Talasso iniuria esset, sibi quoque prius satisfieret. & cùm hoc dixisset, Præfecto imperauit, ne in Talassi causa aliud ageretur, nisi prius secũ in gratiam cum rediisse intellexisset. Ita enim cauere voluit, vt non modò ipsius maleuolentia Talassus non læderetur, verùm ne ipsius quidẽ odij opinio apud alios aliquo modo detrimentũ afferret. ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Iustiniano primo Imperatore.

Summa clementia vsus est Iustinianus in Vitigem Gothorũ Regem populi Rom. acerbum hostem, cùm à Bellisario captiuus Constantinopolim missus fuit: quoniã non vt hostem captiuúmque, sed vt amicũ habuit. patritia enim dignitate decoratũ magnæ eum prouinciæ Persis finitimæ præfecit, vbi honoris & opum plenus aliquod tempus vixit. Bapt. Fulgosus libro. 5.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Roderico Viuario Hispano equite, qui Cid nuncupatus est.

Rodericus Viuarius Hispanus & humanitate & animo excellẽs coacta satis grandi manu ex amicorũ propinquorũmque numero, præter eos, quos ipse pecunia sua conducere potuerat, vt Mauris, qui Hispaniæ partem Beticã occupabant, bellum inferret, dum ad Mauros tẽdit, & iam finibus regni Petri Aragonij Regis appropinquasset, à Petro armis ac bello petitus est, dum ingenti animo illatam vim à se propulsat, in prælio Regem cepit, ab eóque (quanquam ob acceptam iniuriam haud iniquè id posset) neque regni partem, neque pecuniam vllam exegit, sed liberè, cùm dimisisset, ad Mauros, vt cœperat, iter continuauit. ibidẽ.

De Alphonso XI. Castulonensi Rege.

Non hominis aut etiã Regis fuisse, sed prorsus diuina putari clementia debet, qua Castulonensis Rex vsus est, cùm Algaziram vrbem à Mauris possessam obsideret. Ad eũ enim Maurus quidam, ceu Scæuola, vt ipsum interimeret, profectus, cùm captus esset, atque habita disquisitione fateretur, eius rei gratia iuisse, vt pro patria, diisque suis vitam offerret, nouis amictum vestibus, data insuper pecunia, multis contrà suadentibus, cum præsidio incolumen ad Belmarin regem misit, cui Maurus ille parebat. Is autem quanquam Barbarus, non minus tamen Alphonso humanus diu acerba voce increpitum, quòd tanti animi Regem occidere tentasset, statim ne pœnam euaderet, interfici iussit. ibidem.

De Sixto II. Pontifice.

Sixtus II. Pontifex apud Valentinianum Iuniorem Imperatorem, & Placidiã eius matrem à Basso patritio maximis crimimibus accusatus, posteaquam innocentiam suã purgauit, multis precibus lachrymisque egit, ne Bassus in exilium

mitteretur: in quo cùm frustra laborasset, & post aliquod tempus Bassi mortui corpus Romã deportatũ esset, Sixtus non modo honoris gratia funeri & sepulturæ voluit interesse, sed manibus quoque suis eum tumulauit: se eius verè esse imitatorem docens, dum honorem pro iniuria accepta retulit, cuius vicarium se gerebat. ibidem.

De Ferdinando Consallo Castulonensi Comite.

Quanta Ferdinandi quoque Consalli Castulonensis comitis humanitas fuit? Nam cùm decertaret cum Pictonum ac Tolosanorum Comitibus, qui Nauarriensibus, quibuscũ ipse graue bellum gerebat, auxilio venerant, manu sua obtruncato Tolosano Comite, posteaquam ei arma atque spolia detraxit, ne minor in eo humanitas, quàm bellica virtus appareret, occisi corpus aureo panno texit, & Tolosanis, qui eo bello capti erãt, redeundi ad suos potestate facta, collatáque in viaticũ pecunia, dedit: nulla re ab eis exacta, nisi vt iurarent, principis sui corpus, quod eis tradebat, se Tolosam cũ toto comitatu perlaturos. ibidem.

De Alphonso Aragonio Siciliæ Rege.

Mos erat Alphonso quocunque in loco Eucharistiam ferri perspexisset, relicto equo, quo ferebatur, pedibus eam prosequi in locũ, quò perferebatur. Dum hoc peragit, cõtigit semel in vetulæ domum ingredi sanguinis fluxu laborantis. Cùm autem certior factus esset, eiusmodi morbo plurimum iaspidem cõferre, misit statim qui vnum, quem habebat, perferret, ipsêque mulieris manui eũ inseruit: breui autem liberata anus, cùm post aliquod tempus ad Alphonsum venisset, gratias pro accepto beneficio actura, excusauit se, quod iaspidem non retulisset, ne ei daretur vitio, quia sinistro casu eum amiserat. Cùm autem qui astabant, grauiter eam increpassent, subridens Alphonsus, Mater, inquit, mea, ij qui valetudinis suæ

nullam rationem habent, mirantur, si tu, vt valere possis, iaspidem retinuisti. O humanitatem insignem, Regem clarissimum cùm vetula tam humanè vrbanèque se gerere! ibid.

De Mariano monacho.

Marianus Bituricensis cœnobij monachus bubulci officio defungi non dedignatus, aprum ad se confugientem tutatus est: canibus insequentibus imperauit, ne illum tangerent. Mira res, canes obedierunt, aper discedere noluit, & cuius benignitate se seruatũ agnouit, eidem veluti iam pridem mansuefactus, humiliter adhæsit. Marul. lib. 4.

De Basolo Rhemensi Abbate.

Eadem fera ad Basoli Rhemensis Abbatis cellam confugiens, pedibus eius prouoluta, sic in tuto fuit, vt canes, qui magno cursus impetu iam tergo fugientis imminebãt, repente subsisterent. Tunc Attila venator rem admiratus, prædium quod ibi habebat, Abbati concessit, dignum omni beneficio asserens, cuius & mansuetudinem aper, & virtutem canes testati sint. ibid.

De diuo Hieronymo.

Diuus Hieronymus cùm inuidorum malitiam atque infestationes ne ferendo quidem posset reprimere, Roma cessit. Mãsueti enim placidique hominis proprium est dare locum improbitatibus aliorum, neque cũ pertinacium malignitate contendere: sed cui Romæ homines aduersãbantur, in Syriæ deserto feræ seruierunt. In Bethleemitico deinde monasterio manentem leo, posita ferocitate, blãditer adijt, & reliquis, qui aderant, metu dilabentibus, ipsi pedem spina vulneratum porrexit: sanatus famulatum exhibuit, nullique iam Monachorum metuendus asellum ad pascua educebat reducebátque ad stabulum agasonis fungens officio, qui quodam prædonis functus fuerat: ferocire nempe non potuit, vbi hospitis benignitate

experiri cœpit: nec ab eo prorsus discedere, cuius beneficio se nouerat conualuisse. ibid.

De Marino.

Marinus in Arba Dalmatiæ insula natus, apud Ariminum vitam solitariam duxit. Cùm autem aliquando cellam suam versus ab vrbe Roma rediret, asellum, quo in via vtebatur, vrsus terribilis inuadens peremit. Ille vrsum tenuit, & vt asini vices subiens, ad cellã vsque se deferret, iussit. Subitò sylueſtrẽ exuens animũ immanis bestia, dorsum homini præbuit, cuius asello nõ pepercerat. diceres humanitatis eius cõsciẽtia: quoniã ille amissi iumenti iacturã passus in autorẽ damni non excanduit, neque indignatus est, sed tantùm seruitio eius vsus, quò probaret posse se ab ipso pœnas exigere, si vellet, cuius dorso potuit tam imperiosè insidere. ibid.

De Ægidio Abbate.

Ægidius Abbas ad ostia Rhodani solitarius manens, & hominibus incognitus, ceruã lac præbente vixit. Sed cùm illa à venaticis canibus agitaretur, prepeti fuga cellam ipsius petijt, & trepida ac solitò mœstius immugiens, ante senis pedes prouoluta iacuit, vt cuius humanitatem diu experta fuerat, eius etiam auxilio ab imminente periculo tegeretur. Igitur illo orante canes propius accedere nequiuere: vnus autem de venatoribus (quia locus vepribus obductus erat) incertò sagittam dirigens, Abbati vulnus inflixit: post hoc penetrantes latebram, reperiunt senem ceruámque iuxta cubãtem, & religione quadam concussis animis procidentes, veniam ab eo, quem imprudenter læserãt supplíciter petunt, atque impetrãt, ceruam dimittunt intactam. tam enim ille libenter ijs, à quibus vulnus acceperat, offensam dimisit, quàm pro cerua orauit pari simplicitate & de ipsa solicitus, & in illos mitis. ibid.

De Apollonio Abbate.

Apolloniũ Abbatẽ ferunt

cuidam fratrum suorum humilitatis mansuetudinisque virtutem suis precibus à Domino impetrasse, ita vt ille cuius rigidæ mentis asperitatem nulla mitigare castigatio poterat, postea multis patientiæ ac lenitudinis exemplum fieret. Si quando igitur vllum animi morbũ industria nostra leuare non poterimus, ad precationum remedia recurramus. Quia quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. ibi.

DE CRVDELITATE, Græcorũ exempla.

De Phalaride.

PEruetus est fama & opinio ab omnibus recepta, nullum tyrannidem crudelius Phalaride exercuisse: quippe qui exquisitissimis non contentus supplicijs, æneo vsus est tauro, quo miseri mortales inclusi, mugitus edere viderentur, cùm medio cruciatu ingemiscerent, in quo illud minus crudeliter fecit, quòd tam mõstrosæ machinæ artificem omnium primum inuento affecit supplicio. Sabel. lib. 8.

De Cambyse Rege.

Magisne sæuus, an demẽs fuerit Cambyses, difficile dictu est, qui victor non solùm non hostibus pepercit, sed ne dijs quidẽ, deorumque sacerdotibus: fratrem præterea & sorores duas occidit, Apim bouem ferro vio lauit, vt non hominum solùm, sed & deorum (vt stulta credit Ægyptus) contemptor & hostis crederetur. ibid.

De Alexandro Pheræo.

Pheræus Alexander viuos obuersis inter se faciebus sepeliebat, homines vrsorũ cæterorúmq; terribilium ferarum pellibus contectos, & in quadrupedes feras transfiguratos venatoribus confodiendos laniandósque canibus obiciebat, hastam, qua Polyphranem auunculum peremit, sacrauit, festáq; præcinxit corona, ac tanquam Deo cuidã sacrificauit dignus eo cruciatu, quo vixit, qui omnia sibi infesta putaret, quia omnibus esset infestissimus. ibi.

De Herode.

Herodes nõ sæuus fuit solùm, sed impius, qui tot millia puerorum obtruncauit, vt innocentem & sanctum interciperet partum. Dirum facinus, atque eò omni sæuitia sæuius, quò longius ab eorum ætate, qui interfecti sunt, omnis abfuit culpa: sed neque Rex propositum tenuit, & sanguis, qui tum temerè effusus est, in regiæ stirpis totiúsque gentis caput redundauit. ibidem.

De Tamberlane.

Superauit auorũ memoria cæteros mortales sæuitia Tãberlanes Scytharũ Rex. Nullus hominũ auidius humanũ sitiuit cruorẽ, si vera sunt quæ de eo ferũtur. Rogatus quãdoq; quid tantum sæuitiæ indulgeret, & quòd nulli esset exorabilis, nullis precibus flectereturr, toruo aspectu atque excandescenti similis, respondisse dicitur, An tu me hominem putas, & non Dei iram potius ad hominum perniciem in terris agentem? ibidem.

De Pherotima Cyrenaica

Possunt quæ de Medeæ crudelitate traduntur, ob vetustatem fabulosa videri: at quæ de Pherotima Cyrenarum Regina, non possunt. est enim recentior de his memoria, ac propterea minus cunctanter ponenda. Disposuit illa Cyrenensibus irata, miserorum ciuium corpora palis desixa circa muros vrbis, mulierũ mammas violenter auulsas in publico suspendit. ibid.

De Parysatide Cyri iunioris matre.

Sed quando immanior fœmina, aut portentosior extitit vnquàm in terris, ingeniosiórue in humanis corporibus cruciãdis, quàm Parysatis minoris Cyri? quæ præter cætera suppliciorũ monstra, commenta est rationẽ, qua humana corpora gignerent sibi vermes, quos paulatim suis carnibus alerent, adultos &

Universidad de Deusto Biblioteca

validius in se grassantes ingenti cruciatu ferrent, quoad corpus miserabiliter consumptum mortem lentius admitteret. ibi.

De Carthaginensibus.

Carthaginenses Attilium Regulum palpebris resectis machina, in qua vndique præacuti stimuli eminebant, inclusum, vigilantia pariter & continuo tractu doloris necauerunt. Tormenti genus indignum passo, autoribus dignissimum.

Eadem crudelitate vsi in milites nostros Martis certamine in suã potestatẽ redactos nauibus substrauerunt, vt carũ carinis, ac pondere elisi, inusitata ratione mortis barbaram feritatem satiarent: tetro facinore pollutis classibus ipsum mare violaturi. Max. lib. 9.

De Annibale.

Horum dux Annibal, cuius maiore ex parte virtus sæuitia constabat, in flumine Gelo corporibus Romanis ponte facto, exercitum traduxit, vt æquè terrestrium scelestum Carthaginensium copiarum egressum terra, quàm maritimarum Neptunus experiretur.

Idem captiuos nostros oneribus & itinere fessos iam prima pedum parte succisa relinquebat. Quos verò in castra perduxerat, paria fratrum & propinquorum iungens ferro decernere cogebat: neque antè sanguine explebatur, quàm ad vnum victorem omnes redegisset. Iusto ergo illum odio, verum tamen tardo supplicio, Senatus Prusiæ regis factum supplicem ad voluntariam mortem compulit. ibidem.

De Rege Mithridate.

Tam hercle, quàm Mithridatem Regem, qui vna epistola octoginta millia ciuium Romanorum in Asia per vrbes negotiandi gratia dispersa interemit, tantæq; prouinciæ hospitales Deos iniusto, sed non inulto cruore respersit: quoniam cum maximo cruciatu veneno repugnantem spiritum suum tandem succumbere coëgit: simúlq; piacula crucibus illis dedit,

quibus illos amicos suos autore Gauro spadone libidinosus obsequio scelestus imperio affecerat. ibidem.

De Ptolemæo Rege Ægypti & de Cleopatra.

Ptolemæus filium suum nomine Memphitem, quẽ ex Cleopatra eadem sorore, & vxore sustulerat, liberalis formæ optimæ spei puerum in cõspectu suo occidi iussit, pedes eius præcisos, & caput & manus in cistam chlamyde opertos pro munere natalitio matri misit: perinde quasi ipse cladis, quàm illi inferebat, expers, ac non infelicior, quòd in cõmuni orbitate Cleopatram miserabilem, cunctis se inuisum redderet. Adeò cæco furore summa quoque efferuescit crudelitas, cui monimẽtum ex seipsa reperit. Nam cùm animaduerteret, quanto sui odio patria teneretur, timori remedium scelere petiuit, quóq; tutius plebe trucidata regnaret, frequens iuuentute gymnasium armis, & igni circundedit, omnésque qui in eo erant, partim ferro, partim flammæ necauit. ibidem.

De Ocho dicto Dario.

Ochus autem, qui postea Darius appellatus est, sanctissimo Persis iureiurando obstrictus, ne quem ex coniuratione, quæ septem magos cum eo oppresserat, aut veneno, aut ferro, aut vlla vi, aut inopia alimẽtorum necaret, crudeliorem mortis rationem excogitauit, quæ hos iuncto sibi non perrupto vinculo religionis tolleret. Septum enim altis parietibus locum cinere compleuit, suppositóque tigno prominente, benigno cibo et potione exceptos in eo collocabat: è quo somno sopiti in illam insidiosam congeriem decidebant. ibidem.

De Ocho Artaxerxe.

Apertior & tetrior alterius Ochi cognomine Artaxerxis crudelitas, qui Ocham sororem, atque eandem socrum viuam capite defodit, et patruum cum centum & amplius filiis,

ac nepotibus vacua area destitutum iaculis confixit, nulla iniuria lacessitus, sed quòd in his maximam apud Persas probitatis, & fortitudinis laudem consistere videbat. ibidem.

De Atheniensibus.

Consimili genere æmulationis instincta ciuitas Athenienſium, indigno gloriæ suæ decreto Æginensium iuuentuti pollices abscidit, vt classe potens populus in certamen maritimarum virium secum descendere nequiret, Non agnosco Athenas timori remedium à crudelitate mutuantes. ibidem.

De Hetruscis.

At ne Hetrusci quidem parum feroces in pœna excogitanda, qui viuorũ corpora cadaueribus aduersa aduersis alligata, atque constricta, ita vt singulæ membrorum partes singulis essent accommodatæ, tabescere simul patiebantur: amari vitæ pariter ac mortis tortores. ibidem.

De Barbaris.

Sicut illi Barbari, quos ferũt, mactatarum pecudum intestinis & visceribus egestis, homines inserere, ita vt capitibus tantũmodo emineãt, quoq; diutius pœnæ sufficiant, cibo, & potione infelicem spiritum prorogant, donec intus putrefacti, laniati sint ab animalibus, quæ tabidis in corporibus nasci solent. Queramur nunc cum natura rerum, quòd nos multis, & asperis aduersæ valetudinis incommodis obnoxios essevoluerit: habitúmque cælestis roboris humanæ conditioni denegatum molestè feramus: cùm tot cruciatus sibimetipsa mortalitas impulsu crudelitatis excogitauit. ibidem.

De Sariastre filio Tigranis Regis.

Sariaster aduersus patrem suum Tigranem Armeniæ Regem ita cum amicis cõsensit, vt omnes dextris manibus sanguinem mitterent, atque eum inuicem sorberent. Vix ferrent pro

salute parentis tam cruenta cõspiratione fœdus facientem. Idẽ eodem libro cap. 11.

De Asdrubale Carthaginensi.

Asdrubal Carthagine obsessus à Scipione, cuius vrbis iam partem Romani milites occuparant, impellente, quæ ei natura insita erat, crudelitate deductis in hostium conspectum omnibus Romanis captiuis, partim eorũ ambos defodit oculos, quibusdam linguã, neruósque desecuit, multis quoque genitalia hamato ferro diuellere nixus est: nonnullis etiam ex pedum planta cutem abrasit, aliquos penitus excoriauit, atque ita affectos ab vrbis muris laqueo suspendit. horum enim variandis tormentis cùm tanquam in re gratissima suum patriæq; periculũ lenire studeret, magis aggrauauit. Bap. Fulg. li. 9.

De Astyage Medorum Rege.

Quàm atrox Astyagis Medorum Regis crudelitas fuit, cùm paruum nepotem suũ Cyrum ab Harpago contra ipsius imperium seruatum fuisse intellexit? Nam nulla eius rei ostensa indignatione, Harpagi filiũ sub alterius rei prætextu ad se vocatum, clàm occidit, atque in varia epularum genera coctum ignaro patri vescendum apposuit: & posteaquam Harpagus his epulis naturæ satisfecit, ne eum lateret filij extis se cœna saturatum, caput manus, pedésque in lance pro secundæ mensæ frugibus ei iussit apponi. ib.

De Artaxerxe Persarum Rege.

Artaxerxes Persarum Rex, Xerxis filius viuentes homines duabus thecis includebat, è quibus cum capite manus pedésque eminebant, adhibitis in hoc statu cibis, eos vitam protrahere cogebat: quæ vt grauior esset, lacte ac melle ipsos pascebat, atque melle perunctos ora in sole versabat, vt calore, muscarúmque morsu validius torquerentur. Cùm autem in

thecis ipsis ventrem leuarent, & nō modò à sorde illa se purgare, sed ne mouere quidem corpora possent, innascentibus paruo temporis spatio vermibus viuorum corpora absumebantur. ibidem.

De Xerxe Persarum Rege Darij Hydaspis filio.

Pariter plusquàm ferina Xerxis Persarum regis crudelitas fuit, qui cùm in exercitu suo Pythij quinque liberos haberet, rogatus vt vnum ad patris solamen, ne omnes in eodem periculo haberet, relinquere vellet, respōdit, vt Pythius, quem mallet, eligeret: electum autē Xerxes in duas diuisit partes, atque inter eas trāsire exercitum iussit. Quemadmodū maiore etiā crudelitate Darius pater cum Oebazi Persa antè egerat. nam cùm is Darium rogasset, vt è tribus liberis, quos secum in expeditione Darius contra Scythas ducebat, vnum tantùm solandi patris gratia domum redire pateretur, cùm se omnes dimissurum respondisset, posterò die eos occidit, ac mortuos reliquit. ibidem.

De Naam Ammonitarum rege.

Naam Ammonitarum Rex omnibus Iudæis, quos in bello cepisset, aut qui se eius fidei credidissent, statim dextrum oculum eruebat. ibid.

De Scotis.

Ferus nedum crudelis mos fuit, quem Scoti (ita enim Britannorum pars, quæ ad Occidētem vergit, appellatur) vsque ad Hieronymi tempora seruauerunt: quemadmodum is in secundo aduersus Iouinianum libro testatur. Nam carnibus humanis in conuiuiis vescebātur: qui cùm plenas armentorum gregúmque atque aliariū in venationis vsum ferarum syluas haberent, pastoribus nates ac mulieribus vbera, vt his vescerentur, demere solebant. ibidem.

De Scythis.

Non minus quoque Scytharū fera consuetudo fuit, qui primi hostis, quem manu sua in prælio interemissent, sanguinem gustabant, atque detractam capitibus cutim cum capillis equorum pectoribus appendebant, solennibúsque diebus pro poculo in calua honoratioris hostis quē interemissent, bibebant: adeò ab omni humanitate abhorrebāt, quibus fortasse regio ipsa longúsque vsus huiusmodi causas præbebat. ibidem.

De Euchratidis Bactrianorum Regis filio.

Eucratidis Bactrianorum Regis filius à patre regni consors & tituli regij particeps factus, ab Indorum bello victorē reuersum parentem vt hostem interimi iussit: et cùm id parum videretur, grauius addidit scelus. Carpento enim corpus eius calcauit, atque eum sepultura prohibuit. idem eodem lib. capite tertio.

De Phraate Herodis Parthorum Regis filio.

Nónne detestandum etiam Phraatis Herodis Parthorum regis filij scelus fuit? qui parentem cum triginta filiis quanquam ab ipso regni successor designatus esset, occidit, grauiter pauci temporis moram in vicino iam morti patre ferens. Quamobrem cùm is inuisum se omnibus animaduerteret, ne quenquam regiæ stirpis viuere pateretur, filium suum iā grandiusculū interemit, præ nimia suspicione atque cupiditate in seipsum id molitus, quod ne maius quidem aliud ab hoste in eum statui poterat: adeò scelus atque crudelitas amentem eum atque vesanum fecerat. ibidem.

De Pōti Rege Mithridate ac filio eius Pharnace.

Cùm Mithridatem Ponti regem patrem Pharnaces filius magnis cladibus eò à Romanis deductū videret, vt vltrà parū resistere posset, nequaquā mise-

ricordia motus est, vt debebat: præsertim cum in patrem conspirasse deprehensus, atque ob id captus impunitatem sceleris ipse obtinuisset: sed nec ob id aut correctior factus, aut minus sceleratus, cùm pater de tra iiciendo in Italiam ageret, et ob id exercitus eius animo perturbatus esset, seditiosorum quorundam opera adiutus, à patre rebellauit, petitóque à militibus paterno capite, in eam desperationem ipsum coniecit, vt veritus ne à filio Romanis dederetur, veluti minus calamitosam rem sibi ipsi conscisendæ mortis causam deligeret, parentis enim manu id sceleratus filius egit: fortasse ita Deo permittente, quod ipse Mithridates multos olim innocentes occidendo patrarat. ibidem.

De Thlesimacho Pisistrati Orchomeniorum Regis filio.

Nec minus sceleratus crudelisque fuit Thlesimachus erga Pisistratum patrem Orchomeniorum Regem, cùm eũ iuuante Senatu occidit, ac corpus eius in frusta discerptum sub veste tectum abstulit, dicens, in cælũ à diis raptum esse, quemadmodum de Romulo Romani dixerunt. ibid.

De Antipatro Macedoniæ rege.

Antipater Cassandri Macedonum Regis filius matri Thessalonicæ indignatus est, quòd in regni diuisione mortuo Cassandro ad minorẽ natu filium Alexandrũ visa est inclinare. nam quanquam effusis lachrymis ipsa eum oraret, & aperto pectore vbera ostẽderet, quibus eum aluerat, in memoriam ei reuocans, à se genitum esse ipsum, atque enutritum: ita vt ad cõmiserationem omnes moueret (heu nimium sæua impietas) ipse ferus (vt filium taceã) hostis tigridéque truculentior, nullis emissis lachrymis, nullo ne suspirio quidem edito, surda aure maternas preces præteriens eam interfici iussit. ibid.

De Laodice Regina Cappadociæ.

Laodice Regina Cappadociæ cùm viro Ariarthæ vnà cum sex liberis infantibus superstes fuisset, verita ne adulti eam regno filij pellerent, scelesta mulier quinque veneno sustulit, contra ipsius sententiam sexto incolumi seruato, qui postea ei regno successit, cùm ipsa populari tumultu interiisset. ibidem.

De Timone Athenienſi.

Timon Atheniẽsis tam immani fuit natura, vt omnes mortales odio haberet, & sibi quoque ipsi infensus esset. Is cũ Alcibiadem adhuc puerum obuium habuisset, & deosculatus, ei plurimùm blandiretur, rogantibus quibusdam, quæ insuetarum blanditiarum causa esset, respondit, amare se eum puerũ, quòd præuideret ipsum quandoque Atheniẽsibus magnorum malorũ causam fore, qua spe sola fruebatur. ibid.

De Annibale Carthaginenſi.

Illa quoque Annibalis Pœni scelerata, atque atrox nimis vox fuit, cùm inspecta humani sanguinis plena fossa, pulchrum in ea esse spectaculum dixit. Feræ enim quàm nomini verbum conuenientius fuit. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Tiberio Principe.

Vicerant omnes Tyrannorum carnificinas Romanorum principum quidam. citentur obiter Capreæ, testabitúrque Tiberij principis truculentia, quam in puero præceptor deprehendit, appellauitque fimum cruore maceratum. Sabel. lib. 3.

De Caligula Imperatore.

Quid huius discipulus Caligula? ánnon satis est nota eius vox carnificibus præcipientis? Cùm sontes plectentur, curate, vt sentiant se mori nec minus illud dirum & detestabile. optauit aliquando, palàm vt Romanus populus vnam habe-

Universidad de Deusto Biblioteca

ret ceruicem, quæ vox nihil obscurè testata est: quò processura fuerit feritas illa ingenij, si quãtum libitum esset, sæuire licuisset. ibidem.

De Domitio Nerone.

Nec mitiore fuit in suos animo altera fax humani generis Domiti? Nero. is nõ ĩ ciues solũ, sed in domesticos etiam penates exercuit tyrannidem: & quod omnium atrocissimũ in eo fuit, patriam, quæ eum genuit, instituit, ad fastigium honoris extulit, hostiliter incendit. ibid.

De Domitiano principe.

Sed minus hic nocens, quàm Domitianus, qui vacuã vrbem reddidit, omni nobilitate consumpta, vt prius sæuiendi materia defuerit, quàm sanguinis satietas. ibid.

De L. Sylla.

Lucius Sylla, quẽ neque laudare neque vituperare quisquã satis dignè potest: quia dũ quærit victorias, Scipionem se pop. Romano, dum exercet, Annibalem repræsentauit. egregiè nánque autoritate nobilitatis defensa, crudeliter totam vrbẽ, atque omnes Italiæ partes, ciuilis sanguinis fluminibus inundauit: quatuor legiones contrariæ partis fidem suã sequutas in publica villa, quæ in Martio campo erat, nequicquam fallacis dextræ misericordiam implorantes, obtrũcari iussit, quarũ lamẽtabiles queritatus trepidæ ciuitatis aures receperũt: lacerata ferro corpora Tyberis impatiens tanti oneris cruentatis aquis, vehere coactus est. Quinque millia Prænestinorũ spe salutis per P. Cethegũ data, extra mœnia municipij euocatos, cũ abiectis armis humi corpora prostrauissent, interficienda, protinúsque per agros dispergenda curauit. Quatuor millia & septingentos diræ proscriptionis edicto iugulatos in tabulas publicas retulit, videlicet ne memoria tam præclaræ rei diluueretur. Nec contentus in eos sæuire, qui armis à se dissenserant, etiã quieti animi ciues, propter pecuniæ magnitudinẽ, per nomenclatorem conquisitos, proscriptorum numero adiecit. Aduersus mulieres quoque gladios distrinxit, quasi parum cædibus virorum satiatus. Id quoque inexplebilis feritatis indicium est: abscissa miserorũ capita, modò non vultũ, ac spiritũ retinentia, in conspectum suũ afferri voluit, vt oculis illa, quia ore nefas erat, manderet. Quàm porro crudeliter se in M. Mario prætore gessit? quẽ per ora vulgi ad sepulchrũ Luctatiæ gẽtis pertractũ, non prius vita priuauit, quàm oculos infelicis erueret, & singulas corporis partes confringeret. vix mihi verisimilia narrare videor. At ille etiã M. Pletoriũ, quòd ad eius suppliciũ exanimis ceciderat, continuò ibi mactauit, nouus punitor misericordiæ, apud quem iniquo animo scelus intueri, scelus admittere fuit. Sed mortuorũ vmbris saltem pepercit? minimè. Nam C. Marij, cuius etsi postea hostis, quæstor tamen aliquando fuerat, erutos cineres in Antenis alueum sparsit. Ex quibus actis felicitatis nomen asserendũ putauit. Max. lib. 9. cap. 9.

De Numatio Flacco Romano.

Numatius etiam Flaccus Põpeiani nominis acrior, quã probabilior defensor, cùm ab Imperatore Cæsare in Hispania inclusus mœnibus Attinguensiũ obsideretur, efferatam crudelitatem suam truculẽtissimo genere vesaniæ exercuit. omnes enim eius oppidi ciues, quos studiosiores Cæsaris senserat, iugulatos, muris præcipitauit, fœminas quoque citatis nominibus virorum, qui in contrariis castris erant, vt cædes coniugũ suarum cernerent, & maternis gremiis superpositos liberos trucidauit, infantes alios in cõspectu parẽtum humo infigi, alios superiectos pilis excipi iussit. Quæ auditu etiam intolerabilia Romano iussu Lusitanis manibus administrata sunt: cuius gentis præsidio Flaccus vallatus diuinis operibus vecordi pertinacia resistebat. ibidem.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Tullia.

Tullia cùm carpento veheretur, & is qui iumenta agebat, succussis frenis constitisset, repentinæ moræ causam requisiuit, & vt comperit corpus patris Seruij Tullij occisi ibi iacere, supra id duci vehiculum iussit, quò celerius in complexũ interfectoris eius Tarquinij veniret. Qua tam impia támque probrosa festinatione non solum æterna infamia, sed ipsum etiã vicum cognomine sceleris commaculauit. Max. lib. 9.

De C. Turannio.

Hanc crudelitatem, cui nihil adiici posse videtur, C. Turannius atrocitate parricidij superauit. Namque Triumuirũm partes sequutus, proscripti patris sui prætorij & ornati viri latebras, ætatem, notásque corporis, quibus agnosci posset, Cẽturionibus edidit, qui eum persequuti sunt. Senex de filij magis vita & incrementis, quàm de reliquo spiritu suo solicitus, an incolumis esset & imperatoribus satisfaceret, interrogare eos cœpit: è quibus vnus, Ab illo, inquit, quem tantopere diligis, demonstratus nostro ministerio, filij indicio occideris. Protinúsque pectus eius gladio traiecit: collapsúsque itaque est infelix autore cædis, quàm ipsa cæde miserior. ibid.

De L. Catilina.

L. Catilina, in senatu M. Cicerone incendium ab ipso excitatum dicẽte, Sentio, inquit, & quidem illud, si aqua non potuero, ruina extinguam. Quem quid aliud existimemus conscientiæ stimulis actum simulachrum à se inchoanti parricidij peregisse?

De filio Tullij Hannalis.

Cuius facti acerbitatem L. Tullius Hannalis sortitus, cùm in campũ ad quæstoria Comitia filij descendens, proscriptum se cognosceret, ad clientem suum confugit. sed ne fide eius tutus esset posset, scelere nefarij iuuenis effectum est. Siquidem per ipsa vestigia patris militibus ductis, occidendum eum in conspectu suo obiecit: bis parricida consilio prius, iterum spectaculo. ibidem.

De vxore Vitij Sallassi.

Ne Vitius quidem Sallassius proscriptus parũ amari exitus, quem latentem vxor interficiendum, quid dicam, tradidit? an ipsa iugulauit? quantò enim leuius est scelus, cui tantũmodo manus abest? ibidem.

De Pop. Romano.

Romani edendis gladiatorũ muneribus, haud mediocris sæuitiæ nomen subiuere, seruos enim coëmebant, quos gladiatoria instructos arte producebant, vt acutis inter se gladiorũ mucronibus dimicarent: alios etiã feris in arena obiiciebant, vt plerósque miserabiliter à feris dilaniari, atque semiuiuos deuorari non sine voluptate conspicerent. pretio enim humanũ sanguinem parabant, quem sine vllo necessario vsu effundi spectarent. ad ea autem spectacula, cùm nõ viri modò, sed fœminæ quoque, ac pueri magno studio concurrerent, quis negauerit, in grauem crudelitatis notam sub voluptatis specie eos incurrisse? Baptist. Fulgosus. lib. 9.

De Aruntio Paterculo.

Aruntij Paterculi fabri ferum, atque immane fuit ingenium. Æneum enim taurum tanta conflauit arte, vt damnati qui in eo ĩcludereẽtur, adhibito igne, cùm præ dolore gemereẽt, taurinos mugitus edere viderentur. Cùm autem Censorino Ægeste Tyranno in Sicilia munus dedisset, iustè vt is primus inuenti sui periculum faceret, à Censorino coactus est. quemadmodum de persimili tauro fabrum ad experimentum simile Phalaris Tyrannus coëgit. ibid.

De Triumuiris.

Diuiso inter se Romano imperio, Lepidus, Antonius, atque

Universidad de Deusto Biblioteca

Octauius, triduum continuum eorum notãdis nominibus, quos morti designarant, consumpserunt, morem sibi inuicem de his quos odio habebant gerentes. in eorum numero fuit Lepidi frater, item Antonij auunculus, & Octauij quidam amici, quos alij odio insequebantur. Proscriptorũ igitur numerus, quorum capita ad Triumuiros deferebantur, fuit trecentorum Senatorum, ac duùm millium equestris ordinis, qui inter epulas, aut cum vxoribus cubantes, vt fortè deprehensi erant, occidebantur, quorum corpora, quia sepeliẽdi facultas sublata erat, cum passim inhumata iacerẽt, in macelli speciem vniuersam vrbem reddiderant. ibidem.

De Vitellio Imperatore.

Vitellius duos fratres adolescentes ad mortem damnauit, quod pro patris periculo eum rogarant: adeò enim inuisa ei pietas fuit, vt eam in filiis quoque erga parentes damnatione dignam duceret. ibidem.

De Cõmodo Imperatore.

Non minus sæuitiæ in Commodo fuit. nam præter leuissimas alias causas, quibus persæpe interfici homines iussit, morte vnum mulctauit: quia C. Caligulæ vitam à Suetonio scriptam legisset: interdum quoque si aliquem cernere ei contigisset obeso ventre, atque adipe molli, medium vno ictu secari iubebat, vt viscera eius à vẽtre discurrentia videret, vtpote qui ex eo voluptatem ingentem acciperet: quod aliis permagnũ incussisset horrorem. ibidem.

De Heliogabalo.

Scelestis atque crudelibus factis Heliogabalus vsus est, cùm adolescẽtulos innoxios, quorum ambo adhuc parentes viuerent, interficiebat, vt eorum mors ad plures dolorem extenderet. ibi.

De Macrino Imperatore.

Macrinus, quem ob crudelitatis magnitudinem Marcellinum nuncuparunt, viuentes homines mortuis alligabat, donec vermibus fœtoréque consiterentur. ibidem.

De Maximino Imperatore.

Maximinus vt humano sanguine feritatem suam expleret, contra salutem suam initas esse conspirationes multas finxit, atque ob id quatuor hominum millia occidit: vt autem noua tormentorum ac mortis genera inueniret, viuos homines exenteratis bobus includebat, ita vt caput extaret, atque ita mori sinebat. ibid.

De Auidio Cassio.

Auidius Cassius non seuerus modò, verùm etiam sæuus trabi octuaginta pedes prælongæ, atque à terra, vbi validè figebatur, in altũ erectæ, ab imo vsque ad summum viuentes alligabat homines, atq; circum ipsam succenso igne, eorum partem ignis vi, partem fumo, nõnullos quoque rei ipsius formidine, atque horrore necabat. ibidem.

De Diocletiano Imperatore.

Diocletiani sæuitia in Christianæ religionis homines tantò aliorum Romanorum Principum crudelitatem superemineat, quantò agnos feritate leo vincit: Vnde si ipsius, atq; aliorũ qui Christi religionem persequuti sunt, crudeliter atque nefariò gesta scribendo prosequi voluero, dinumerandi stellas sumpsisse mihi laborem videar. Quamobrem ex innumerabilibus pauca quædam magis insignia veluti currẽs, perscribam. In Thebaide, quæ Ægypti pars est, nudas fœminas suspendebat: alias deuexis arboribus alligatis pedibus, cùm in cõtrariũ redire arbores permitteret, in duas partes dilaniabat: quibusdam, cùm adhuc viuerent, pellem coriúmque detrahebat: alios ferreis vnguibus totũ non profundis, sed oblongis vulneribus dilaniatos corpus carceribus vinctos restituebat, ac tegularum fragmenta pro strato eis subijciebat, vt quieturi, quàm antè in martyrio deterius

Universidad de Deusto Biblioteca

haberent. Alexandriæ autem nonnullis ademptæ manus ac pedum digiti: item nasus, labra & aures, atque ita affectos viuere (si hæc vita & non longior mors esse posset) permittebat: quosdã veluti hœdos ignibus assabat. Verùm in Põto atque Cappadocia in Christianos arte aucta fuit crudelitas: peracuta enim cannarum frusta inter vngues carnémque digitorum figebat: alios liquefacto plumbo totos instillabat, aut per anum eis corpora replebat: fœminis quoque per sexum candentia ferramenta adigebat, quibus rebus nullius tanta barbaries ac feritas est, quæ vehementer horum tormentorũ horrore moueri non debuerit. ibid.

De Caligula Imperatore.

Vt alia omni in re, ita verbis quoque sceleratus Caligula fuit, cùm persæpe repeteret, Oderint dum metuant: semélque iratus clare exclamaret, Vtinã populus Romanus vnam tantum haberet ceruicem. Sceleratum nimis profectò verbũ. nam quid aliud sæua eius rabies optabat, nisi vt vno vulnere patriam perdere posset? Idem lib. 9. cap. 11.

De Aulo Vitellio Imperatore.

Nónne Vitellij quoque sceleratum fuit verbum, cùm ex Germania Romam rediret, atq; haud longè à Bebriaco iter faceret? illic enim cũ Othone certamẽ eius fuerat, & ob id cùm multi tam multorum cadauerum fœtorem abhorrerent, dixit olere hostem mortuum, præsertim ciuem. & vt magis eo spectaculo frueretur, mortuos spectans, lætus largè perpotauit. ibidem.

De Publio Malleono.

Publius Malleonus propriam occidit matrem, in quem lata est ea sententiæ pœna, quæ inscribitur in fine Institutionum ciuilium, Titulo de Publicis iudiciis, §. Alia deinde. & cæ. Is itaque insutus culeo cum cane, gallo gallinaceo, vipera & simia, proiectus est in mare, vt

ob tam detestabile crimen omnium elementorum vsu viuus carere inciperet, & ei cælũ superstiti, terra verò mortuo auferretur. Guido Exemplorũ li. 3

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Vitoldo.

TVlit recentior ætas exemplum sæuitiæ non parum memorabile. Vitoldus Lituaniæ Dux (fuit olim hæc Taurica Cersonesus, nisi multùm opinione fallor) homo truci sæuóq; ingenio, si quem morti destinasset, vrsinis inuolutos pellibus canibus laniandos obijciebat. Nũquàm bellicis expeditionibus non intentum habuit arcum, vt ordine aberrantem sagitta transfigeret. Hanc in Principe intemperiem adeò expauit gẽs alioqui ferox, & mortis cõtemptrix, vt multi eius imperium sequuti, vltro sine carnifice vitam finiuerint veneno, aut laqueo. Sabel. lib. 8.

De Ecelino.

Verùm hunc & omnes Christiani nominis viros crudelitate superauit Ecelinus, qui circa Taurisium in Euganeis exercuit tyrannidem, castrauit pueros, vitiauit virgines, matronis ademit mammas, prægnantium vteros exsecuit, partus exsectos in ignem coniecit, bissena Patauinorum millia, qui secum militabant, audita Patauij defectione, ad vnum interfecit: victus prælio vulnus quod in pugna acceperat, rescidit, vt tam crudeliter, quàm vixit, moreretur. ibid.

De Othone Antonio mõtisferrati Comite Vrbini Principe.

Otho Antonius Montisferrati Comes atque Vrbinatium Princeps puerum, quem in cubiculi ministerio habebat, resinato linteo, atque sulphure perfuso inuolutum viuum in candelæ morem combussit, quòd hora, quã ei præfixerat, ipsum non excitasset. Bap. Fulg. lib. 9.

De Nicolao Picinino.

Nicolaus Picininus, cùm Phi-

Universidad de Deusto Biblioteca

lippi Mediolanensis ducis auspicio Album Ingaunum obsideret, captum Valentem Fogatiã, quòd ab obsessis deferre literas deprehensus erat, collo eius ad ceruiã alligato, ita vt in globum conuersus esset, tormento, cui vulgò Italicè Bricolæ nomẽ est, in vrbem Album Ingaunum transmisit: qui quanquam antè moreretur, quàm terram attingeret, sæuum tamen mortis genus visum est. discerptus enim tanti casus altitudine humanã formam amiserat, ita vt vix parua in parte aliis amissis colligi posset. ibid.

De Carolo vltimo Duce Burgundiæ.

Sæuitiæ terminos transgressa videtur illa quæ in Carolo vltimo Burgundiæ duce dicitur fuisse. nam vel ipsarum tragœdiarum portenta superauit: nec verò pauci operis fuit singula exequi, quæ, dum iræ indulget, is naturæ violato iure, per summã immanitatem edidit. Quibus enim (vt alia omittam) pro rei dignitate verbis satis deplorari excisæ penitus vrbes clarissimæ Leodium atque Dinantum poterunt, in quibus omnibus igne ferróque fædatis, nulli ætati aut sexui pepercit? quis etiam sine ingenti dolore illata Heluetijs mala commemoret, in quibus vno die quingentos in deditionem acceptos suspendit? Iniuriæ tamen à Leodiensibus & Dinantinis, atq; etiam ab Heluetiis acceptæ excusare in Carolo sæuiendi atrocitatem aliquo modo debere videntur. nam alteri in ipsius cõtemptum episcopatu propinquum eius deiecerant, alteri furcis Caroli ipsius atque procerum eius simulachra appenderant: sed proculdubiò in deditiios, atque in sexum, ætatémque imbellem tam crudeliter sæuire, hominis nimium iræ fræna laxantis opus fuisse videtur. ibi.

De Ioanna prima Neapolitana Regina.

Ioanna prima Neapolitanorum Regina occupatis in scelere Brunechildis partibus, in aduersæ vrbis arce virum atque eundem patruelem Pannoniũ Andream suspendi iussit, vt ipsa arbitratu suo liberius ageret. idem lib. 9. cap. 11.

DE SAPIENTER dictis, atque factis, Græcorum exempla.

De Amasi Rege Ægypti.

Amasis ignobili ortus familia ad Ægypti regnum conscedit, qui propterea cùm se æquè atque alios Reges, qui ante eum fuerant, non haberi in honore cerneret, statuã numini condidit ex quorundam vasorum auro, in quibus Ægyptij, cùm interdũ Regum conuiuiis adhiberentur, exonerare ventrem atque euomere solebãt. quod numẽ cùm postea ab Ægyptiis reuerenter coleretur, Amasis habita oratione, eis ostendit statuam, quam colerent, ex eo auro confectam esse, in quo cùm vasorum formam haberet, omnes ventrem leuauerunt: quod aurum quoniã nunc in numinis formam mutatum erat, adorare ipsi minimè aspernabantur. idem de se esse dicebat, qui quãquàm cùm in priuata fortuna esset, abiectus vide

De Mãfredo Friderici II. Imperatoris filio.

Recentiores omnes scelere superauit Manfredus, qui Frederici II. naturalis tantùm filius, et ab eo Tarentini principatus honore decoratus (quẽadmodum à nonnullis traditum est) pului no senem ægrum & patrem oppressit, vt Neapolitanum regnum, sicuti fecit, occuparet. ibidem.

De Henrico Henrici III. Imperatoris filio.

Etsi ferro abstinuit, aliis tamen modis patrem Henricum III. Imperatorem scelestus filius Henricus IIII. perdidit. nam non contentus captum coëgisse, vt imperio cederet, posteaquã pater manus eius effugit, armis Leodij inclusum adeò pressit, vt præ dolore, cùm omnis alia spes adempta esset, perierit. ibid.

Universidad de Lujan Biblioteca

retur, tamen cum postea ad regnum ascendisset, dignus erat, cui honos atque reuerentia haberetur. Bapt. Fulg. lib. 7.

De eodem

Non minus quoque sapiens fuit illius verbum erga Polycratem Samium Tyrannum amicum suum. Nam cùm audiret omnia illi prosperè cedere, scripsit, vt tentaret aliquo quoque incommodo affici: quia fieri non poterat, vt fortuna præter naturæ suæ cursum constans maneret: cuius consilium cùm sequi Polycrates constituisset, in mare demisit magni pretij annulum, quem percharum habebat, quod eo incommodo secundæ fortunæ tenorem iuxta Amasis consilium interrumpi posse putabat. sed cùm eum annulum breui in pisce inuentum esse à se Amasim monuisset. prudēter animaduertit Amasis Polycratem ad grauiorem, quàm vnius amissi annuli casum à fortuna reseruari. itaque vt illius ruina minus doleret, ad eum misit, qui communi amicitiæ renuntiaret. Polycratis autem exitus sapienter ab Amasi iudicatum fuisse ostendit: neque enim longè res abierunt, cùm Persæ illatis armis Polycratem regno deiectum, vita quoque priuarunt. ibidem.

De Philippo Macedoniæ Rege.

Simili verbo non sine prudentiæ laude Philippus Macedonum Rex vsus est, cùm eodem die nuntium accepisset, quadrigas suas in Olympicis ludis aliàs cursu vicisse, item Parmenionem ducem suū hostes prælio fudisse, ac præterea natum sibi filium Alexandrum: veritus enim, ne fortuna cùm tot bona eodem tempore cumulasset, mutata grauioribus malis hanc felicitatem repensaret, dixisse fertur, O fortuna celeriter potius aliquid paruæ molestiæ ad pensanda hæc tanta bona, quàm differendo maiora mala afferto. ibid.

De quodā Lacedęmonio.

In eandem sententiam fuit verbum quoque cuiusdā Spartani erga Diagoram Olympicis ludis. nam cùm victores Diagoras vidisset coronari filios, atque ex filia filióque nepotes, eáque re multum lætaretur, dixit, O Diagora, nunc pulchrum moriendi tempus. Magna enim prudentia ostendit fieri non posse, vt tātus felicitatis cumulus alicuius rei infelicitate, aut morte non compensetur, et tunc moriendum esset, cum viuentem plus vita delectat. ibidem.

De Themistocle Athenienſi.

Themistocles Athenienſis prudentem nimis se ostendit eo tempore, cùm ducta Græcorum classe ad Artemisium, vt cum Persis confligeret: quanquam et ipse dux Athenienſiū & nauiū numerus, quas Athenienses in ea classe habebant, maior esset: tamen cùm accepisset Euribiadem Lacedæmoniarum triremium ducem velle cum eo de præcedendi ratione contendere, sine vlla verborum controuersia locum ei primum concessit, affirmans eum primarium ducem habitum iri, qui aduersus Persas pugnando, maiorem meliorémque operam nauasset. neque enim ex publica vtilitate putauit, cùm esset confligēdum, de eiusmodi re, quæ minima erat, contendere. Siquidem nulla alia re facilius, quàm hac contentione hostis victor euadere potuisset. Itaque haud multò post deleta Persarum classe partæ victoriæ laus ac gloria penes solos Themistoclem atque Athenienses mansit. ibid.

De Alcibiade Atheniēſi.

Alcibiades quoque prudenter fecisse putatus est, cùm canis mirè speciosò, quem paulò antè magno pretio coëmerat, caudā penitus abscidit, ac passim ire permisit. nam cùm ex amicorum numero factum quidam reprehendissent, dixissēntque illud perperam actum esse, respondit voluisse se paruo illo errore materiam sui criminandi Athenienſibus dare, vt dum de eo loquerentur, de maioribus,

quæ pertinerent ad ipsum, silerent. perspicaci enim ingenio animaduertere visus est, difficulter fieri, vt qui virtute, aut dignitate aliis superemineat, ita hominum linguas compescat, quim aliqua in re malè audiat. Et propterea enitendum esse dicebat, vt populo de leuioribus rebus loquendi materia daretur. ibid.

De eodem.

Sapiens illud eius verbũ habitum fuit, cùm missus in Siciliam cum exercitu, paulò post ad iudicium reuocatus esset. Nam cùm in iudicio apparere nollet, & nõnulli eum monerent, debere ipsum patriæ fidere, respondit, in his, quibus hominis vita cõtineatur, sene matri quidem crediturum, ne fortasse cùm suffragium suum datura esset, errore ducta, nigrum pro candido calculum porrigeret. ibidem.

De Pyrrho Epirotarum Rege.

Cùm Pyrrhus Epirotarum rex vouisset Palladi Atheniẽsi arce rem sacram facere, Athenienses liberè eum in vrbem atque arcem receperũt. verùm posteaquam vrbe egressus fuit Pyrrhus, dixit, mirum in modum gratam extitisse fidem, quam sibi Atheniẽses habuissent. cæterùm si saperẽt, in posterum Regi nemini portas aperturos esse. Eo enim verbo ostendit, non esse ex re liberæ ciuitatis, in cuiusquam principis manus libertatem suam credere. Cuius consilium non sequuti Athenienses, cùm postea Cassandrum quoque in vrbem accepissent, magna atque innumerabilia mala ex eo tulerunt, re ipsa experientes, à Pyrrho sapiẽtissimè monitos fuisse. ibid.

De Gabria Athenienſi.

Habitum quoque singularis prudẽtiæ Gabriæ verbum fuit, cum dixit magis timendum esse ceruorum exercitum, cui Leo dux præsit, quàm Leonum, qui ducem ceruum habeant. acutè enim declarauit, ducis vel vtilitatem, vel virtutem totius exercitus vtilitati, vel virtuti

præponendam esse. ibid.

De Theopompo Lacedæmoniorum Rege.

Cùm Theopompo Lacedæmoniorum Regi dictum esset, eo tẽpore bene Lacedæmoniis esse, quòd bene regere reges didicissent: prudentissimè is respõdit, id potius accidere, quòd populi parêre didicissent. Eo enim verbo ostendit, bonam popularium vrbium administrationem non tam principum regimine, quàm in populorum obedientia consistere. nam si populi à principibus in diuersum traherent, difficillimum arbitrabatur esse, vt principes bene regere possent. ibidem.

De Dionysio Seniore Tyranno Syracusano.

Dionysius Senior Syracusanus Tyrannus, cùm filium reprehẽderet, quòd Syracusani cuiusdam ciuis vxori vim intulisset, atque inter alia diceret, si vnquàm audiuisset à se rem similem factam fuisse? filius ex tẽpore respõdit, Id accidit, quòd nunquàm patrem regem habuisti. Ad quem pater, Ne tu quidẽ fili, nisi hæc facere desieris, filium vnquàm habebis, qui regnum obtineat. Cuius verbum res ipsa verum ostendit. nam cùm Dionysio Seniori filius successisset, haud multò post ob prauam vitã Syracusis pulsus fuit. ibidem.

De Agesilao Lacedæmoniorum Rege.

Quàm prudens quoque Agesilai Lacedæmonij Regis verbũ fuit? Aiebat enim non minus laudatoris inspiciendos esse mores, quàm eius, qui laudatur. nã eo verbo significare voluit, perrarò contingere, vt aliquis, quæ moribus suis contraria sunt, laudare velit, forsitánque etsi aliter videretur, persæpe ex laudatoris ingenio, posse eius quoque mores, qui laudetur agnosci. ibidem.

De eodem.

Cùm è quodam ei semel diceretur, Agesilae, scito te eam mihi rem promisisse: ad regiam

autem fidem pertinet, non verba modò, verum capitis quoque nutus seruare: atque huiusmodi verbis Agesilaum vrgeret, vt promissa præstaret: quia res parum honesta videbatur, & propterea Agesilaus fidem in eo præstandam esse non putabat, respondit, Scito tu quoque neminem à Rege iniustam rem petere debere. Acuto enim responso ostẽdit, rem inhonestam, quæ importunitate promissa, aut concessa videatur, laudabilius reuocari, quàm vt constantiæ fama paretur, mala, quæ promissa sint, præstari. ibid.

De Chilone Philosopho.

Sapiẽter dixisse putatur Chilon Philosophus, cùm monuit hominum bonitatem, ita auro probari, quemadmodum aurũ eo lapide, per quem in bonitate discrimen inspicitur. Ostendit enim permultos, qui aliis vitiis diu restiterint, opum auiditate persæpe à virtute deduci: & qui aduersus opes constans fuerit, eum de cæteris vitiis facilius victoriam reportaturum. ibidem.

De Cynea Philosopho.

Cùm Cyneas Philosophus Pyrrhum Epirotarum Regem Italico bello imminere cerneret, eique vehementer inhærere: cùm vt prudens periculis eã rem plenam putaret, fretus ingenij dexteritate posse Pyrrhũ de sententia deduci, oblata occasione solum alloquendi, dixit, Nosti Pyrrhe Romanos imperio præpotentes animo corporéque pollere, multásque feras gẽtes domuisse, si dij nobis tam fauentes essent, vt victoria potiremur quid tibi vltrà agẽdum putares? respondente Pyrrho, quòd habita de Romanis victoria totius Italiæ imperium tractura secum esset, atque ab Italia se postea in Siciliam traiecturũ. Cyneas, His demũctis, ait, quid vltra agetur? Africam traijciemus, inquit Pyrrhus, quò profectus olim Agathocles penè in fugitiui formã paruo exercitu magna gessit. atque ab Africa, quantum ego

ego conijcio, non habebimus qui nobis resistere valeat. Et Cyneas, His demum partis, quibus rebus tempora nostra transigemus? Tũ Pyrrhus, Læti vna inter festos dies ludosque agemus. Cyneas autem, Quis prohibet sine tantis laboribus ac periculis, quin vel hac ipsa hora, cùm tu satis magnus atque opulẽtus Rex sis, læti simul viuamus? Argutè enim sapientérque hominum inexplebilem cupiditatem ostendit, quæ incognita eos ad infinita pericula deducit. ibidem.

De Hormisda Persa.

Sapiẽs etiam fuit Hormisdæ Persæ responsum, cùm ostendẽti Constantino Imperatori vrbis Romæ magnitudinem, atque hominum, ædificiorúmque magnificentiam, petentique, quid de ea sentiret, respondit, ex tanta re, quanta ei ostendebatur, nihil eum delectasse magis, neque esse, ex quo maiorem fructũ consequi posset, quàm quòd ex iis, quæ videret, verum esse cõprehendit, in vrbe quoque Roma, quanquam amplitudine opibúsque alias excederet vrbes: tamen sicut in cæteris orbis terrarum locis homines mori. Breuiter enim ac sapienti responso rerum humanarum vanitatem taxauit. ibidem.

De Misoniano Hebræo.

Inter multa priscorum sapiẽter dicta factáque Hebræi quoque equitis, quem Misonianum Eusebius appellat, & factum & dictũ addemus. Nam cùm moratam equitum turmam inspiceret, in qua ipse cùm Rom. militibus erat, & moræ causam intelligeret esse, quòd Augur prius inspicere vellet quid augurij capiendũ esset ab aue, quam fortè in via offenderent, Misonianus aliud à se agi fingens, arcum tetendit, primáque sagitta confossam auem in terram deiecit, atque ridens, ad comites conuersus dixit, parum consilij atque opis ab irrationabilibus animatis posse quenquã sperare, posteaquàm pateat ea nescire quæ ad se ipsa pertineãt,

& re, & verbo æuguria vana esse, stultéque eis credi ostendes. ibidem.

De Socrate Philosopho.

Socrates humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre Oraculum nihil vltrà petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent: quia ij demũ scirent quid vnicuique esset vtile. nos autẽ plerunque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quã latè patentem errorẽ cæcas precationes tuas spargis? diuitias appetis, quæ multis exitio fuere: honores concupiscis, qui complures pessundederunt: regna tecum ipse voluis, quorũ exitus sæpenumero miserabiles cernũtur: splendidis coniugiis injcis manus, at hæc vt aliquando illustrant, ita nonnunquàm funditus domos euertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis quasi felicissimis rebus inhiare, teque totum cælestium arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere apertissimè possunt. Max. lib. 7.

De eodem.

Idem ab adolescentulo quodã consultus, vtrum vxorem duceret, an se omnino matrimonio abstineret, respondit vtrum horum fecisset, acturum pœnitentiam. Hinc te, inquit, solitudo, hinc orbitas, hinc generis interitus, hinc hæres alienus excipiet: illinc perpetua solicitudo, cõtextus querelarum, dotis exprobratio, affiniũ graue supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonij, incertus liberorum euentus. Non passus est iuuenem in contextu rerum asperarum quasi læta materiæ facere delectum. ibid.

De eodem.

Idem cùm Atheniensium scelerata dementia tristem de capite eius sententiam tulisset, fortique animo & constanti vultu potionem veneni è manu carnificis accepisset, admoto iam labris poculo, vxori Xantippe inter fletũ & lamentationem vociferanti, innocentem eum perimi, Quid ergo, inquit, nocẽti mihi mori satius esse duxisti? O immensam illam sapiẽtiam, quæ ne ipso quidem vitæ excessu obliuisci sui potuit! ibidem.

De Solone.

Solon cùm ex amicis quẽdam grauiter mœrentem videret, in arcem perduxit, hortatúsque est, vt per omnes subiectorum ædificiorum partes oculos circunferret: quod vt factum animaduertit, Cogita nunc tecum, inquit, quàm multi luctus sub his tectis, & olim fuerint, hodiéque versentur, in sequentibúsque seculis sint habituri: ac mitte mortalium incommoda tanquàm propria deflere. Qua consolatione demonstrauit, vrbes esse humanarum cladium consepta miseranda. ibidem.

De Bia Prienensi.

Bias autem cùm patriam eius Prienem hostes inuasissent, omnibus, quos modò belli sæuitia incolumes abire passa fuerat, pretiosarum rerum pondere onustis fugientibus interrogatus, quid ita nihil ex bonis suis secum ferret, Ego, inquit, verò bona mea mecum porto. pectore enim illa gestabat, non humeris, non oculis visenda, sed æstimanda animo, quæ domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec Deorum manibus labefactari queunt: & vt manentibus præsto sunt, ita fugientes non deserunt. ibidem.

De quodam Rege.

Rex etiam ille subtilis iudicij, quem ferunt traditum sibi diadema, priusquàm capiti imponeret, retentum diu considerasse, ac dixisse, O nobilem magis, quàm felicem pannum, quẽ si quis penitus cognoscat quàm multis solicitudinibus, & periculis, & miseriis sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere vellet. ibidem.

De Aristophane.

Aristophanis quoque altioris est prudẽtiæ præceptum, qui

in comœdia introduxit remissum ab inferis Atheniensem Periclem vaticinantem, non oportere in vrbe nutriri leonem: si autem sit alitus, obsequi ei conuenire. Monet enim, vt præcipuæ nobilitatis & concitati ingenij iuuenes refrenentur: nimio verò fauore ac profusa indulgentia pasti, quo minus potentiam obtineant, ne impediãtur: quòd stultum & inutile sit, eas obtrectare vires, quas ipse foueris. ibidem.

De Thalete Philosopho.

Mirificè etiam Thales, nam interrogatus, an facta hominũ Deos fallerent: Nec cogitata, inquit, vt non solùm manus, sed etiam mẽtes puras habere vellemus, cùm secretis cogitationibus nostris cæleste numẽ adesse credidissemus. ibid.

De Aristotele Philosopho.

Aristoteles Callisthenẽ auditorem suum ad Alexandrũ mittens, monuit, vt cum eo, aut quàm rarissimè, aut quàm iucundissimè loqueretur: quo scilicet apud regias aures vel silẽtio tutior, vel sermone esset acceptior. At ille dum Alexandrum Macedonem Persica salutatione gaudentem obiurgat, & ad Macedonicos mores inuitum reuocare beneuolè perseuerat, spiritu carere iussus, serã neglecti salubris consilij pœnitentiam egit. ibidem.

De Demade.

Demadis quoque dictum sapiens. nolentibus enim Atheniẽsibus diuinos honores Alexandro decernere: Videte, inquit, ne dum cælum custoditis, terram amittatis. ibid.

De Anacharsi.

Quã porrò subtiliter Anacharsis leges aranearum telis comparabat: nam vt illis infirmiora animalia retineri, valẽtiora transmitti, ita his humiles & pauperes constringi, diuites & præpotentes non alligari. ibidem.

De Agesilao.

Nihil etiam Agesilai facto sapientius: siquidem cum aduersus Rempub. Lacedæmoniorum conspirationem ortam noctu comperisset, leges Lycurgi continuò abrogauit, quæ de indemnatis supplicium sumi vetabant. comprehensis autem & interfectis sontibus, easdẽ euestigio restituit, atque vtrunque simul prouidit, ne salutaris animaduersio, vel iniusta esset, vel iure impediretur. itaque vt semper esse possent, aliquando non fuerunt. ibid.

De Herennio Pontio Samnite.

Non paruas quidem pœnas sui erroris Samnites pependerunt, quòd Herennij Pontij salutare consilium neglexerunt, qui autoritate & prudentia cæteris præstans, ab exercitu & duce eius filio suo consultus, quidnã fieri de legionibus Romanis apud Furcas Caudinas inclusis deberet, inuiolatas dimittendas respondit. Postero die eadem de re interrogatus, deleri eas oportere dixit: vt aut maximo beneficio gratia hostium emeretur, aut grauissima iactura vires confringerentur: sed improuida temeritas victorũ, dum vtranque partem spernit vtilitatis, sub iugum missas in perniciem suam accendit. ibid.

De Platone.

Cùm Anniceris Cyrenensis aliquando artis suæ specimen vellet Platoni exhibere, & iũcto curru, in Academia sæpius circumequitaret, adeò intentè currus gressus seruans, vt ne digitum quidem latum ab orbitis discederet, cæteris mirantibus, Plato nimiam eius industriam reprehendit, inquiens, fieri non posse, vt qui friuolis rebus tam diligentem nauaret operam, magnis & præclaris negotiis posset vacare. Ælianus.

De Socrate.

Socrates, cùm videret Alcibiadem ob diuitias elatum, & agrorum multitudine superbũ, adduxit ad locũ, in quo tabula

quædam ambitum terræ complectens, suspensa erat, & eum rogauit, vt Atticam ibi requireret: quam cum inuenisset, suos fundos eũ iussit ostendere: & cùm respõderet, nusquam apparere, inquit, Possessione te effers, quæ nulla pars est terræ. ibid.

De Archyta.

Archytas dicere solitus erat, Quemadmodum etiamsi summam adhibeas diligentiam, piscem tamen sine spinis non inuenias: sic nec hominem inueniri posse, qui non dolosum spinosumque aliquid habeat admistum. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Appio Claudio.

APpium Claudium crebrò solitum dicere accepimus, negotium populo Romano melius, quàm otium committi: nõ quòd ignoraret quàm iucundus tranquillitatis status esset, sed quòd animaduerteret, præpotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari, nimia quiete in desidiam solui. Et sane negotium nomine horridum ciuitatis nostræ mores in suo statu continuit: blandæ appellationis quies plurimis vitiis respersit. Max. lib. 7.

De Q. Metello.

Q. quoque Metelli tum grauis tum etiam alta in Senatu sententia, qui deuicta Carthagine, nescire se, illa victoria bonine plus, an mali Reipub. attulisset, asseuerauit: quoniam vt pacem restituendo profuisset, ita Annibalem submouendo, non nihil nocuisset. Eius enim trãsitu in Italiam dormiẽtem Pop. Romani virtutem excitatam dicebat, metuique debere ne acri æmulo liberata, in eundem somnum reuolueretur. In æquo igitur malorum posuit, vti tecta, vastari agros, exhauriri ærarium, & prisci roboris hebetari neruos. ibidem.

De Licinio Fimbria Consulari.

Quid illud factũ Licinij Fimbriæ Consularis, quàm sapiens? A M. Luctatio Pinthia splendido equite Rom. iudex additus de sponsione, quam is cum aduersario, quòd vir bonus esset, fecerat: nunquam id iudicium pronuntiatione sua finire voluit, ne aut probatum virũ, si contra eum indicasset, fama spoliaret, aut iuraret eum bonũ virum esse, cùm ea res innumerabilibus laudibus cõtineatur. Forensibus hæc, illa militaribus stipendiis prudentia exhibita est. ibid.

De Senatu.

Cùm aduersus Annibalem Senatus Claudiũ Neronem & Lucium Salinatorem Consules mitteret, eósque vt virtutibus pares, ita inimicitiis acerrimè inter se dissidẽtes videret, summo studio in gratiam reduxit, ne propter priuatas dissensiones Remp. parum vtiliter administrarent: quia consimili imperio vbi concordia non inest, maior aliena opera interpellãdi, quàm sua edendi cupiditas nascitur: vbi verò pertinax intercedit odium, alter alteri, quàm vterq; contrariis castris certior hostis proficiscitur. ibidem.

De eodem

Eosdem Senatus, cùm ob nimis asperè actam censuram à Cn. Bebio Trib. Plebis pro Rostris agerentur rei, causæ dictione decreto suo liberauit, vacuũ omnis iudicij metu eum honorem reddendo, qui exigere deberet rationem non reddere. Par illa sapientia Senatus, Tiberiũ Gracchum Tribunum plebis agrariam legem promulgare ausum morte mulctauit. Idem, vt secũdũ legem eius per Triumuiros ager populo viritim diuideretur, egregiè censuit. Siquidẽ grauissimæ seditionis eodem tempore & autorem & causam sustulit. ibid.

De eodem.

Quàm deinde se prudenter in Rege Masinissa gessit? nam cùm promptissima & fidelissima eius opera aduersus Carthaginenses vsus esset, eúmq; in dilatando regno auidiorẽ cerneret, legem ferri iussit, qua Ma-

sinissæ ab imperio pop. Rom. solutam libertatem tribueret: quo facto tum optimè meriti beneuolentiã retinuit tum Mauritaniæ & Numidiæ, cæterarúmque illius tractus gentium nũquam fida pace quiescentem feritatem à valuis suis repulit. ibidem.

De Seniore Catone.

Sapiens M. Catonis Senioris sententia fuit, cùm semper se harum rerũ pænituisse dixit, videlicet si mulieri arcana sua detexisset, aut si mari profectus esset quò terrestri itinere eundi facultatem haberet. item si per negligentiam diem frustra elabi permisisset. Bap. Fulg. lib. 7.

De eodem.

Affirmabat idem insanos prudentibus longè vtiliores esse, quàm insanis sapientes: quippe qui sapientes cùm stultorum errata inspicerent, ob id in melius vitã mutare solerent. At amentes cùm discendi capaces non sint, ex sapientum benefactis fructum percipere nullum possunt. ibid.

De Augusto.

Augustus in omni verbo suo prudentissimus dicere solebat illud semper cito factum posse dici, quòd cùm factum esset, bene haberet. tarditatem enim, quæ tuta esset, celeritati anteponebat, cui periculum esset conuinctum. ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Edilberto Cãtuariensi Rege in Britannia.

PRudentissimum valdéque consideratum fuit Edilberti Cantuariensis Regis verbũ. Nam cùm adhuc Gentilia numina coleret, audito sacro Augustini hominis Christiani præconio, quem ad eum Gregorius Pontifex miserat, dixit, & si agendæ ei gratiæ essent, quòd à tam longinqua regione venisset, vt Britannorum bono consuleret, eósque illa doceret, quæ profutura eis arbitrabatur: eũ tamen religionis cultum, quem Britanni à maioribus acceptum vsque ad id tempus seruassent, temerè relinqui non debere, nisi antea quæ proponebãtur, diligentius essent inspecta. Id quod postea cùm egisset, temporis interiectu ad Christianã fidem transiuit. Neque enim sine ratione egit, vt super tanta mutatione inconsideratè nihil fieret, atque illius fidei cultoribus, ad quam inuitabatur, non humanus modò, sed prudens quoque antè agnosceretur. ibid.

De Saladino Ægyptio.

Saladinus Asiæ, Syriæ atque Ægypti Rex non minus sapere se in morte declarauit, quàm antè rebus gerendis viuens fecisset. Iussit enim, vt interior lineus amictus, quo indui solebat, hastæ prælongæ impositus, per castra portaretur. & is qui eum ferret, magna voce omnibus diceret, Saladinum Asiæ domitorem ex tantis opibus, quantas pepererat, vnum hunc lineum amictum secum in morte deferre. Sapienter enim, etsi serò humanæ miseriæ commonitus, eo modo alios quoque monere volebat. ibidem.

DE ASTVTE DICTIS, atque factis, Græcorum exempla.

De quodam Asinario.

CVm Alexander Macedonum Rex sorte monitus, vt eum qui sibi porta egresso primus occurrisset, interfici iuberet Asinarium fortè ibi obuiam factum ad mortem arripi imperauit, eóque quærente quidnam se immerentem capitali supplicio innocentémque addiceret, cùm ad excusandum factum suum Oraculi præceptum retulisset: Asinarius, Si ita est, inquit, Rex, alium sors huic morti destinauit: nam asellus quem ego antè me agebã, prior tibi occurrit. Delectatus Alexander & illius tam callido dicto, & quòd ab errore ipse reuocatus erat, occasionem aliquantò viliori animali expiãdæ religionis rapuit. Summa in hoc cum calliditate mansuetu-

do, summa quoque in alterius Regis equisone calliditas. Maxim.lib.7.

De Dario.

Sordida Magorum dominatione Perside oppressa, Darius Rex adiutoribus eiusdem dignitatis assumptis, pactum cum præclari operis consortibus fecit, vt equis insidentes, Solis ortu, cursum in quendam locum dirigerent, ísque regno potiretur, cuius equus in eo primus hinnisset. Cæterùm maximæ mercedis competitoribus fortunæ beneficium expectantibus, solus acumine equisonis sui Ebaris prosperũ exoptatæ rei effectum assequutus est, qui in equæ genitalem partem demissam manum, cum ad eum locũ ventum esset, naribus equi admouit: quo odore irritatus ante omnes hinnitum edidit. auditóque eo sex reliqui summæ potestatis continuo equis delapsi canditati (vt est mos Persarũ) humi prostratis corporibus Darium Regem salutauerunt. Quantum imperium, quàm paruo interceptum est vaframento. ibidem.

De Anaximene præceptore Alexandri.

Lampsacenæ verò vrbis salus vnius vaframenti beneficio cõstitit: nam cùm ad excidium eius summo studio Alexander ferretur, progressúmque extra mœnia Anaximenem præceptorem suum vidisset, quia manifestum erat, futurum, vt preces suas iræ eius opponeret, non facturum se quod petisset, iurauit. Tunc Anaximenes, Peto, inquit, vt Lampsacum diruas. Hæc velocitas sagacitatis oppidum vetusta nobilitate inclytum exitio, cui de st inatũ era subtraxit.

De Demosthene.

Demosthenis quoque astutia mirifice cuidam ancillæ succurrisum est, quæ pecuniam depositi nomine à duobus hospitibus acceperat, ea conditione, vt illam simul vtrisque redderet: quorũ alter interiecto tempore tanquam mortuo socio squalore obsitus, deceptæ omnes nummos abstulit: superuenit deinde alter, & depositum petere cœpit. Hærebat misera in maxima pariter & pecuniæ & defensionis penuria, iámque de laqueo & suspendio cogitabat: sed opportunè Demosthenes ei patronus affuit, qui vt in aduocationem venit, Mulier, inquit, parata est depositi se fidem soluere, sed nisi socium adduxeris, id facere non potest: quoniam, vt ipse vociferaris, hæc dicta lex est, ne pecunia alteri sine altero numeretur. ibidem.

De quodam viro Athenienſi.

Ac ne illud quidem parum prudenter quidam Athenis vniuerso populo inuisus, causam apud eum capitali crimine dicturus, maximum honorẽ subitò petere cœpit, non quòd sperarret se illum consequi posse, sed vt haberent homines, vbi procursum iræ, qui acerrimus es se solet, effunderẽt. Neque eum tam callidi cõsilij ratio fefellit: comitij enim clamore infesto, et crebris totius concionis sibilis vexatus, nota etiam denegati honoris perstrictus, eiusdem plebis paulò post in discrimine vitæ clementissima suffragia expertus est. Quòd si adhuc ei vltionem sentienti capitis sui periculum obiecisset, nullam partem defensionis odio obseratæ aures reciperent. huic vaframento consimilis illa calliditas. ibidem.

De Annibale.

Annibal à Duillio Consule nauali prælio victus, timensque classis amissæ pœnas dare, offensam astutia mirè auertit. nam ex illa infelici pugna, priusquàm cladis nuntius domum peruenirет, quendam ex amicis cõpositum, et ornatũ Carthaginem misit. qui postquàm ciuitatis eius curiam intrauit, Consulit, inquit, vos Annibal, cùm Dux Romanorum magnas secum maritimas trahens copias aduenerit, an cum eo confligere debeat. acclamauit vniuersus senatus, non esse dubium quin oporteret. Tum ille, Conflixit

inquit, & superatus est. Ita liberum his non reliquit, id factum damnare, quod ipsi fieri debuisse iudicauerant. ibidem.

De eodem.

Itidem Annibal Fabium Maximũ inuictam armorum suorum vim saluberrimis cunctationibus pugnæ ludificantem, vt aliqua suspitione trahendi belli respergeret, totius Italiæ agros ferro atque igni vastando, vnum eius fundum immunem ab hoc iniuriæ genere reliquit. Profecisset aliquid tanti beneficij insidiosa adumbratio eius, nisi Romæ vrbi & Fabij pietas & Annibalis vafri mores fuissent notissimi. ibidem.

De Tullo Duce Volscorum.

At Volscorum Ducis Tulli execrabile consilium, qui ad bellum inferendum Romanis maxima cupiditate accensus, cùm aliquot aduersis prelijs contusos animos suorum, & ob id paci proniores animaduerteret, insidiosa ratione, quò volebat compulit. Nam cùm spectandorum ludorum gratia magna Volscorum multitudo Romam conuenisset, Consulibus dixit, vehementer se timere ne quid hostile subitò molirẽtur, monuitque vt essent cautiores, protinus ipse vrbe egressus est. Quam rem Consules ad senatũ retulerunt: qui tametsi nulla suspitio suberat, autoritate tamen Tulli commotus, vt ante noctẽ Volsci abirent, decreuit. qua contumelia irritati, facilè impelli potuerũt ad rebellãdum. Ita mendacium versuti ducis simulatione beneuolentiæ inuolutum, duos simul populos fefellit. Romanũ, vt insontes notaret Volscum, vt deceptis irasceretur. ibid.

De Cleomene Lacedæmoniorum Rege.

Cleomenes Lacedæmoniorum Rex cùm septem dierum cum Argiuis inducias fecisset, tertia nocte cùm Argiui securi agerent, nihil per id tẽpus verentes, Cleomenes incautos adortus, magnum eorum numerum

cecidit, atque cepit. Cùm autem perfidiæ Argiui eum arguerent, septem dierum se inducias dixit pepegisse: de noctibus nullam prorsus fecisse mentionem. Hoc enim responso perfidiam suam ex parte velare voluit, quam tamen totam tegere non potuit. Bapt. Fulg. lib. 7.

De Pacuuio Calanio.

Nónne etiam astu plenũ Pacuuij Calanij consilium fuit? cùm accepta à Romanis clade, ad Trasimenum Senatus Campani periculum quod ei à plebe imminebat, ita discussit, vt et Senatũ incolumen seruaret, et plebis gratiam retineret. Ita enim plebi de perdendo Senatu morem se gerere velle ostendit: vt tamen antè de alio sufficiendo Senau pacisceretur. Cùm autem Senatorum dãnatione incepta, ipsius plebis iudicio non inueniretur qui honestè in Senatu legi posset, deteriorúmque electionis puderet, atque res eò vergeret, vt nihilominus omnes in damnatorum locum suffici cuperent: quia alia ratio tollendæ contentionis meliorúmque habendorum non erat, de Senatus mutatione integra res relicta est: quæ res in posterum plebem Senatúmque, vt melius conuenirent, magna Pacuuij apud vtrunque ordinem gratia effecit. ibidem.

De Eumene Cardiano.

Nouo etiam sagacique consilio Eumenes Cardianus hostis sui consilium discussit. nam cùm Antigoni opera, qui aduersus Eumenem arma mouerat, in Eumenis ipsius exercitu sparsæ essent literæ, quibus ingens pecunia his proponebatur, qui Eumenem occidissent: Eumenes exercitũ ad cõcionem vocauit egitq; gratias, quòd nemo inuentus esset, qui fidei pecuniam anteferre vellet, subiunxitque latere eos nolle, quòd ipse eas finxerat literas, vt fidem militum suorum experiretur. Hoc enim sagaci consilio prouidit, ne in posterum milites aut nuntiis, aut literis hostium crederẽt: veriti semper, ne Rex Eumenes experiundæ fidei gratia

eas fieri iussisset.ibidem.

De Mithridate Ponti Rege.

Mithridates Ponticus Rex aduersus Ariaratam nepotem Cappadociæ Regem bellum susceperat: sed cùm Ariaratis vires opinione maiores offendisset, astu peragere decreuit quod armis assequi se posse diffidebat. itaque vt in colloquium venire vellet, ab Ariarate petiit, missis vtrinque, qui explorarẽt, ne occultè in colloquium arma ferrent. cùm is qui Mithridatis corpus prætẽtabat, manum sub veste ad balteum poneret, Mithridates subridens dixit, Caue ne si inferiorem partem manu petieris, alium quàm quẽ quæris, pugionem inuenias. Is virilia dici arbitratus, quærere vltrà abstinuit. remansit igitur in ea parte penes Mithridatem paruus pugio, quo nepotẽ, dũ alloqueretur, interemit, qui plus eius verbi ambiguitate, vt ferrum atque insidias occultaret, quàm omni alio astu profecit. ibidem.

De Euno Syro.

Haud prætereunda Euni Syri astutia fuit, qui in Sicilia, cùm sibi manes infestos ostenderet, ac Deæ Syræ cæremonias ac sacra populis concionabundus prædicaret, in ore inclusam nucem cũ sulphure atque igne gestabat. Per hũc modum cum loquens persæpe flammas mixtas effunderet, in eam existimationem apud seruos, & infimam plebem venit, vt ex ea duo hominum millia cogeret. Hac postea manu cùm carceres effregisset, numerum vsque ad sexaginta millia auxit, comparatoque iusto exercitu Manlium ac Lẽtulum Pisonémque Romanos Prætores, qui arma contrà mouerant, deuicit: & quanquàm postea à Perpenna ipse superatus fuit, industria tamen maiora quàm viribus ingentia gessit. ibid.

De Ismenia Thebano.

Ismenias Thebanus Legatus ad Persarum Regem missus,

tùm eum conuenire vellet, admonitus de Persarum lege, qua cautum erat, vt nemo Regem adiret, quin adorans genua flecteret: quod facere Græcis ignominiosum erat: vt legationi suæ & Persarum legi satisfaceret, sic egit: annulum, quem gestabat, detraxit, & clàm ad Regis pedes abiecit: cõfestimque procumbens, tanquam adoraret, eum sustulit, móxque relata legatione, nihil à Persa ei denegatum est. Ælianus.

De Eubata.

Cùm Lais Eubatam Cyrenensem misérè deperiret, de contrahendis inter se nuptiis sermonem ei detulit. At ille eius metuens insidias, recepit sese id facturũ: nec interim rem cum illa Eubatas habuit. Sponsio verò his conditionibus facta erat, vt post ludos certaménque firma esse deberet. Cum igitur victor è certamine abiret, ne non promissis stetisse videretur erga fœminam, pictam Laidis imaginem secum Cyrenem deportauit, dicens, se Laidem ducere, vt promiserat. quam ob causam mulier, quæ ipsi nupserat, maximam statuam Cyrenæ ponendam curauit, sic remunerari volens ipsius castitatem, & modestiam. idem lib. 12.

ROMANORVM EXEMPLA.

De quodam Antistite Romano.

SEruio Tullo regnante, cuidam patrifamilias in agro Sabino præcipuæ magnitudinis & eximiæ formæ vacca nata est, quam Oraculorum certissimi autores in hoc à diis immortalibus editam responderũt, vt quisquis eã Auentinensi Dianæ immolasset, eius patria totius terrarum orbis imperium obtineret, lætus eo dominus bouẽ cum summa festinatione Romam actam mactandã in Auentino ante aram Dianæ cõstituit sacrificio, Sabinis regimẽ humani generis daturus. de qua re Antistes templi certior

factus, religionem hospiti intulit, ne prius victimam cæderet, quàm proxima se aqua abluisset, eoque alueum Tyberis petente, vaccam ipse immolauit, & vrbem nostram tot ciuitatum, tot gentium dominam pio sacrificij furto reddidit. Max. lib. 7.

De Iunio Bruto.

Quo in genere acuminis imprimis Iunius Brutus referendus. nam cùm à Rege Tarquinio auunculo suo omnem nobilitatis indolem excerpi, intérque cæteros etiam fratrem suũ, quod vegetioris ingenij erat, interfectum animaduerteret, obtusi se cordis esse simulauit, eáque fallacia maximas virtutes suas texit. Profectus etiam Delphos cum Tarquinij filiis, quos is ad Apollinem Pythiũ muneribus sacrificiisque honorandum miserat, aurum Deo nomine doni clàm cauato baculo inclusũ tulit: quia timebat, ne sibi cæleste numen aperta liberalitate venerari tutum non esset. Peractis deinde mandatis patris Apollinem iuuenes consuluerũt, quisnam ex ipsis Romæ regnaturus videretur, atque is penes eum summã vrbis nostræ potestatem futurã respondit, qui ante omnes matri osculum dedisset: tũc Brutus perinde ac casu prolapsus de industria se abiecit, terrãq; cõmunẽ omniũ matrẽ existimans, osculatus est: quod tam vafrè telluri impressum osculũ vrbi libertatem, Bruto primum in fastis locum tribuit. ibid.

De Scipione Superiore.

Scipio quoque superior præsidium calliditatis amplexus est. Ex Sicilia enim petens Africam, cùm ex fortissimis peditibus Romanis trecentorum equitum numerum implere vellet, neque tam subitò posset eos instruere, quod temporis angustiæ negabant, sagacitate consilij assequutus est. Nanque ex iis iuuenibus, quos secum ex tota Sicilia nobilissimos & ditissimos, sed inermes habebat, ad se vocatos trecentos speciosa arma & electos equos, quàm celerrimè expedire iussit, velut eos continuò secum ad oppugnandum Carthaginem aduecturus, qui cùm imperio, vt celeriter, ita longinqui & periculosi belli respectu solicitis animis paruissent, remittere sese Scipio illam expeditionem, si arma & equos militibus suis tradere voluissent, edixit. Rapuit cõditionem imbellis ac timida iuuentus, instrumentóque suo cupidè nostris cessit. Ergo calliditas ducis prouidit, vt si quod protinus imperaretur, graue prius, deinde remisso militiæ metu maximum beneficiũ fieret. Quòd sequitur, narrandũ quoque est. ibidem.

De Fabio Maximo.

Fabius Maximus, cuius non dimicare vincere fuit, cũ præcipuæ fortitudinis Nolanum peditem dubia fide suspectum & strenuæ operæ Lucanum equitem amore scorti deperditum in castris haberet, vt vtroque potius bono milite vteretur, quàm in vtrunque animaduerteret, alteri suspitionem suã dissimulauit, in alterum disciplinam paululum à recto tenore deflexit. nanque illum plenè pro tribunali laudando, omnique genere honoris prosequendo, animum suum à Pœnis ad Romanos coëgit reuocare: & hunc clàm meretricem redimere passus, paratissimum pro nobis excursorem reddidit. ibidẽ.

De M. Volusio Aedile.

Veniam nunc ad eos, quibus salus astutia quæsita est. M. Volusius Ædilis plebis proscriptus, assumpto Isiaci habitu, per itinera viásque publicas stipem petens, quisnam reuera esset, occurrentes, dignoscere passus non est: eóque fallaciæ genere tectus in M. Bruti castra peruenit. Quid illa necessitate misertus, quem magistratum Pop. Rom. abiecto honoris prætextu alienigenæ religionis obscuratum insignibus, per vrbẽ iussit incedere? Omnes tamen hi suæ vitæ, aut illi alienæ mortis cupidi, qui talia vel ipsi sustinuerunt, vel alios perpeti coëgerunt. ibidem.

De Saturnino Vetulione.

Aliquantò speciosius sentẽtijs Saturnini Vetulionis in eodem genere casus vltimæ sortis auxilium, qui cùm à Triumuiris inter proscriptos nomen suũ propositum audisset, continuò præturæ insignia inuasit, præcedentibusque in modum lictorũ & apparitorum publicorum seruis subornatis, vehicula cõprehendit, hospitia occupauit, obuios submouit, ac tam audaci vsurpatione imperij in maxima luce densissimas hostilibus oculis tenebras offudit. ibidem.

Idem vt puteolos venit, perinde ac publicum ministerium agens, summa cum licentia correptis nauibus, in Siciliam certissimum tunc proscriptorum profugium penetrauit. ibidem.

De amore cuiusdam patris in filium.

Amantissimus quidam filij, cùm eum inconcessis ac periculosis facibus accensum ab insana cupiditate pater inhibere vellet, salubri consilio patriam indulgentiam temperauit. Petijt enim vt prius, quàm ad cã, quam diligebat, iret, vulgari ac permissa venere vteretur: cuius precibus obsequutus adolescens, infelicis animi impetum satietate licentis concubitus resolutum ad id quod, non licebat, tardiorẽ pigriorémque afferens paulatim deposuit. ibidẽ.

De papyrio prætextato.

Mos erat in vrbe Roma priscis Senatoribus, vt parentes secum filios in Senatum deducerent, vt adhuc pueri rebus assuescerent agendis: quos omnes, cùm abire vellent, iureiurando adigebant, ne quid quod illic esset actum, reuelaret. Papyrius cùm adhuc tener esset, mater ipsum rogauit quid eo die in Senatu actum esset: cui cùm filius non posse id dicere respondisset, matri desiderium intelligendi auxit. itaque cùm blandita nihil proficeret, minas quoque addidit: filius astutus, vt se hac matris importunæ molestia

explicaret, mira atque insueta arte vsus est. matri posteaquàm adeò instaret, dixit, actis in Senatu quid Reip. magis conducere posset, aut fœminis permiti, vt duos acciperent viros, aut vt viri binas ducerent vxores. Mater filij verbis verum inesse arbitrata, rem aliis matronis communicat, quæ facto ad curiam cõcursu, cum Senatu grauiter questæ, huius rei factam esse mentionẽ indoluerunt. Miratus Senatus, posteaquam vnde res profecta esset, intellexit, cum risu mulieres hortatus, vt bono essent animo, à se dimisit: laudatáque adolescentis Papyrij astutia, virtutis munus, quã quàm ante legitimum tempus, Prætextæ honorem cõcessit, vnde Prætextati cognomentum sibi peperit. Bapt. Fulgo. lib. 7.

De Mnesteo Aureliani Imperatoris liberto.

Erat Aurelianus Imperator, quemadmodum cæteris in rebus virtute admodum præstans, ità humani sanguinis plusquàm bono principi æquum esset, auidior. Is cùm ad Persicã expeditionem cum exercitu iter iam facere cœpisset, & propter quædam haud magna admodum errata Mnesteo liberto, quem à manu habebat, non sine interminatione succensuisse videretur. libertus, qui optimè principis ingenium calleret, sciréque leuiter eum nec comminari, nec parcere solere, malo esse loco salutem suam putauit. Itaque eo se timore liberare decreuit: literas igitur tanquàm Aureliani manu scriptas cõfinxit, atque in eis quorumdã nomina notauit, quos aut parũ gratos principi, aut eis nõ multò antè ipsum esse interminatum norat, inter ea nomina suum quoque scripsit: cum autem non sine timoris significatione adactis antè iuramento rem in occulto seruaturos, has literas eorũ quibusdã, qui inscripti erãt, ostendisset, à se casu inuentas dixit, cùm principi excidissent, qui eas Tribunis daturus erat, vt nominati in eis interimerẽtur. illi præ timore in desperationem coniecti cùm vera, quæ

à Mnesteo dicebantur, esse putarent, tanquàm nulla salutis spes superesset, intentatum nihil omittere decreuerunt, vt Aureliàm mortem suæ anteuerterent. Itaque eum postero die occiderunt: quo facto sagax Mnesteus comites adinuenit, per quos magno illorum periculo à morte reciperetur, neque enim illi nisi de salute sua actũ putassent, in Aurelianum manus extendissent. ibidem.

De Claudio Imperatore.

Cùm præsente Claudio Imperatore controuersia esset de muliere, quæ filium abnegabat suũ esse, quòd is longo tempore abfuerat, & propterea incognitũ eũ sibi esse mater dicebat. probationibus vtrinque factis, cũ res non liqueret, Claudius noua industria verum adinuenit. Decreuit enim, vt mulier, quãdoquidem filium negabat, virum eum acciperet: itaque quæ immobilis in cæteris probationibus manserat, cùm abhorreret, filio commisceri, tandem contentione deposita verum detexit. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Eusebio Vercellensi Episcopo.

Eusebius Vercellensis Episcopus cũ in catholica Ecclesia & doctrina, & moribus in magna existimatione haberetur, à Constantino Imperatore Arriano Mediolanum ad concilium vocatus fuit: cùm autẽ accepisset arte multos catholicos Episcopos compulsos esse, vt damnationi Athanasij, atque Niceni concilij derogationi nomina sua subscriberent, atque in eorũ esse numero Dionysium Mediolanensem Episcopum: vt perspexit, quàm grauiter per eam scripturam vera Christi fides læderetur, quæ etsi ab iis, qui se subscripserant, reuocari poterat: tamen ostensa dubiam factura erat catholicã fidem, nouo astu euertere etiam eam cogitauit. Itaque requisitus vt nomen suum inscribere

vellet, se minimè reluctari velle ostendit. Postquam igitur coràm allata fuit scriptura, non secus ac si de ea nihil antè accepisset, vt in principio Dionysij nomen inscriptum vidit, se vehementer commotum ostendit, quòd primarium locum iuniori tradidissent. Itaque dixit, Vos Arriani affirmatis Filio Patrem maiorem esse, & Dionysius, qui ætate atque doctrina filius mihi esse dici debet: dum mihi præposuistis ipsum, qui minor est, maiorem me fecistis. Idcirco peto, vt noua scriptura conficiatur, & in ea seruato gradu omnes suum inscribant nomẽ. quod si à vobis fiet, ego vobis morem gerere non recusabo: vt tandem quæ inter vos esse videntur, contentiones finiantur. Arriani vera hominem loquutum arbitrati, superbiáque impulsum requirere, vt in scriptura Antistitum ætatis atque dignitatis gradus seruarentur: exusta prima scriptura, cui iam plerique se subscripserant, nouam confecerunt. Quæ cùm ad Eusebium perlata esset, vt nomen suum apponeret, respondit rem magni esse momenti, exigeréque eius magnitudinem, vt antea diligenter super ea disputaretur. Bapt. Fulgosus lib. 7.

De Ioanne Septimo Pontifice.

Ioannis Septimi Pontificis Maximi astus omnia in fallẽdo ingenia quæ vnquam viderim, aut legerim, superauit. Nã cùm fœmina esset Britannica, Agnes appellata, domo fortassis ob impudicitiam profuga, fœmineo amictu in virilẽ mutato, data studiis diligenti opera Athenis, ad eam doctrinæ magnitudinem peruenit, adeóque virum effingere sciuit, vt Leoni IIII. in pontificatu succederet: quem cùm biennium obtinuisset, pariendi dolore cùm in sacra processione iter haberet, emortua est, adeò sagax atque astuta, vt iudiciũ Christianorũ omniũ falleret, subtiliter fingendo assequuta, vt non solùm vir haberetur, verùm etiam digna pontificatu duceretur, cùm

ab vtroque quantum res ipsa docuit, abesset. ibid.

De Comite Roderico Gutherio.

Cùm Rodericus Gutherius comes in prælio captus esset à Ferdinando Castulonensi Rege, in quo prælio ipsius Roderici frater Aluarus mortuus erat, hac cõditione à Ferdinãdo dimissus est, vt iuraret se fratre sepulto, rediturum: itaque vt promissa Rodericus præstaret, fratris corpus aromatibus conditum, atq; capsæ inclusum, quocunque proficisceretur, secum ferebat: neque antè sepeliuit, quàm Ferdinandum Regem decessisse intellexit. ea enim arte ad Ferdinãdum non redeundo, sacramenti religionem se seruaturum putauit. ibidem.

De Ricio milite Hispano.

Ab Eugenio IIII. Pontifice Basiliensis Concilij nonnullorúmq; aliorum Principum impulsu ciues Rom. desciuerant, atque is se clàm Florentiam cõtulerat: à Romanis Eugenij nepote magno camerario capto, obsessáque Sancti Angeli arce, quæ in Adriani mole constructa est, per id tempus Hispanus quidam nomine Ricius belli fama permotus, vt militum mos est, Romam cum aliquot comitibus est profectus: vbi cùm cõditionem è sententia sua non inuenisset, magno atque nouo astu vti cogitauit. Persuasit quibusdam è Romanorum primoribus, si tanquam transfuga in arcem recipere se posset, breui, quia in ea multorum amicitia vteretur, se curaturum, vt in potestatem suam Romani arcem haberent, atque sub hoc prætextu in arcem cũ quatuor comitibus profugit: illic quo consilio venisset, præfecto arcis statim patefacit, atque ad constitutum tempus clamore sublato, tanquam qui in præsidio erant, inter se pugnarent, haud multò post ceu victor Hispanus diploidem ac caligas præfecti arcis materia repleuit, ita vt veri præfecti simulachrũ appareret, idem de quibusdam aliis effecit: atque vt ex compo-

sito erat, ad murorum pinnas eos velut arcis imperium adeptus, suspendit. Romam impetu facto ad arcem, cùm enecato arcis præfecto fraudem abesse putarent, aditum in arcem quærebant, quos Ricius se non permissurum ingredi dixit, priusquam promissa ei præstarentur, aliquot quidem ex primoribus interim accepturum in arcem, qui cùm ingressi essent, eos in carcere condi iussit, aliam multitudinem ab arce tormẽtis repulit: his quos in arce ceperat, pro Camerarij liberatione restitutis, astuti cõsilij sui Ricius præmia ingentia ab Eugenio pontifice retulit. ibid.

De Nicolao Picinino.

Cùm Nicolaus Piciniuus, qui in Brixiano agro Philippi Mediolanensis Ducis exercitui præerat, apud Gardam circa Bencum lacum à Francisco Sfortia Venetarum copiarum duce in eum statum compulsus esset, vt neque copiis suis iungi posset, nec in eo oppido diutius sine periculo manere. Si enim apud hostem palàm factum esset, illic eum esse, nec fugæ, nec defensionis spes vlla superfuisset. illinc igitur nouo astu abire cogitauit. sacco (etenim vt nomine, ita & corpore pusillus erat) se inclusit, atque à Todeschino (ita nomen erat magnæ staturæ, sed maioris etiam fidei viro) qui ei obequitanti pedibus officium præstabat, & caligas Sortiano discrimine notatas induerat, deferri se per medios hostes ad suos in tuta loca curauit: respõdente Todeschino, cùm quæreretur quid in sacco ferret, panem in suum ac comitũ suorum vsum esse. Necessitas enim coniunctáque ei industria militarẽ ducem, cuius virtute Italia tota persæpe tremuerat, eò compulerat, vt includeretur, ac peditis gregarij se crederet fidei: in quo haud facilè dijudicarim maiórne fuerit necessitas, quæ ad hoc Piciniuum coëgerat, an fides, quam Todeschinus magna laude præstitit. ibi.

De Alphonso Aragonio Siciliæ Rege.

Haud ex toto Solomonis dis-

similis astus fuit, quo Alphonsus Aragonius Siciliẹ Rex contentionem de serua grauida explicuit. nam cùm se à domino factam esse grauidam diceret, per Cathaloniæ autem leges eiusmodi mulier libera iubebatur esse, dominus factum negabat: sed cùm res sine teste esset, nec satis liqueret, decreuit Rex, vt qui nasceretur filius, venundaretur. Quæ res cùm domini viscera ad commiserationem mouisset, in quo plus paterni sanguinis affectus, quàm pecunia valuit, sublata contentione suum esse filium fassus est, & serua libertatem obtinuit. ibid.

De Cæco Agrigentino.

Eiusdem Alphonsi temporibus Agrigenti, quæ Siciliæ ciuitas est, vir cæcus fuit astutissimus, qui per insulam proficiscens, sine vllo errore etiam videntes interdum anteibat, hic cùm haberet quingentos aureos nummos, veritus ne sibi furto adimerentur, in agro eos defodit. quòd cùm forte quidã vidisset, qui ei per Baptismi sacra coniunctus erat, & haud longè ab eo loco habitabat, sequenti die effossam inde pecuniam abstulit: cæcus post aliquot dies ad locum rediit, vt pecuniam quæreret, quam cùm non inuenisset, coniectura assequutus est, vt propter vicinitatem nullum alium quam vicinum, de quo dictum est, auertisse putaret. itaque rem dissimulat, atque post aliquot dies vicinum illum conuenit sub iurisiurandi fide, vt melius tegeretur astus ceu amico communicat, se aliàs pecuniam defodisse, & cùm tantundem nunc etiam haberet, petere se ab amico consilium, deberetne simul cùm alia defodere: & ne cæcus si primam abesse pecuniam inuenisset, hãc quã se habere nũc dicebat, illic deponere abstineret, primam illic, vt antè erat reposuit. Cæcus postea illuc profectus, cùm pecuniam inuenisset, arbitraretúrque id quod erat, scilicet amicum haud longè ab eo loco abesse, exclamauit, Hac in re amice, oculatior vidente cæcus fuit. ibidem.

DE IRA, GRÆcorum exempla.

De Alexandro.

IRa (etsi temulentiẹ mixta) Alexãdrũ Macedonem totius Orientis victorem in Clytum nutricis suæ filium, à quo fuerat ad Granicum amnem seruatus, perniciosè armauit, & quem prouinciæ præfecerat, conuiuio admouerat, subita ira accensus, ferro traiecit. Sabel. lib. 9.

De Pyrrho Rege.

Pyrrhus Rex Sicilia relicta, primo in Italiã appulsu in Mamertinorum Phalangem incidit, qui non ausi Regem à fronte lacessere, extremum agmen adorti, duos elephantos, & eos qui circa belluas dimicabant, prius, quàm Rex eò occurrerit, oppressere: & iam cœperat turbari extremus ordo, cùm Pyrrhus suorum periculo commotus, in medium sese certamen iniecit: hic accepto vulnere, ægrè hostem à se propulsabat. anceps itaque erat pugna, cùm Mamertinorum vnus procera statura, armis fulgens, atque in medio stans Regem, si viueret ad pugnam prouocat: ea demum contumelia Rex inflammatus, ei occurrit, ac tam valido ictu hostem percussit, vt ferrum capiti adactum ita ad ima descenderit, vt magno spectantium stupore dimidiatum corpus in duas partes abierit. ibid.

De Perse Rege.

Perses Rex à Paulo Æmilio victus, duos ex suis se consolari adortos, vnum post alterum interfecit, ira & dolore præcipitantibus. Tam atrox facinus in causa fuit, vt confestim ab his, qui ad obsequium parati erant, sit destitutus. ibidem.

De Mahomete Othomano.

Habuit Byzãtij Mahometes Othomanus, qui duo euertit imperia, voluptarium secessum. huc confestim ingressum aderant illi duo (vt fertur) ex omni puerorum multitudine, qui ad fœdissimum vsum ibi loci ale-

Universidad de Deusto Biblioteca

bantur, eleganti forma & hilari aspectu. his ille vtrinque innixus solebat vltro citróque per hortos deambulare, obseruarátque interim Rex binos pubescentes cucumeres, quos cùm eò reuersus non inuenisset, adeò in subitā iram exarsit, vt pueros, quia paululuum diuersi aberrauerant, expostulatos, ac pertinaciter negantes, à se decerptos, arrepto gladio, quem de more ad latus suspensum gestabat, vnum post alterum à stomacho resectum patefecerit, vter eorū furti autor fuisset exploraturus, cùm neuter fuisset. ibidem.

De Ægyptiis.

Psaniticus Ægypti Rex illato Æthiopibus bello exterorum militum virtuti magis, quàm Ægyptiorum fidere videbatur. Cùm autem ob eam rem peregrinos maiore in honore haberet, indignati Ægyptij ad ducenta millia coacti, Psanitico Rege deserto, in Æthiopiam tenderunt. Cùm autem ipse abeuntes sequutus, blandè appellaret, patriæque, & vxorum, atque liberorum commoneret, Ægyptij in ira perseuerantes, concussis armis dixerunt, illis nouam sibi patriam comparaturos, sublatisque vestibus, cùm genitalia membra patefecissent, donec incolumem eam corporis partem seruarent, monuerunt, neque vxores neque liberos eis defuturos. plus enim apud eos indignatio atque iracūdia, quàm patriæ liberorúmque charitas valuit. Bap. Fulgos. lib. 9.

De Gallis atque eorum Duce Brenno.

Vehemens quoque Gallorum ira fuit, cùm aduersus Clusinos cæterósque Hetruscos populos motis armis pacem cum Romanis seruarent. Nam cùm initio cum Clusinis prælio, resciuissent, Fabium Ambustum legatum Romanum, qui ad conciliandam inter Gallos Clusinósque pacem missus erat, in prælium cum Clusinis descendisse, atq; gentis suæ Gallum vnum interemisse, ira ac potius furore repleti, omissis Clusinis,

Romam petierūt, occisisque omnibus, quos inuenerant, sacra atque prophana incendio ruinisque fædarunt. ibidem.

De Cambyse Persarum Rege.

Persarum Rex Cambyses Darij filius, cùm Amasis Ægyptij Regis filiam in matrimonium petiisset, atque Amasis veritus, ne ea potitus, non vxoris loco, sed in concubinarū numerum retineret, aliam pro filia ei simillimam misit: quam rem Cambyses cùm cognouisset, ira exarsit. atque cum ingenti exercitu in Ægyptum descendit: vbi cùm defunctū Amasim inuenisset, filium eius Psaniticū regno deiecit, ipsius quoque Amasis corpus sepulchro eruit, & tāquam viueret, verberibus cædi, acutísq; ferramentis totum pungi ac deinde in foro comburi fecit. neque enim animaduertit. plus in seipsum iracundiæ flammas, teláque, quàm in mortuum Amasim sæuire, quòd ea iracundiæ vis, ac natura est, vt semper autorē torquere incipiat. ibid.

De Aristotele.

Aristoteles Alexandrum ira commotum placare studens, hæc ad eum scripsit, Ira & indignatio non in pares, sed in meliores existere solet: tibi verò nemo par est. Ælianus lib. 2.

De Xanthia muliere.

Fuit Xanthiæ mulieris exitus omnium maximè memorabilis, quæ se in publico excidio laqueo suspendit, paruū filium à se enectum manu tenens, altera incēsam facem, vt omnia secum perderet, absumerétque totam domum incendio. Sab. li. 9.

De Semiramide Regina Babylonis.

Semiramis Assyriorum Regina cùm ei circa cultum capitis occupatæ nuntiatū esset, Babylonem defecisse; altera parte crinium adhuc soluta, protinus ad eam expugnandam cucurrit, nec prius decōrum capillorū in ordinem, quàm tantā vrbem in potestatem suam redegit.

Quocirca statua eius Babylone posita est illo habitu, quo ad vltionem exigendā celeritate precipiti tetendit. Max. lib. 9.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Romano milite.

CVm Camnensi acie victor Annibal Romana lustraret cadauera, repertus est Romanus miles exanimis incubās semineci Pœno, cui armis (vt credere est) amißis, aut certè manibus dissectis, adeò nasum, labia & mentum mordicùs laniauerat, vt ne humana quidē effigies superesset amplius. Sabel. lib. 9.

De Nerone Principe.

Nero princeps nuntiata Galliarū et exercituū defectione, cùm fortè discumberet, præ ira mensam subuertit, fregitq; duo immensi pretij pocula, quibus in tā voluptuoso principatu nihil fuit illi voluptuosius. ibidē.

De L. Salinatore.

Cùm aduersus Asdrubalē Liuius Salinator bellum gesturus vrbe egrederetur, monente Fabio Maximo, ne antè descenderet in aciem, quàm hostium vires animúmque cognosceret, primam occasionem pugnandi non omissurum se respondit. Interrogatúsque ab eodē quid ita tam festinātēr manum consere re vellet, Vt quam celerrimè, inquit, aut gloriam ex hostibus victis, aut ex ciuibus prostratis gaudium capiam. Ira tunc atque virtus sermonem eius inter se diuiserunt: illa iniustæ dā nationis memor, hæc triumphi gloriæ intenta. sed nescio an eiusdem fuerit hoc dicere, & sic vincere. Max. lib. 9.

De iuuenibus Romanis & Manlio Torquato.

Manlio Torquato amplißimā & gloriosißimam ex Latinis & Campanis victoriam in vrbem referenti, cùm seniores omnes lætitia ouantes occurrerent, iuniorum nemo obuiam processit, quòd filium adolescentē fortißimè aduersus imperiū suum præliatum securi percussum occidisset. Miserti sunt æquales nimis asperè puniti: nec factum eorum defendo, sed iræ vim indico, quæ vnius ciuitatis & ætates & affectus diuidere valuit. ibid.

De L. Sylla.

Quid Sylla, dum huic vitio obtemperat, nónne multo alieno sanguine profuso, ad vltimū suum erogauit? Puteolis enim ardens indignatione, quòd Granius Princeps eius coloniæ pecuniam à Decurionibus ad refectionē Capitolij promissam cunctantius daret, animi concitatione nimia atque immoderatæ vocis impetu cōuulso pectore spiritum cruore ac minis mistum euomuit, nec senio iā prolapsus, vtpote sexagesimum ingrediēs annum: sed alita miseriis Pop. Rom. impotentia furens: igitur in dubio est, Sylláne prior, an iracundia Syllæ sit extincta. ibidem.

De Martio Sabino.

Martius Sabinus post Numæ Pompilij mortē (nam cùm eo Romæ habitatum venerat) cùm præferri sibi Hostilium in regno videret, cui ipse aspirabat, adeò indignanter atque iracundè eam rem tulit, vt vitæ tædio sibiipsi mortem consciscceret. O furibundum profectò hominem: quæ enim incendia, quæ ruinæ, aut quæ pop. Romani strages, effusiúsque sanguis huius iracundiam explere potuissent, qui cùm in pop. Rom. nō posset, tam acerbè in seipsum sæuijt? Bap. Fulg. lib. 9.

De Valerio Publicola.

Haud minus grauiter Publicola ad iram propter Consulatum, quàm Martius regni gratia incensus est. nam cum arbitraretur pulsis Tarquiniis Bruto in Consulatu collegam se futurum, vt Lucretium Collatinum præferri sibi vidit, adeò ira exarsit, vt omnes ante id tempus acceptos honores deponeret, abiectáque senatoria dignitate, patrocinis quoque causarum ac clientelis renūtiaret, atque omni publico munere ab-

stineret.ibidem.

De Septimo Seuero.

Septimus Seuerus Imperator tanquã immemor esset se à Iuliano Imperatore olim discuisse, Clodium Albinũ ob simile culpam, postea quàm prælio victum interemit, nudum eius corpus pro palatio proijci iussit: ad quem, cum ipsius equus accedere formidaret, calcaribus adactũ coëgit corpus ipsum calcare. Indigna profectò res, vt vir, qui iam sexagesimum excederet annum, tam graui contumelia Romanum virum non modò nobilitate, verùm etiam imperatorio honore insignem afficeret: neque verò hoc egisse cõtentus fuit: illic enim corpus Albini retinuit, quoad fœtore cõpulsus iuberet in flumen proijci.ibid.

De Tertuliano.

Quantum ira atque indignatio possit, & quàm hominum hebetare ingenia, atque animos soleat Carthaginensis Tertullianus declarauit. Nam cùm antea singulari vitæ innocentia esset, ac permulta de catholica religione ingenti doctrina, atque eloquentia scripsisset, Romæ quorundam clericorum contumelia affectus maioris indignationis, ad quam permotus erat, quàm honoris, propriæq; salutis habita ratione, ad hæresim transiuit, ac prauum Montani Phragij dogma sequutus, aduersus catholicam fidem scripsit.ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Ecelino Tyranno.

Ecelinus, qui vt sæpe est memoratũ, sæuitiæ famâ nulli Tyrannorũ cessit, victus prælio ad Soncinum, res suas sensit vna pugnas accisas, vulnus, quod in acie acceperat, fotum & circumligatum frendens ira, fredẽsque in morem seuiẽtis feræ vngibus conscidit. Sabel.lib.9.

De Suitensibus.

Suitenses Germanicum genus hominum, qui & Suitari

dicuntur, cruenta quadam in finitimos victoria, hostium cadauera, pro puluinis sibi subijcientes, ibi loci, vbi fuerat dimicatum, discubuere, fuerúntque ex his, qui ira & odio inexplebili hostilem interim cruorem habuisse dicuntur.ibidem.

De Factiosis Italiæ vrbibus.

Sed nusquam gentium maiora iræ argumenta extiterunt, quàm in factiosis Italiæ vrbibus, cùm nostra, tum patrum memoria vbi principes factionum in inimicorum potestatem redacti viui, quidam combusti sunt, in crepundiis pueri interfecti, prægnantes matronæ exsecto vtero cum partu crediliter perempt.e, multi præcipitati, exenterati quidam, cordáque ad opprobrium suspensa, ac diuerberata: sed quales fuerint eiusmodi carnificinæ, illud declarat, quòd clementia fuit, hominem subijcere securi, aut laqueo necare.ibidem.

De Totila Gotthorum Rege.

Gotthorum Rex Totila recepta vrbe Roma, quam ei Bellisarius à Iustiniano in Italiam missus ademerat, oratores ad Iustinianum Constantinopolim misit, petitum vt ipsius Iustiniani auspicio, ac nomine obtinere ac regere vrbem ipsam liceret: cùm autem accepisset, conditionem repudiare, repentè immanem Regem atrox ira impulit, vt vrbem quam mortales alij spectando admiratione capiebantur, quæ orbis terrarum erat caput, & cuius iam possessor erat, incendio ruinisque totam deformaret, muris quoque nudatam quadraginta diebus feris, vt in ea stabularentur, donec denuo ipsa Bellisarius potiretur, permisit. Baptista Fulgosus lib.9.

De Constantino militari Tribuno.

Eo bello, quod cum Bellisario Gotthi gesserunt, cùm vnius militum Constantini Tribuni

Romano iuueni insignem specie ensem ademisset, atque Constãtinum Bellisarius reprehenderet, quod tam insolenter agi à suo ordinis milite pateretur, reprehensionique minas pro imperio adderet, nisi gladius repræsentaretur: adeo indignè eam rem Constantinus tulit, vt præ magnitudine iracundiæ Bellisarij dignitatis, ac vitæ suæ immemor pugione, quo accinctus erat, Bellisarij pectus peteret: propter quod facinus statim cõprehensus, ac laqueo enectus fuit. ibidem.

De Monte.

Nihil profectò mentitur ira, quemadmodum Montis accolæ montis silicei in Patauino agro factum testatur. qui proditionis insimulatus, cùm Verona ad Ecelinum Tyrannum, honestè tamen deduceretur, fortaßè animos ei faciente innocentia, magnis clamoribus vociferabatur, nec se, neque suorũ quenquam proditionis infamia, ac crimine vnquàm laborasse: quæ verba cùm Tyrannus à palatio audiret, in propatulũ descẽdit, vbi Mõs erat deductus, subitáque concitus ira, ac toruo vultu Monti appropinquans, inquit, Proditor etiam hiscere audes? Quo verbo tanta animi indignatio Mõtem perculit, vt nequaquàm excusare obiectũ crimen cogitaret, verùm in Tyranni collum inuasit, adimeréque pugionem, quod accinctus erat, contendit: quod cùm facere nequiuisset, in terram prostratum vnguibus ac dentibus ita deformauit, vt vix multis diebus sanari vulnera possent, tandémque oppressum enecuisset, nisi ab astantibus ministris Ecelinus adiutus, & Mons interfectus fuisset. ibid.

DE LIBERALITATE, Græcorum exempla.

De Hierone Syracusano.

Hiero Syracusanorũ Rex audita clade, qua Romani apud Thrasimenum lacum afflicti erant, trecenta millia modiorum tritici, ducẽta hordei, aurique ducenta & quadraginta pondo Vrbi nostræ muneri misit. Nec ignarus verecundiæ maiorum nostrorum, ne nollent accipere, in habitum id Victoriæ formauit, vt eos religione motos munificentia sua vti cogeret: voluntate mittendi prius, iterum prouidẽtia cauendi ne remitteretur, liberalis. Max. lib. 4.

De Alexandro Magno.

Alexandrum Perillus rogarat, vt se ad parãdam filiæ dotem iuuaret. Cui cùm Alexãder quinquaginta dari talenta iußisset, & Perillus decem sibi satis esse dixisset, Alexander respondit, Quanquàm tibi, qui ea accepturus es, decem satis sint, mihi, à quo dantur, ea non sufficiunt. Magno enim liberalique animo non tam honesti amici neceßitatem, quàm fortunæ suæ vires metiri voluit. Bap. Fulg. lib. 4.

De eodem.

Cùm idem dispensatori mãdasset, vt Anaxarcho Philosopho daret quantum poposcisset, petiisset autem postea centum talenta, veritus dispensator tãtam summam dare, nisi id antè Regi significasset, & propterea ei Anaxarchi postulatum declarasset, respondit Alexander, Anaxarchum nosse eum se habere amicũ, qui hanc summam & longè etiam maiorem dare & posset, & vellet. ibid.

De eodem.

Superato Dario, cùm itinere videret Alexander Macedonẽ agasonem, qui mulum defessum auro onustũ agebat, à mulo in humeros suos sarcinam transtulisse, verentẽ, quia Alexandri aurum illud erat, ne eo amisso, ipse quoque vitam perderet: & tamen ipsum quoque agasonem sub onere, quod ingẽs erat, deficientem, vltrà progredi non posse, agasoni vicinior factus, dixit, Vt tibi hic labor minus grauis sit, in tabernaculum tuum hoc aurum deferes, quia iam hac hora tuum esse iubeo.

o liberalitatem immẽsam, pluris quàm auri vim tantam, a-a sonem facere. ibid.

De Ptolemæo Philadelpho Ægypti Rege.

Non tantorum populorum Rex, sed tamen non minus liberalis fuit Ptolemæus Philadelphus Ægyptius Rex. Nam quòd Iudæorum legem in Græciam ex Hebraica lingua trãsferri per Eleazarum Principẽ sacerdotum curauerat, vt huius operæ gratiã interpreti ferret, vltra ingentẽ vim auri dono Hierosolymorũ templo datã, Iudæorum quoque gentis captiuos omnes per totam Ægyptũ conquisitos sub prioribus Regibus bello captos (quãquàm centum millium numerum æquarẽt) pecunia sua à dominis omnes redemit, ac libertate donauit, vt sine populorum iactura (quod ab omnibus Regibus fit) ipsius liberalitas exerceretur. Magnum profectò liberalitatis argumẽtum, & Ptolemæo Rege dignum: etsi tãta res in longè quoque potentiore plusquàm ingens videri debuit. ibid.

De Troezenijs.

Magnam libertatem ostenderunt Troezenij, cùm monitis oraculo Atheniensibus, vt cõmunem salutem, muris ligneis tuerentur, iuxta Themistoclis sapiens consiliũ, omnes qui arma ferre poterant, relicta vrbe naues conscenderunt, mulieribus senibúsque cum omni imbelli ætate Troezenam missis, quia Troezenio populo lætè omnes suscepti gratis necessariarũ omnium rerum impensa adiuti sunt, publico confecto decreto, vt Atheniensibus fructus omnibus in locis, qui eis viderentur, sine pretio sumere liceret. ibid.

De Massilienſibus.

Haud dissimili liberalitate erga Romanos vsi sunt Massilienses, cùm audita clade, qua Romanos Galli affecerant, publico funere mortuos Romanos prosequuti, aurum quoque Romano pop. miserunt, vt facilius se à Gallis redimerẽt, quod cùm Massilienses egerint, nondum aliqua societate aut fœdere Romanis cõiuncti, proculdubio & amoris & liberalitatis laudes ferre maiores debent. ibid.

De Neapolitanis.

Non minus etiam Neapolitani populi erga Romanos cõmemoranda liberalitas est, cùm durãte adhuc Annibalis bello, Marco Attilio & Gemino Seruilio Musitano Consulibus Romam quadraginta aureas pateras magni ponderis per Legatos munus populo Roma. miserunt, omnésque alias fortunas suas obtulerunt. Cæterùm non minor Popul. Romani grauitas, atque abstinentia fuit, qui minima lance ex munere accepta, alias ingentibus actis gratijs restituit: quanquàm diuturno bello impensarumque magnitudine pressus in magna necessitate coniectus esset. ibid.

De Cimone Athenienſi.

Cimon Atheniensis bello aduersus Barbaros gesto, partis immensis opibus agros suos sepibus ac muris nudauit, vt omnibus integrum esset, quod volebant ex eis capere: cuicunque inopi, qui in eius domum diuertisset, assiduè potus cibúsque dabatur: & cùm è domo in publicum egrederetur, magno nobilium iuuenum numero septus erat, qui pulchris nouisque vestibus amicti, si in probos viros, cæterùm tritis vestibus tectos incidissent, cum eis vestes suas commutabant. Iidẽ per vicos euntes secretò sacculos pecunia plenos gestabant, egentibúsque omnibus nummos impartiebant, modò hi non indigni hac ope viderentur: hoc modo cùm bene partis opibus Cimon vteretur, Leõtinus Gorgias, Cimonem dixit opes parasse, vt vteretur, vsúmque esse, vt ex eis sibi honorem pararet. ibi.

De Archesilao Philosopho.

Archesilaus Philosophus liberalitatis suæ pulchrum satis posteritati reliquit exemplum. Hic nanque Ctesibium ægrotantem inopiáque rerum præ-

Universidad de Deusto Biblioteca

angustiatum reuisens, plenum numis sacculũ clàm eius pulluillo subiecit, quo reperto, Archesilai, inquit Ctesibius, hic ludus est. Is etenim Archesilaus dicere solebat, se malle liberalitatem, quàm auream argenteámque supellectilẽ. Guido Exemplorum lib.

De Sineta.

Persa quidã Sineta nomine infimæ conditionis homo, cùm aliquando à suo abesset tugurio, essetque illi obuiã Artaxerxes Rex, molestè ferens se ab alijs Persis officio superari, cùm ipse solus dona ferendo non esset, ad profluentẽ amnem summa celeritate tendit, procumbénsque aquam vtraque manu hausit, regémque ijs verbis adijt, Regnes inæternum Artaxerxes Rex, pro locorum & facultatis meæ ratione te aqua ista veneror, impatiens, ne, quantum in me est, indotatus prætereas. Delectatus Artaxerxes hominis dono: Et ego, inquit, gratoanimo munus tuũ & accipio & magni æstimo. hæc loquutus spadonibus præcepit, vt munus reciperent, qui sine mora accurrẽtes, aurea phiala de manibus eius aquã excipiunt, hominique Persæ stolam Persicã, & phialam auream, atque mille daricos in gratiam referri Rex iussit. Dignus, qui inter liberales referatur, qui vt dono Regem veneraretur, nouum dandi genus commentus est. Ælianus.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Fabio Maximo.

Fabius Maximus captiuos ab Annibale interposita pactione nummorum receperat: qui cũ à Senatu non præstarentur, misso in vrbem filio, fundũ, quem vnicum possidebat, vendidit, eiúsque pretium Annibali protinus numerauit. Max. lib. 4.

De Pop. Romano.

Ad summam pop. Romani laudem pertinet, quem animũ regibus, & vrbibus, & gentibus præstiterit recognosci: quid omne præclari facti decus, crebra memoria in seipso reuirescit. Asiam bello captam Attalo Regi muneris loco possidẽdam tribuit, eò excelsius & speciosius vrbis nostræ futurũ imperium credẽs, si ditissimam atque amœnissimã partem terrarum orbis in beneficio, quàm in fructu suo reponere maluisset. Ipsa victoria domum felicius, quia multũ occupasse, habere inuidiam potuit: tantum tribuisse, gloria carere nõ potuit. ibidem.

De T. Quintio Flaminio.

Illius verò Romanæ liberalitatis cælestem spiritum nullæ literæ satis dignis laudibus prosequuntur. Philippo enim Macedoniæ Rege superato, cùm ad insigne spectaculum tota Græcia conuenisset. Quintius Flaminius tubæ signo silentio facto, per præconem hæc verba recitari iussit, S.P.Q.R. et Quintius Flaminius Imperator omnes Græciæ vrbes, quæ sub ditione Philippi Regis fuerunt, liberas atque immunes esse iubet. Quibus auditis maximo et inopinato gaudio homines perculsi, primo velati non audisse se quæ audierunt, credentes, obticuerũt: iterata deinde pronũtiatione præconis, tanta cælum clamoris alacritate compleuerunt, vt certè constet, aues quæ superuolabant, attonitas, pauentésque decidisse. Magni animi fuisset à tot captiuorum capitibus seruitutem detraxisse: quot tunc nobilissimis & opulentissimis vrbibus P.R. libertatem largitus est, ad cuius maiestatem pertinet non solum quod ipse benignè tribuit, sed etiam quod alio tribuente sensit commemorari: vt enim illic commemoratæ, ita hic redditæ laudis cõmendatio est. ibidem.

De T. Pomponio Attico Patritio Romano.

Vera Pomponij Attici Patricij Romani liberalitas fuit, qui Bruto Cassióque in bello aduersus Augustum, conferre cum reliquis Patricijs nihil vo-

luit. Verùm posteaquam Roma pulsus fuit Brutus, dono misit ei sestertiorum centum millia, & totidem in Epiro præberi ei curauit, contra penè omnium consuetudinem. Brutum, dum felix fuit, nihil iuuit: verùm posteaquàm pulsus aduersa laborare fortuna cœpit, largè opẽ tulit.Bapt.Fulg.lib.4.

De Tullo Hostilio Rege Romano.

Tullus Hostilius è septem Romanis Regibus vnus, quot agrorum cæteri Reges in vsum suum seruabant, publicè pauperibus diuisit, multorumque Regum moribus dissimilis, qui quod pauperum est, sibi vsurpare consueuerunt. ibidem.

De Porsenna Hetruscorũ Rege.

Porsenna Hetruscorum Rex, cùm inita cum Romanis pace, castra ab vrbe Roma moueret, militibus imperauit, ne præter arma aliquid secum ferrent. verùm omnia alia in tabernaculis relinquerent, quod ea Romanis dono dabat.ibid.

De Nerua Cocceio Imperatore.

Nerua Cocceius Imperator decrepita penè ætate (quæ auri solet auidior esse) his mensibus, quibus imperauit, in egenorum vsum decies ac quinquies centum millium aureorum nummùm summam dispensauit, præfectis Senatoribus, vt agros ad eorum sustentationem coëmerent, atque ijs diuiderent, quos ob inopiam ope dignos animaduerterent. In quos vsus ipsa quoque aurea vasa aliáque imperatoria ornamenta adhibuit. Vir profectò principatu dignus, & qui populorum, non dominum, sed patrem se exhiberet, ostendens.ibidem.

De Vespasiano.

Vespasianus vir munificentissimus inopes Cõsulares quingenis sestertijs annuis sustentauit, plurimas terræmotu, vel incendio per totum orbem afflictas ciuitates in melius restituit, literatissimorum virorum

ingenia fouit, Latinis Græcisq; Rhetoribus annua centena primus è fisco constituit, præstantésque Poëtas semper educauit. Guido Exemplorum lib.

De Tito Cæsare.

Titus Cæsar vir beneficus super cœnam recordatus, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam meritóque laudandam vocem edidit, Amici, diem perdidi. Is nihil vnquam petentibus negauit: & vt quæ vellent peterẽt, vltrò semper adhortatus est.ibi.

De Busa Cannusina.

Busa Cannusia mulier Apula dicta, secundum quosdam Paulina, liberalis fuit admodũ. Nam Annibale contra Romanos bellum gerente, populantéque totam Italiam igne ferróque, postquam apud Cannas fere confregisset omnes Italicas vires, ex eo cõflictu circa decem millia per deuia noctu Cannusium deuenerũt, quos omnes exangues, nudos, inermes affectósque vulneribus ipsa Busa non exterrita casu propriis in ædibus comiter excepit hospitio, adhibitisque medicis, vulneratos materna curari fecit affectione: nudis insuper vestimenta, imò cũctis mira liberalitate concessit: demũ inermibus arma cæterá; necessaria munificẽtissimè largita est: & quod excedit reliqua, omnibus refocillatis et abire volẽtibus adhuc vltro viaticũ cunctis voluit impartiri.ibi.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Carolo magno Gallorum Rege.

Carolus Magnus, vt Adrianum Pontificem aduersus Desiderij Longobardorũ arma tueretur, bis in Italiam descendit, domitáque Longobardorum rabie, dono data à Pipino patre confirmauit, eisq; Parmam, Mantuam, ac Lucam, & eis haud contemnendã Hethruriæ partem addidit, quæ omnia, si voluisset, retinere sibi poterat. Bapt. Fulg.lib.4.

De Richardo Britanniæ Rege.

Richardus Britanniæ Rex,

cùm mirè apparato conuiuio animaduertisset duos ex equitibus suis attentius quædam mirari vasa aurea, & vnà sermones serere, ad eos accessit, petiitque, quibus de rebus vnà loquerentur: qui cùm respondissent inter se loquutos, quòd satis se opulentos fore putarent, contentique viderentur, si duo tãtùm ex eorum vasorum numero haberent: subridens Rex dixit, ne ob id contenti esse desinerent. se enim ea ipsa hora dono vasa dare: quæ in ipsorum manu poni iussit. Verùm quod sculpturæ in eis excellens erat opus, neque sine tantæ artis iniuria deleri posse videbantur, in medio conuiuio inspici eorum pondus iussit, & pro vasis duodecim aureorũ nummũm millia (tanti enim esse censebantur) ambobus repræsentauit, ibid.

De eodem.

Natalitiis Christi Saluatoris diebus, cùm idẽ Rex auro gemmisque sacram ædem, quam in palatio habebat, pro more exornasset, atq; Aquensis Episcopus Bonifacij Pontificis Legatus manè in ea sacrificium peregisset, dum is pontificias exueret vestes, ex aræ ornamentis nihil moueri Rex iussit, apprehensóq; postea humanè per manum Legato, cùm ad aram accessisset, dixit æquum non videri Pontificium Legatum in aliena veste ornamentisque sacrificare, & propterea quæcunque tunc in ea æde essent, ei dono se dare. ibid.

De Serapione Ægyptio Monacho.

Serapion Monachus Ægyptius, cùm inopibus vestes, ac denique Euangeliorum librũ, quem solùm habebat, dedisset, incidit in mulierem viduam, quæ fame cum liberis paruis grauiter laborabat: cum nihil ei superesset quod vltrà donaret, pretio libertatem suam vendidit, atque illud viduæ mulieri dedit. ibid.

De Martino Turonensi Episcopo.

Martini Turonensis Episcopi adeò in pauperes omnes, quos

norat, liberalitas & prompta & ingens fuit, vt cùm in iuuẽta militaret, & vrbis Ambianorum portam egressus adhuc cathecumenus in nudum mendicantem incidisset, quia alterius rei, quam daret, facultas nulla erat, stricto gladio, chlamydem, qua erat amictus, diuisit, atque altera parte nudum corpus, vt poterat contexit: Episcopus postea factus, non contentus in egenos dispensare annuos possessionum reditus, nõ dimidius, vt antè in chlamyde egerat, opes, sed totas vix trita sibi relicta veste dedit. ibid.

De Apollinari Alexandrino Patriarcha.

Fuit Apollinaris Alexandrini Patriarchæ temporibus Alexandrinus ciuis Macharius nomine, qui in magnis opibus à patre relictus, paruo tempore iuuentæ mala sequutus, omnibus cõsumptis ad inopiam redactus est: quæ idcirco ei infestior erat, quòd mẽdicitatem erubescebat. hoc cùm Apollinaris resciuisset, arbitratus id quod erat, sanctum Machariũ, vt aliquid eleemosynæ nomine acciperet, præ pudore nunquam adductum iri, nouum inuentũ, vt eum iuuaret, excogitauit. finxit enim, in antiquis Alexãdrinæ Ecclesiæ scripturis vetus instrumentum esse inuentum, quo ostendebatur superioribus temporibus Alexandrinam Ecclesiam contracto nexu, quinquaginta auri libras annuas eius patri debuisse: atque ea arte instrumentum erat confectum, vt quamuis nunc Patriarchæ opera esset factum, multorum annorum seniũ præ se ferret, de huius instrumenti inuẽtione, cùm palàm patriarcha fecisset, idque se præ animi conscientia reuelare Machario velle dixisset, ad se eum accersiuit, orauitque vt re inuenta, quam nullus ita fore sperabat, vellet vnius anni pensione contentus, pro reliqua summa Ecclesiam liberare. hoc contentus cùm esset Macharius, repræsentari & quinquaginta auri libras iussit. huius eius enim inuẽti modestia & Macharij pu-

Universidad de Deusto Biblioteca

dorem & suam largitionem texit, & ad dandum industria vsus, qua plerique honore Apollinari similes in extorquenda ab aliis per iniuriam pecunia dies ac noctes vtuntur. ibi.

De Archebio Ægyptio Monacho atque Eremita.

Archebius Ægyptius Monachus cùm eremum in Ægypto incoleret, cellulam, quam sibi iam quinquagenarius ædificauerat, Ioanni Cassiano monacho, qui illuc ab extera regione se contulerat, cum omni supellectile dono dedit, sub eo nomine, quod cuicunque Monacho deinde contigisset illuc venire, eam daturus esset. Cæterùm vt cella Cassiano cessit, statim aliã ædificare cœpit: quam similiter aduentanti peregrino Monacho dedit, tertióque idem repetijt. Tecum igitur reputa, Lector, quid inopi Eremitæ hæc totiens dãti remanere poterat, & comparatum ei Macedonem Alexandrum auarum iudicabis. ibidem.

De Alexandro v. Põtifice.

Adeò liberalis Pontifex Alexander v. fuit multis in virtute præditos homines insigniáque opera impensis, vt persæpe amicis familiariter narrare soleret, se olim ditem Episcopum fuisse (Nouariensi enim Ecclesia potitus fuerat) postea Cardinalem factum eguisse, atque dein pontificatu ornatum ad mendicitatem penè redactum esse. O felicem virum, qui virtute fortunáque tam mortales tam sublimem nactus honorem, eo bene vti, quòd perraro contigit, scuisti, cùm amicos atque bonam famam opibus vtiliores honestioresque atque minus animi laboribus obnoxias, quàm aurum, in quo omnia in contrarium inueniuntur, esse duxisti! ibid.

De Luciano Auria Genuensi ciue.

Illud quoque quod admodum generoso animo Lucianus Auria egit, cùm Genuensi classi præfectus aduersus Venetos in

Illyrico bellum gereret, minimè prætereundum est. Nam cùm à Genua stipendium non mitteretur, & iam classis rerum omnium inopia laboraret, quanquam ipse neque rem propriam gereret, neque piraticam exercere vellet, vt ex rapto vndequaque classem aleret, eo quoque, quod postremum relinqui videbatur, etsi iustè poterat vti, noluit, vt imperfecto bello, cum classe domum rediret. Ingentis igitur animi vir ac verè liberalis impẽsa omni pecunia, quam è suo habebat, argenteáque suppellectile inter naues diuisa, vt ea se nauales socij sustentarent, cùm eorum vnus pecuniam peteret, neque iam vltrà quod daret, aliquid superesset, à balteo ornamentum argenteum, quod pendebat, abscidit, atque ei dedit: quod non pretij gratia, verùm propter rem ipsam (plura enim daturus videbatur, si plura habuisset) magni est faciendum. ibidem.

De Alphonso Seniore Siciliæ Rege.

Gestare in digitis annulos ingentis prætij Alphonsus consueuerat, & ne lauandis manibus gẽmis officeretur, loturus annulis digitos exuebat, seruandósque ministris, qui opportunius se offerent, dare solebat. Cuidam igitur semel cùm annulos tradidisset, qui oblitũ Regem arbitrabatur, eos propterea in vsum suum eos verterat. Alphonsus rem dissimulauit, atque peo eis alios induit annulos, consuetúmque morem seruauit. itaque post aliquot dies loturo Alphonso cùm idem astaret, qui primos habuerat, & non restituerat, manũ porrexit, tanquàm à Rege annulos, vt olim egerat, accepturus: Alphõsus autem retracta ad se manu, in aurẽ submissa voce ei dixit, Hos adseruandos tibi annulos dabo, si prius alios, quos dedi, restitueris. Liberali profectò Rege, humanoq; atque animo ingẽti prædito digna vox, quæ maiori laude, quàm styli mei vires ferant, efferenda videatur. ibi.

De Cratone Philosopho.

Non immeritò Cratonẽ Phi-

losophum, dum Ephesi contemnendarum opum ederet spectaculum, gemmas immodicæ æstimationis contundentem, à Ioanne Apostolo reprehensum ferunt. Nam si pietati magis, quàm gloriæ studuisset, nunquàm profectò illas contriuisset, sed potius venditarum pretio indigẽtibus succurrisset. Quã quidem sententiam & ipse postea est sequutus: lapillis quippe ab Apostolis pristinæ integritati restitutis, miraculo ad fidẽ Christi cõuersus, quod ad suam ipse iactantiam instituerat, ad proximorum vertit vsum: iam satis edoctus, sapientiam huius mundi stultitiã esse apud Deũ. Marullus lib. 1.

De Thoma Apostolo.

Thomas Apostolus ad Gondolphorum Indiæ Regem pro architecto non terreni (vt ille putauit) sed cælestis ædificij missus, cùm magnam pecuniæ vim in ædificãdæ regiæ sumptus accepisset, profectò in aliam partem Rege, argentum omne pauperibus diuisit. Quod vbi innotuit Regi, vinctus ductus est in carcerem. Interim Gad frater Regis elatus, cùm die quarto reuixisset, testatus est vidisse se in cælo mirabilis structuræ basilicam gemmis auróque fulgentem, atque audisse à Thoma Regi conditam, nisi ea se ipse fecerit indignum. Rex itaque rediuiui fratris tum miraculo attonitus, tum verbis permotus, Apostolum vinculis liberat, Christum prædicanti credit, et credẽs intelligit nõ in terra, sed in cælo eleemosynis parãda esse mortalibus habitacula. ibid.

De Osualdo Britanniæ Rege.

Nec secus quidem sentiens Osualdus Britanniæ Rex, miseserorum turbam quotidie ad se in atrium confluentium alere solitus, perhibetur: & cum die quodam maior esset mẽdicantiũ multitudo, quàm ciborum copia, ne eos qui superfuerant, vacuos dimitteret, totidem argenti fragmentis aurea lance comminuta donauit. Fortè ade-

rat Adrianus Indisranensis Episcopus, & liberalitatem miratus, apprehensam Regis dexteram dũ deosculatur, ait tam promptam in dando manũ senescere prorsus non debere. hinc aiunt, adhuc integram in monumento, illibatámque ostendi, vt quàm meritò id olim ab episcopo prolatum fuerit, tam certus euentus testis etiam posteris foret, & nemo vnquam dubitaret, ipsius animã fulgere in cælo, cuius corporis pars tot iã annos incorrupta permanere cerneretur in sepulchro. ibid.

De Euphemiano & eius vxore.

Euphemianus Romanus & Aglaë vxor eius cum diuitiis pollerent, nec prolem vllam habere possent, quotidie positis triclinius pauperculos domi conuocatos reficiebant, propriis manibus ministrantes. Quibus pietatis officiis meruerunt parentes fieri sanctissimi viri Alexij. Quo vnico contẽti, deinceps continentiam inter se perpetuo seruarunt. Tot igitur fructus produxit eleemosyna, vt sterili partum daret patrui sanctitatem, parentibus castitatem, omnibus paradisum. ibidem.

De Cornelio Cẽturionẽ.

Cornelij Italicæ cohortis Centurionis eleemosynæ (vt in Actibus Apostolorum legimus) ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, atque ad illum adhuc Gentilem Angelum de cælo & Simonem Petrum ab Ioppe Cæsaream vsque euocarunt, dignum vtique reddentes, qui cum Angelo colloqueretur, ab Apostolo baptizaretur, à Spiritu sancto priusquam baptizatus sit, visibiliter illustraretur: adeò vt qui aderant ex circuncisione fideles, mirati sint Spiritus sancti gratiam etiã in nationibus esse effusam, et Petrus in veritate se cõperisse dixerit, quia nõ est personarũ acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum et operatur iustitiam, acceptus est illi. ibid.

De Eustochio.

Eadem quidem de causã & beatum Eustochium tradunt

ex Gentili Christianum factũ, ex Christiano Martyrem immortalitatis palmam assequutum. Cæsaris enim Traiani temporibus magister equitũ supercornibus cerui, quem venando insequutus fuerat, Christum in cruce fulgentem videre meruit. Qui dum ob ipsius erga inopes beneficia ei se apparuisse diceret, & mysteria veritatis reseraret, credentem baptizari iussit, vt qui charitate iuuerat miseros, fide inter verè felices recipi idoneus foret. ibid.

De Dominico Hispano.

Dominicus Hispanus, dum Palantiæ bonis artibus perdiscendis operam daret, ciuitas annonæ caritate laborare cœpit, ille multorum famem miserans, cùm pecuniam nõ haberet, qua indigentibus pro tempore subueniret, libros vendidit, nec dubitauit literarum studiis studium præponere pietatis. Et quoniam scriptum est, Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur, ad tantam deuenit perfectionem, vt ordinis fratrum Prædicatorum fieret autor. ibidem.

De Clemente Pontifice.

Clemens Pontifex viduarũ, orphanorum & reliquorum Christi pauperum nomina in codicillo seriatim descripta lectitabat, ne quem die vllo præteriret, cuius miseriam nõ sublueuaret: & (quod maius est) ad longinquas regiones transmittebat indigentibus subsidia. Neminem ex his, quos ad veritatem ab errore conuerterat, passus est mendicare, vt qui se autore, iam Christo viuerent, se quoque auditore, famem non timerent. ibid.

De Ioanne patriarcha Alexandrino.

Insigne benignæ liberalitatis exemplum de Ioanne Alexandrino Patriarcha ab his, qui vitam eius conscripsere, memoratur. Nam (vt aiunt) cùm aliquando mendico sibi obuiam facto sex numos dispẽsatorem da-

re iussisset, ille acceptis, diuertit paululum de via, & progredientium præuertens vestigia, gestu habitúque alium mentitus, alios sex, non quia non agnosceretur, accepit, sed quòd talem nactus fuerat datorẽ, qui etiam deprehensa dolositate manum poscenti subtrahere nesciret: & iam tertiò pari astu vso, cùm Patriarcha duplicatã pecuniam numerari præcepisset, succlamare dispensator in malitiam hominis cœpit. conuersus verò Ioannes, Tace, inquit, fili: nam fortasse hic Dominus noster est Iesus Christus periculum nostri faciens, an tandem offensi crebris repetitionibus cessabimus misereri? Hic quia maximè in dando propẽsi animi erat cognomento Eleemosynarius dictus est. ibid.

Idẽ pauperes non aliter quàm dominos suos appellare solitus dicitur: & cùm à diuite quodam grabatuli sui tormentum miserante, plumeam culcitram dono missam accepisset, vbi primùm ea substrata cubauit, noctem illam totam in somnem egit, identidem ingemiscens, mollius tunc se iacere, quàm dominos suos: cùmque illuxisset, culcitram venundari, pecuniã pauperi erogari mandauit. At diues ille ab emptore redemptam iterũ misit, precatus ne munus suũ vltra venale haberet, sed eo ipse frui vellet. verùm diuitis preces superabat Patriarchæ in egenos misericordia, neque modo vllo Ioãnes tenere se potuit, quin rursum idẽtidem faceret, vt prius: diues autem iam secundo recuperatam eidem referri iussit: Videbimus dicens, vter nostrũ citius defatigabitur tu vendendo, an ego redimendo. Ille ioculo dictum modesto admodum risu excipiens, Deo gratias ago, inquit, quòd mituri sumus certamen diuiti salubre, pauperi commodum, mihi iocundum. Itaque quoties id muneris missum sibi accepit, toties vendẽdum curauit, vt inde dominis suis, id est Christi pauperibus subueniret, faciens sibi sacculos, qui non veterascunt, thesaurum indeficientem in

Universidad de Deusto Biblioteca

cælis, quò fures non appropiant, nec tinea corrumpit. ibid.

De Serapione monacho.

Serapionis quoque Monachi eleemosynæ haud minori commendatione dignæ, si donantis tantùm animus perpendatur, non etiã doni magnitudo. Cùm enim nihil præter tunicam & pallium & Euangeliorum codicem haberet, duobus pauperibus obuiam factus, alteri palliũ, alteri tunicã dedit: et cùm nudus sederet interrogatus quis eum spoliasset, protento codice illo quem manu tenebat, Hic, inquit. Iterum alios mendicantes conspicatus etiam codicem vendidit, & venditi pretium illis distribuit, dicens, à Domino præceptum esse, Vende omnia quæ habes, et da pauperibus. Necdum se istud implesse putauit, donec semetipsum quibusdam Gentilibus vendidit: ita tamen vt ipsos Domino lucraretur. cúmque eos ad Christum conuertisset, pecunia quam acceperat, se redemit: Rursum idem Lacedæmoniæ fecisse dicitur eodem successu conuerso diuite quodam, ac principe viro. Post talia charitatis officia in Abbatem electus apud Arsinoen decem milium Monachorum pater fieri meruit, & qui omnibus præibat, pietate omnibus præesse dignus fuit. ibid.

De Petro Constantinopolitano.

Æquè pium virum & Petrum Constantinopolitanum cognomento Telonarium fuisse ferunt: sed tantò maiore admiratione dignum, quantò ante conuersionem vixit nequius. Cùm enim opum copia redundaret, dubitatum est vtrum ditior, an auarior esset. hinc inter mendicos ortum est certamen, vnus profitebatur, se ab eo eleemosynam eliciturum, cæteri id omnino fieri posse negabant: qui se facturum promiserat, accessit cum multo precum ambitu: & dum hominem auertẽtem sese vrgere cœpisset, in iram concitauit, ita vt furore ardens, repẽte arreptum panem (panes autem casu ancilla è fornace domum coctos referebat) in faciẽ precantis intorqueret: qui cùm declinasset ictũ, sublato pane discedens, se tandẽ voti sui compotem factum socijs nuntiauit. Petrus verò postea aduersa valetudine agitatus, cùm postremò horis aliquot exanimus iacuisset, & reuixisset, narrauit, sibi interim visum fuisse, se ante tribunal Dei in cælo sisti, ab alijs accusari, ab alijs defendi, in altera libræ lance peccata, quæ commiserat appendi, in altera vnicum panem illũ, quem ipse quõdam proiecerat iratus: & cùm exæquatum vtrinque pondus staret, reuerti, ac pani superaddere aliquid quod præpõderet, si multi reatus supplicia cuperet euadere, sibi iussũ. Itaque cùm conualuisset, quæ cupidè cõstauerat, liberaliter cœpit effundere, neminem indigentem opis suæ expertem fieri passus. ibidem.

De eodem.

Die quodam cùm conspexisset hominem attrito laceroque amictu tantùm non nudum, ad se euocatum veste, qua ipse induebatur, donauit. Eam pauper (quia honestior erat, quàm vt personæ suæ conueniret) vendidit. Quamobrem Petrus se indignum ratus, cuius vestibus pauper tegeretur, animo vehementer angi cœpit. Et dum doleret, nocte insequuta vestimẽto illo indutum Christum vidit: hoc somno facilè persuasum habẽs, id Christo dari quicquid datur inopi: omnia dilargiendo, nihil sibi reliqui fecit. Nec sic quidem satiatus, Hierosolymã profectus, venum seipsum dedit, vt haberet quo adhuc aliorum subueniret inopiæ, seruúsque factus est hominis, vt pretium offerret Deo. ibid.

De Iudoco.

Iudocus, cùm ad fluminis ripã in solitudine sibi domiciliũ constituisset, vno duntaxat discipulo contentus, partem quartam panis, quem tunc vnicum habebat, mendicanti dedit. mox iterũ & tertio, & item quartò, diuerso semper, ne agnoscere-

tur, habitu petitum reuertenti semper partem largitus, nihil sibi nec discipulo nisi certam in Domino spem dereliquit. Et dũ hæsitantem discipulum consolatur, ne de victu dubitaret, ei seruiens qui irrationabilia quoque pasceret animalia, aspiciũt duos lembos proximæ ripæ applicuisse vectore nullo, cùmque comperissent omni cibariorum genere, quo ipsi vesci solebant, plenos, Deo gratias egerunt, qui pro vno pane pauperi dato, tam vberem alimentorum copiam sibi sine cunctatione prouidisset. ibidem.

De Francisco ordinis Minorum patre.

Franciscus ordinis Minorum pater, quibus solis tantum possidere lex est, vt mendicare necesse sit, dum iter ageret, incidit in hominem, cuius vestimenta diutino vsu detrita vix pudenda corporis operuerant, & nuditatem eius dolens, substitit, suspirauit, ingemuit. frater vero qui illũ comitabatur, Quid, inquit, ita tristaris pater? etsi hic indumentis eget, forsan abundat concupiscentijs. tunc Franciscus fraterni erroris non dissimulator, sed corrector, iussit protinus, vt ille sua se tunica exueret, & pauperem tegeret: & quòd de ipso perperam opinatus fuerat, ab eodem veniam rogaret, ac tandem disceret nefas esse miserorum mores suggillare, indigentiam negligere. ibidem.

De Lucia Virgine.

Sed ne cuiquam tam fructuosum opus demum exercendum differatur, cùm aut nihil, aut parum profuturum sit, documẽto nobis erit Lucia virgo, quæ cùm matrem Euticiam ad erogandas pauperibus facultates hortaretur, illáque diceret, vti vitæ suæ finẽ expectaret, ipsa postea quod vellet de opibus suis factura: Non est, inquit, admodum gratum ò mater, Dei munus, quod qui offert, ideo, offert, quia illius vsum suprema sibi interdicit dies: da dum sana es, ne si moriens dederis, inuita dedisse arguaris. rem vti-

que quam velis nolis, relinquere cogeris. Victa rationibus Euticia laudauit filiæ sentẽtiam: Lucia vero iam bonis omnibus ad votum erogatis, cùm dijs sacrificare compelleretur, ait, sacrificium Deo acceptissimũ esse, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum: & quia etiam inter tormenta misericordiæ in egenos reminiscebatur, misericordiæ semper remunerator Deus effecit, vt cùm ad lupanar traheretur, loco moueri non posset: cùm vreretur, illæsa inter flãmas maneret: cùm iugularetur, mori non crederet, donec ad cælos itura vitale viaticum de manu sacerdotis accepit, corpus videlicet & sanguinem Agni, pro cuius amore sua omnia in eleemosynam, seipsam in sacrificium tam confidenter, quàm libenter obtulerat. ibidem.

DE AVARITIA, Græcorum exempla.

De Ptolemæo Rege Cypriorum.

Ptolemæi Regis Cypriorũ auaritiæ risus prosequenda. Nam cùm anxijs sordibus magnas opes corripuisset, propterque eas periturum se videret, & ideo omni pecunia imposita nauibus, in altum processisset, vt classe perforata suo arbitrio periret, & vt hostes prædã carerent, non sustinuit mergere aurum, & argentum: sed futurum suæ necis præmiũ domum reuexit. Procul dubio hic non possedit diuitias, sed à diuitijs possessus est, titulo Rex insulæ, animo autem pecuniæ miserabile mancipium. Maxi. lib. 9.

De Persa Macedonum Rege.

Miseros esse auaros exẽplo suo Persa vltimus Macedonum Rex ostendit, à Paulo Æmilio superatus ac captus. Nam à reliquis militibus desertus, paulò antequam caperetur, magnarũ promissionum spe paucos quosdam Cretenses retinuit, promissorum pignus fuere. data ali-

quot aurea vasa. Cùm autem Cretensium præsidio in tuta se loca recepisset, pollicitus se pecuniam daturum, vasa à Cretensibus recepit, & cum vasis pecuniam quoque retinuit. itaque ab ipsis etiam Cretensibus destitutus, cùm nullo alio, quàm auro comite in Samothraciam profugisset, ab Æmilio captus, Romam in Triumphum, quēadmodum tanta auaritia dignū erat, perductus fuit. Nam cùm in bello pluris aurum, quā homines fecisset, tandem experiendo cognouit, aurum se, quia homines, quibus aurum defenderat, non habebat, vnà cum libertate ac regno amisisse. Bap. Fulg. lib. 9.

De filio Tigranis Armeniæ Regis.

Cùm Trigranem Armeniæ Regem Pompeius deuicisset, & is ab eodem Pompeio in regnis, quæ antè possidebat, restitutus, in Romana castra ad salutandum Pompeium venisset, maiore natu filiorum prosequente, à toto exercitu amanter exceptus, & à Pompeio cœnæ honore dignatus, post epulas Pompeio totique exercitui ingentia munera contulit. Cùm postea filius quoque inuitatus esset, respondente eo tanti se cœnam emere nolle, indignatus Pompeius custodiri eum iussit, ac Romam in triumphum duxit. nam patre eius ob liberalitatem in regnis relicto, auarum filium, qui abiecto erat animo, vnà cum regno libertate quoque priuauit. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De M. Crasso & Q. Hortensio.

Cum admodum locupleti L. Minutio Basilio falsum testamentum quidam in Græcia subiecisset, eiusdémque confirmandi gratia potentissimos ciuitatis nostræ viros M. Crassum & Q. Hortensium, quibus Minutius ignotus fuerat, tabulis hæredes inseruisset, quanquàm euidens fraus erat: tamē vterque pecuniæ cupidus, fauoris alieni munus non repudiauit. Quantā culpam quàm leuiter retuli? lumina curiæ, ornamenta fori quod scelus vindicare debebant, inhonesti lucri captura inuitati, autoritatibus suis texerunt. Max. lib. 9.

De Q. Cassio.

Verùm aliquantò maiores vires in Q. Cassio exhibuit qui in Hispania Silium & Calphurnium occidendi sui gratia cum pugionibus deprehensos, quinquagies sestertiùm ab illo, ab hoc sexagies pactus, dimisit. At quis dubitet si alterū tantum daretur, iugulum quoque suum æquo animo illis fuisse præbiturum? ibid.

De Tiberio Romano Principe.

Tiberius Cæsar Cn. Lētulum Augurem patritio genere vitæq; modestia ac virtute impēsè laudatū, posteaquàm is eum hæredem scripserat, occidit: veneficij Lepidam fœminam innocentissimam condemnauit, vt Quirino diti atque orbo morem gereret, fretus ob nauatam eam operam, se eius futurum hæredem. Vononū quoque Parthorum Regem, qui per seditionem regno pulsus, ad eum confugerat, posteaquàm opibus spolauit, quas ingentes attulerat, interemit. Itaque cùm Lentulum, vt hæreditate potiretur, occidisset, & spe alterius hæreditatis innocentem fœminam damnasset, ac præterea Regem spoliasset, interemissetque, qui sub fide ad eum se receperat, cū ipse maiore orbis terrarū parte potiretur, satis intelligi potest quanta eius esset habendi cupido. Baptista Fulgo. lib. 9.

De C. Caligula Imperatore.

Caligula post impensas profusiones (deliciis enim animum explere voluit) ad auaritiam atque rapinas cōuersus (id quod agere solent, quibus explendi nullus est modus) testatores, vt ipsum hæredem scriberent, cogebat, quos postea si superuixissent, veneno tollebat, ridēdos du

cens, quòd cõdito testamento superuiuerent: superante denuum cupiditate, atque auaritia fœminarum marũmque lupanar in palatio condidit, ac misit, qui per vrbem cursitantes obuios, vt fructuosum vectigal principi penderent, inuitarent. Coacta igitur ex eo vectigali ingenti pecunia, cùm in ea nudum se prouolueret, auri auiditatẽ explere contendebat. ibidem.

De Cõmodo Imperatore.

Commodus Imperator omnium auaritissimus alienæ mortis facultatem cupientibus facile pecunia permisit, omniumque aliorum criminum impunitatem auro cõdonauit, palàm litium capitaliũmque criminũ iudicia vendidit: haud secus, quàm si publicis nundinis venuidandæ merces essent. ibid.

De Galba Hispaniarum Proconsule.

Galba antequam imperaret, Hispaniarum Proconsulatum sub Nerone gerens, cum ei Tarraconensis ciuitas dono coronã auream daret, quam ponderis quindecim librarum dixerunt esse, statim adhibita statera, iussit pondus inspici: & cùm inuenisset tribus libris minus quàm dictum fuerat, pondus esse, munere, tanquam deberetur, in obligationem conuerso, postposito pudore, à Tarraconensibus tres libras, quæ coronæ deerant, exegit. ibidem.

De Vespasiano Imperatore.

Vespasianus Imperator, etsi aliorum principum scelere effectum est, vt inter bonos annumeretur: tamen haud mediocriter auaritia laborauit. Nam cùm ab amicis reprehenderetur, quòd rapaces homines in prouincias, atque ad obeunda publica munia mitteret, respondebat, eis se tanquam spongiis vti, quia rapinis locupletatos ipse postea spoliaret, eos enim pro crimine, quos ipse laborabat, huiusmodi pœna parum honestè mulctabat. ibidem.

De eodem.

Idem filio Tito reprehendenti, quòd è vilissimis rebus cogere pecuniam non omitteret, dixit, vt follem pecunia plenum, quem à procuratoribus allatũ, tunc ante se habebat, olfaceret, experiretúrq; quidnam oleret, & respondente Tito grauem nullum inde odorem sentiri, ridens dixit, Atqui hoc lotium est: nam ex vrinæ vectigali hæc pecunia confecta est. Neq; enim animaduertere voluit vrinę fœtorem, cui auaritia esset coniuncta: etsi nasum non læderet, famam tamen denigraret. ibid.

De exercitu Titi Vespasiani Rom. Principis.

Aurũ inexplebiliter ac scelerate nimis sitire se ostendit Romanus exercitus, cùm Hierosolymas Titus obsideret. Iudæos enim, qui ab vrbe fame compulsi profugiebant, deuorata aurea moneta, vt ita eam ab hoste incolumem seruarẽt, medios ferro diuidebant, vt in intestinis aurum quod deuorauerant, inquirerent: cùm pusillam horam qua ventrem exonerantes, inter stercora aurum effunderent, præ nimia cupiditate ferre non possent. biduo enim duo Iudæorum millia per hunc modum milites interemerunt: pluréſque occidissent, nisi Titus graui proposita pœna, eam rem interdixisset. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Constantia Galli Cæsaris coniuge.

Constãtia Constãtini Maximi Augusti filia, & Galli Cæsaris, qui in Oriente regebat, coniux, Clematiũ Alexandrinum virum innocentem, indicta causa interfici iussit. Gemmato enim monili corrupta à Clematij socru, generi mortem ervendidit. quem inuisum socrus habebat, quia vir probus stupri ab ea interpellatus, tanta turpitudine abstinuerat, cuius rei, quoties mentionem fieri continget, haud falè diijudicabitur quid potentius existimari debeat, effrænáne in Clematij socru libido, an Clematij honestas, aut ra-

Universidad de Deusto Biblioteca

pacis Constantiæ auaritia. Bap. Fulgosus lib.9.

De Constante III. Imperatore.

Constans III. Phocæ Imperatoris ex Constantio maiore natu filio nepos, ex Græcia ad vrbem Romam profectus, omnibus sacris prophanisque locis spoliatis quinque diebus, quibus in ea vrbe mansit, tantum statuarũ ac reliquorum ornamentorum inde abstulit, quantum antea ex magno numero omnes barbari, qui vrbem Romam diripuerunt, non abstulerunt, adeóque acerbè populos imperio parentes, atque non in postremis Siculos grauibus tributis pressit, vt multi vendere filios cogerentur, adeò à primis principibus degenerauit, qui non solùm ornare studebant vrbem Romam, verùm etiam victui necessaria populo, atque insuper pecuniam largè præbebant, id gloriæ ex donationibus quærentes, quod in rapiendo Constans sibi proposuerat. Cæterùm cùm in Sicilia à militibus suis interfectus esset, Sarraceni, qui per id tẽpus in Sicilia Panthormum vrbem occuparant, in Africam omnes Constantis rapinas deuexerunt. Cui id contigit quod plerunque auaris solet, vt opum, quas rapinis congesserunt, hi possessores fiant, quos minimè arbitrabantur, ac penes raptorem auarúmque infamia ac crimen maneat, cùm alij recto Dei iudicio rapinarũ commodo ac voluptate perfruãtur. ibidem.

De Rodolpho Imperatore.

Rodolphus Imperator natione Germanus adeò auri cupidus fuit, vt Italicas vrbes parua pecunia ab Imperij iure ac nexu liberaret. paruum enim compendium cum dedecore maluit, quàm honestè ingenti regno potiri. ibid.

De Benedicto Pontifice.

Benedictus IX. Pontifex Gregorio VI. pontificatum vendidit quem credibile est, si tantum emptorem inuenisset, seipsum quoque venditurum fuisse, ac

libertatem vitámq; ipsam auro, si magna eius vis oblata fuisset, postpositurum. ibidem.

De Petro Castulonensi Rege.

Quo nomine pro rei indignitate appellare poterimus id quod Petrus Castulonensis Rex aduersus Mahumetem Granatæ Regem impiè gessit? Cùm ad eum opis petendæ gratia aduersus alios Mauros venisset, omne aurum quod secum attulerat, rapacissimus Rex Petrus ademit: & cùm palàm iaculari cum suis iussisset, primus fuit qui eum manu sua iaculo peteret. Húncne auarum, an crudelem, aut ignauum nuncupabimus? Aut eo solo contenti erimus, quod infelix Maurus Rex tunc coràm ei obiecit? dixit enim Petrum Regem turpem nimis triumphum ducere de Rege, qui opis salutisque gratia in eius fidem se recepisset, violata fide, violato naturæ fœdere, atque omni humano neglecto more, spoliato atque occiso. ibidem.

DE DIVITIIS

Græcorum exempla.

De Pythio Celenæo.

Pythius Celenæus tam diues fuit, vt in Xerxem & cũ eo immensum exercitum ex toto Oriente constatũ hospitio exceperit: donauerat is Dario, qui Xerxis fuit pater, platanum auream cum aurea vite, & ob eam rem Persarum plerisque notus. sciscitatus ab eo Xerxes, quantum possideret, Parata habeo, inquit, bis mille talenta argenti, quadragies centum millia aureorum nummûm Daricorum septem millibus minus: quæ Regi ad tam numerosum exercitum alendũ dono detulit, testatus vectigalia prædiorum satis superque sibi suffectura ad lautè & beatè viuendum. Demiratus Rex hominis liberalitatem, vt cum eo beneficentia certaret, & aurum hospiti remisit, & quod ad quadragies centum millia deerat, & ex suo hospitem suppleuit. Sabel. lib. 8.

ROMANORVM EXEMPLA.

De M. Crasso.

M. Crassi, qui in Parthis periit, maiorne fuerit cẽsus, an habendi cupiditas, haud quisquam facilè dixerit. ferunt sæpe ex eo auditum diuitẽ esse neminem, nisi qui annuo reditu Legionem alere posset. Quod si animus hominis diues, non arca appellanda est, fuit M. Crassius nunquam diues, cùm hominum opinione esset togatorum omnium ditissimus. Sab. lib. 8.

De Caio Cæcilio Claudio

C. Cæcilius, qui horum tempora præcessit, cùm multa (vt ipse est suo testamento præfatus) ciuili bello amisisset, reliquit tamen quatuor millia seruorum & amplius, tria millia iuga boum, & sexcenta, reliqui pecoris CCLVII. millia, in numerato pondo sexcenta millia. Funeratus est sextertiis vndecim millibus, quantum Quiritium (quod sciam) nullus. ibid.

De Cæsare Dictatore.

Cæsar qui Dictator fuit, duodeuiginti millia triclinionum strauit Rom. populo, immensum auri pondus profudit, in spectaculis congiario populi: sed hæc spolia & rapinæ orbis terrarũ verius quàm patrimonium: propterea in ordinem venire nõ possunt. ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Cosmo Mediceo.

CLaruit Florentiæ Cosmus Mediceus immenso pecuniarum auctu tam diues, vt hoc nomine non Italici solùm, sed Christiani etiam nominis Reges omnes & summi Duces cũ eo hospitium iunxerint, literis, muneribus & omni officio certantes: mansit claritas familiæ incolumis vsq; ad Caroli VIII. in Italiam aduentum, quo tumultu Cosmi pronepotibus ciuili seditione domo eiectis, domestica gloria multiplici clade conuulsa facile ciuitatis princi-

cipatu cessit. Sab. lib. 8.

De Romanis diuitiis.

Si quis Italiæ vrbes contempletur, plures in his reperiẽtur, quorum diuitiæ non indignæ sint, quæ in hunc ordinem redigantur. Nam & Romæ nuper fuere hoc nomine illustres Margani, Crucei, Bubali, et omnium maximè Transtyberina regione duo Matthæi fratres: ex quibus semel domestico conuiuio adhibitus audiui, tãtum sibi rei pecuariæ rationis creuisse, vt quingentos canes ad stabulorum custodiam in agris alerent. ibidem.

De Venetiis diuitiis.

Quid Venetiæ, in quibus ne amplissimæ quidem diuitiæ magnæ sunt admirationi propter ciuitatis opulentiam? Nec enim vnius domus opes hîc cõspicuæ sunt: tametsi domesticæ puellæ mille libræ auri olim appensæ sint dotis nomine regio matrimonio collocatæ, tantúmque nunc possideat, quantum Venetorum priuatim nemo: nec alij multi quibus immẽsæ sunt diuitiæ congestæ, sunt cuiquam admirationi. Vbi ex his, qui sordidum quæstum faciunt, tantum quidam auri congessere, vt ad inuidiã fortunæ creuerint. Erit itaque vt vera hæc, ita peculiaris vnius ciuitatis laus in hac relatione, vt nulli hominum fuerint vnquam (Romanis duntaxat exceptis, quibus totus orbis prædæ fuit) qui publicè priuatimque plus possederint, quàm Veneti, qui Adriam accolunt. ibid.

DE PAVPERTATE, Græcorum exempla.

De Diogene.

Diogenes Cynicus dolio contra frigus calorémque, eóque parum integro fuit contentus: poculum fregit rusticum, cauis manibus potentem intuitus: cætera aspernatus, tã felix ab Alexandro Macedone iudicatus est, vt multis audien

Universidad de Deusto Biblioteca

tibus dixerit, Diogenem malle se esse, quàm alium quenquam, si non Rex & Alexander esset. Sabel. lib. 4.

De Democrito Philosopho.

Quidam Philosophiæ assectatores haud obscuri nominis vsque adeò diuitias contempsere, vt nõ modò aliunde oblatas nõ acceperint, sed eas etiam, in quibus nati essent, sponte publicarint, et in his Democritus Abderites diligens naturæ contemplator, qui nihil demum præter ingenium possedit, vel quia noluit, aut quia non debuit. ibid.

De Phocione Atheniẽsi.

Phocion Athenienſis vsque adeò diuitias spreuit, vt grande auri pondus, quod ab Alexandro dono dabatur, pertinaciter repudiarit: testatus se nõ egere regio auro. dignus de quo sit diu inter Græciæ sophistas quæsitum, maiórne Alexander esset, an Phocion, qui Alexandri aurum contempsit. ibidem.

De Phocionis coniuge.

Huius Phocionis vxor cùm à nobilissima quadam Ionici generis matrona in amicitiam recepta, auri torques, monilia, pretiosúsque mundus muliebriter ostentaretur, At meus, inquit, ornatus non est talis, sed Phocion me ornat, iam vicies Atheniensium Imperator. ibid.

De Aristide Atheniensi.

Aristides & ipse Atheniensis multò iustius se paupertate glororiari posse credidit, quàm Calliam Atheniẽsium ditissimum amplissimis opibus, nulli dictitãs eam rem indecoram esse, nisi qui inuiti pauperiem ferrent. ibid.

De Lysandro Lacedæmonio.

Lysander Lacedæmonius, qui inter multorum exercitũ Spartanorum dux fuit, & Athenas vrbem potentissimam Lacedæmoniis parêre coëgit, moriens nullam argenti drachmã reliquit: quin cùm eius generi non inuenirent, vnde vxores

dotem assequerentur, dimittere eas decreuerant, nisi magistratus, vt eas retinerent, proposita graui pœna coëgisset. Bap. Fulg. lib. 4.

De Epaminunda Thebano.

Thebanus ciuis Epaminundas, cuius virtute egregiisque facinoribus nullus audiendo satis expleri posset, in tãta rerum inopia decessit, vt domi eius vnum tantũ ferreum spiculum, neque præterea alia res vlla necessaria sit inuenta. Itaque cùm è suo nihil haberet, vnde funus duceretur, publica impensa tumulatus est. ibid.

De Aglao Psophidio.

Aglaus Psophidius Arcadum pauperrimus nunquàm agelli sui terminos excessit, paruuli ruris fructibus contentus: quem tanquam felicissimũ Gygi Lidiæ Regi ditissimo prætulit Apollinis Oraculum. Guido Exemplorum lib.

De Socrate.

Socrates Philosophorum omnium luculentissimus pauper semper fuit, pedibus nudis incedens, sordido palliolo contentus, honores & omnia terrena cõtemnens, diuitias præsertim. ibidem.

De Anaxagora.

Anaxagoras Clazomenius posteris Philosophiæ studia sitientibus insigne paupertatis reliquit exemplum: quandoquidem vt sæpicule dictitabat, Nemo simul & virtutes et diuitias possidere potest. Is etenim amplum patrimonium suis spõte concessit, paupérque studiis adhæsit. ibid.

De Cleãthe Philosopho.

Cleanthes Philosopus Stoicus Planij filius ex Asso ciuitate Troadis natus, qui Zenonis Citiensis scholæ successit, diebus aduersus ignorãtiam, noctibus autem aduersus paupertatem depugnauit. nam inopia cogente, ex puteis ad irrigandos Athenienſium hortos noctu aquã hauriebat, qua mercede liberalibus studiis interdiu vacabat. Ea demum, quæ à Zenone suo

Universidad de Deusto Biblioteca

præceptore mente conceperat, boum oßibus, & testis fictilibus perscribere solebat, cùm pecunia non suppeteret ad emendam papyrum. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Cornelia.

MAxima ornamenta esse matronis liberos, apud Pomponiũ Rufum collectorum libro sic inuenimus: Cornelia Gracchorum mater, cùm Campana matrona apud illam hospita ornamenta sua pulcherrima seculi illius ei ostenderet, traxit eam sermone, quousque è Schola redirent liberi, et, Hęc, inquit, ornamenta mea sunt. Max. lib. 4.

De Valerio Publicola.

Regio imperio propter nimiã Tarquinij superbiam finito, consulatus initium Valerius Publicola cum Iunio Bruto auspicatus est. Idémque postea tres consulatus acceptißimos pop. Rom. geßit, & plurimorum ac maximorũ operum prætextũ titulũ imaginum amplificauit, cùm interim factorum illud columen, patrimonio ne ad exequiarum quidem impensam sufficiente deceßit: ideóque publica pecunia ductæ sunt. Non attinet vlteriore disputatione tanti viri paupertatem scrutari: abũdè enim patet quid viuus possederit, cui mortuo lectus funebris, & rogus defuit. ibid.

De C. Fabricio, & Q. Aemilio.

In C. verò Fabricij, et Q. Æmilij Pappi principum seculi sui domibus argentum fuisse confitear oportet: vterque enim patellam deorum, & salinum habuit: sed eò lautius Fabricius, quòd patellam suam carneo pediculo sustineri voluit: Pappus quoque satis animosè, qui cùm hæreditatis nomine ea accepisset, religionis causã abalienandã non putauit.

Illi etiã prædiuites, qui ab aratro accersebantur, vt Consules fierent, voluptatis causa sterile atque æstuosißimum Pupiniæ solum versabant, deliciarúmq; ignari vastißimas glebas plurimo cum sudore dißipabant: imò verò quos pericula Reipub. Imperatores accersebant, angustiæ rei familiaris (quid cessò proprium nomen veritati reddere?) bubulcos fieri cogebant. ibidem.

De Attilio Calatino.

Attilium autem, qui ad eum accersendum à Senatu missi erãt, ad imperium pop. Rom. suscipiendum semen aspergentem viderunt: sed illæ rustico opere attritæ manus salutem publicam stabilierunt, ingentes hostium copias pessundederunt, quæq; modo arantium boum iugum rexerant, triũphalis currus habenas retinuerunt. nec fuit iis rubor eburneo scipione deposito, agrestem stiuam aratri repetere. Potest pauperes consolari Attilius: sed multò magis docere locupletes, quàm non sit necessaria solidæ laudis cupidini anxia diuitiarum comparatio. ibidem.

De Attilio Regulo.

Eiusdem nominis, & sanguinis Attilius Regulus primi Punici belli gloria cladésque maxima, cùm in Africa insolẽtißimæ Carthaginis opes crebris victoriis contunderet, ac prorogatum sibi ob bene gestas res in proximum ãnnum imperium cognouisset, Cõsulibus scripsit, villicum in agello, quẽ septẽ iugerum in pupinia habebat, mortuum esse, occasionémque nactum mercenariũ amoto inde rustico instrumento discessisse: ideóque petere vt sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset vnde vxor ac liberi sui alerentur. Quæ postquàm Senatus à COSS. *accepit et agrum Attilij illico colendum locari, & alimenta cõiugi eius, ac liberis præberi, résque, quas amiserat, redimi publicè iussit. Tãti ærario nostro virtutis Attiliano exemplo, quo omnis ætas Romana gloriabitur, stetit. ibi.*

De Quintio Cincinnato.

Æquè magna latifundia Q.

Cincinnati fuerunt. Septem enim iugera agri possedit: ex his tria, quæ pro amico ad ærarium obsignauerat, mulctæ nomine amisit. Pœnam quoque pro filio Cæsone quòd ad causam dicendam nõ occurrisset, huius agelli reditus soluit: et tamen ei quatuor iugera aranti non solum dignitas patris familiæ constitit, sed etiam Dictatura delata est. Angustè habitare se nunc putat, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt. ibid.

De Cn. Scipione.

Itaque cùm secundo bello Punico. Cn. Scipio ex Hispania Senatui scripsisset, petens vt sibi successor mitteretur, quia filiam virginem adultæ iam etatis haberet, neque ei sine se dos expediri posset, Senatus, ne Resp. bono duce careret, patris sibi partes desumpsit, consilioque vxoris, ac propinquorum Scipionis constituta dote summam eius ex ærario erogauit, ac puellam nuptui dedit, dotis modus XL. millia æris fuit: qua non solùm humanitas Patrum C. sed etiã habitus veterum Patrimoniorum cognosci potest, namque adeò fuerunt arcta, vt Tatia Cæsonis filia maximam dotem ad virum decem millia æris attulisse visa sit: & Megulia, quia cum quingentis milibus æris mariti domum intrauit, Dotatæ cognomen inuenerit. Idem Senatus Fabritij Lucini, Scipionisque filias ab indotatis nuptiis liberalitate sua vindicauit: quoniam paternæ hæreditati præter optimam gloriam nihil erat quod acceptum referret. ibid.

De M. Valerio Leuino.

Leuinus, quem Romani Consulẽ habuerunt, & qui Corintho vrbe armis potitus est, cuius spoliis non vrbs Roma solùm, sed penè tota Italia exornata fuit, tam pauca de Corinthi atque aliarum vrbium, quas deuicit, præda sibi retinuit, vt à Senatu, cùm ipse non haberet, filia eius de publico dotẽ acceperit. Bap. Fulg. lib. 4.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Hilatione.

Fuit Hilarioni, cuius postea sanctitas illustrata est, paupertas fiduciæ: qui cùm adolescens adhuc in solitudine esset, Latrones in se grassantes intrepidus excepit. Rogatus ab his quî esset, quòd vim non formidaret, Quia nudus, inquit, sum. Cur non vulnera, aiunt, & mortem? Non talia, inquit, ab eo timẽtur, qui paratus est mori. Quam illi in adolescente cõstantiam non solùm ita mirati sunt, sed etiam venerati, vt petita venia innoxij retro abierint. Sabel. lib. 8.

De eodem.

Extiterunt & alia in eo affectatæ paupertatis argumenta nihilo inferiora: quale illud, quod quẽdã ex his, qui cũ eo in eremo erant, intuitus hortuli fructus intentius obseruantem, studentémque peculiolo conflãdo, loco submouit, ne quid sibi consuetudinis cum eiusmodi homine esset, ceu contagiosa ducẽda sit eorum vita, qui pecuniæ student, aut certè indigna iustorum contubernio. ibidem.

De Diuo Alexio.

Maluit Alexius Romæ nobili loco ortus, pauper esse, quàm in paternis laribus splendidè, & voluptuosè viuere. in Syria quindecim annos fuit religionis causa, totidem deinceps Romæ ignotus domisticatim vrbem mendicabundus circuiuit, petiitque sæpe suppliciter, & accepit eleemosinam ex paternis ædibus: sed nulli interim notus. Demum vita functus ex ipsius chiragrapho compertũ est quis esset, & quo consilio ignorari voluisset. ibidem.

De Asisiate Francisco.

Multi sponte sua sunt paupertatem sequuti: sed qui Frãcisco Asisiate arctius fuerit eã complexus, diligentius fouerit, sanctius custodierit, fuerit (vt videre est) nemo: & reclamãte patre, conuitiáque ingerente,

inopiam diuitijs prætulit: diuites et lautos aspernatus, in mēdicis esse voluit. laudis loco ponere, quòd pauper esset, ignominiæ & probro sibi ipsi daturus, si pauperiorem se nactus quenquam aut mēdiciorem. per quæ meritò consequutus est vt pauperum sit pater dictus, cùm serui nomen libentius vsurparet. Felix paupertas, quæ vnius ductu tantum profecit, vt in hac vita, qua viuimus, penè plures sint, qui eam sponte colant, quā diuitias mirentur. ibid.

De Helisabeta.

Verumenimuero, nulla vnquàm fœmina ardentior huius fuit boni cultrix, quàm Helisabeta Regis filia, quippe quæ cū in regia adhuc fortuna esset, inter ancillas ad mendicantium morem sese componeret, sæpius testata fore, vt si quando humanis sese laqueis expediret, non alio ornatu libentius vteretur. ibid.

De Philippo Balcarium Regis filio.

Temporibus nostris Philippus Balearium Regis filius multorum sacerdotiorum, quæ possidebat, cura deposita, eo se volens redegit, vt vno adiutore contētus viueret, atque ex inopia eā voluptatem cupiens, quam alij ex magnarum opum vsu consequuntur, ab eo tempore victum mendicauit. Bapt. Fulg. lib. 4.

De Antonio Ægyptio.

Nónne paupertatis amator Antonius Ægyptius fuit, qui à patre in magnis opibus relictus, bona, quæ receperat, pro Christi nomine dispersit, monachorúmque multorum rector in tanta rerum inopia decessit, vt testamento nihil præter melotē palliúmque Athanasio, Serapioni alteram melotem, & discipulis, qui eum sepeliuerunt, cilicium reliquerit? ibid.

De Helizabeta Andreæ secundæ Pannoniæ Regis filia.

Helizabeta Andreæ secundæ Pannoniæ regis filia, atque

vxor Ludouici Turingiæ Lantgrauij (id in Germania dignitatis nomen est) post viri mortem à populis ceu prodiga principatu deiecta est (omnia enim quæ habebat, pauperibus impartiebatur) itaque exul ad tātam rerum inopiam redacta fuit, vt veste vario panno sarcta tegeretur, colóque ac lana victum pararet, spretis omnibus, quæ post illum casum ei à patre aliisque propinquis offerebantur, atque Cornelia pauperior facta est, quæ si maluisset, longè ditior esse poterat. ibidem.

De Alexandro & Mechtilde Scotiæ Regis filiis.

Par penè fuit Alexādri Scotiæ regis filij inopiæ studium atque amor, qui sororis Mechtildis hortatu à patris regno atque opibus ceu à peste in Galliam simul cum ea profugit. illic ouium religiosi cōuentus pastor factus, omnem vitam egit, nullisque ad mortem notus. ibi.

De Abraham Ægyptio.

Abraham Ægyptius vastæ in solitudine, clausa etiam cellula, cùm nihil omnino supellectilis præter catinum vestémque cilicinam & rusticum sagum haberet, vsque ad quinquagesimum ætatis suæ annum (qui vitæ vltimus fuit) dicitur perdurasse: ita vt nihil vnquā amplius concupijsset. Bona enim & ea nō modica, in quibus hæreditariò absens successerat, egenis dilargiri mandauit, ne obolum quidem passus ex his ad se deferri. In summa igitur inopia tam diues fuit, vt nihil appeteret: in summis opibus tam largus, vt omnia donaret, semper diuitijs præferens paupertatem. Marul. lib. 1.

De Menna.

Mennæ quoque Samnitum prouinciæ solitario (vt Gregorius tradit) paucula tantùm apum aluearia victum suppeditabāt. Eò accedens quidam Lōgobardus latro, frustráque, ne aliena raperet, monitus, sacrilegas apibus intulit manus: sed sicut Isaias ait, Væ, qui præda-

ris, nonne & ipse prædaberis? cõtinuò sceleris vltor Deus raptorem tradidit Satanæ, vexarique permisit. Indoluit autem Mennas inimici casum: sciebat enim & inimicos diligere, vt obediret Christo. Indoluit ergo ita, vt vellet nec opes habuisse. & cùm decretum ei fuisset nihil in vita possidere, nihil quærere, pximi vici beneficio sustẽtatus est in diem panem afferentibus, quos ille præceptis imbuebat salutis. ibidem.

De Ioanne Patriarcha Alexandrino.

Ioannes Patriarcha Alexãdrinus cùm ex hac vita migraret, haud parum lætatus fuisse dicitur, dum gratias Deo ageret, quòd morienti sibi nihil superesset præter vnum numum: sed & hunc statim indigenti dari præcepisset. Annuũ quippe illi Patriarchatus vectigal, annuæ in egenos eleemosynæ erant, nihil sibi reseruanti præter Christũ. Neque enim quicquam aliud suum esse aiebat asserens: ideo sacerdotibus neque possessionem, neque partem, neque hæreditatem inter reliquas tribus datam, quoniã pars & hæreditas & possessio eorũ esset Dominus. ibidem.

DE FIDVCIA SVI, Græcorum exempla.

De Euripide Tragico

NOn Euripides quidem Athenis arrogans visus est, cũ postulante populo, vt ex tragœdia quandam sententiam tolleret, progressus in scenam dixit, se vt eum doceret, non vt ab eo disceret, fabulas componere solere. Laudanda profectò fiducia est, quæ æstimationem sui certo pondere examinat: tantum sibi arrogans, quantum à contemptu & insolentia distare satis est. Itaque etiam quod Alcestiri Tragico poëtæ respondit, probabile: apud quem cùm quereretur, quòd eo triduo non vltra tres versus maximo impenso labore deducere potuisset, atque is se centum perfacilè scripsisse gloriaretur: Sed hoc, inquit, interest, quòd tui in triduum tantũmodo, mei verò in omne tempus sufficient. Alterius enim fœcundi cursus scripta, inter primas memoriæ metas corruerunt: alterius cunctante stylo elucubratũ opus per omne æui tẽpus plenis gloriæ velis ferretur. Max. lib. 3.

De Antigenida.

Adijciam scenæ eiusdem exemplum: Antigenidas tibicen discipulo suo magni profectus, sed parum feliciter populo se approbanti, cunctis audiẽbus, dixit, Mihi cane, & Musis: quia videlicet perfecta ars fortunæ lenocinio defecta iusta fiducia non exuitur. Quámque scit se laudem meritam, eam etsi ab alijs non impetrat, domestico tamen acceptam iudicio refert. ibidem.

De Epaminunda.

Non patiuntur me tenuioribus exemplis diutius insistere fortissimi duces. siquidem Epaminundas, cũ ei ciues irati sternendarum in oppido viarum contumeliæ causa curam mandarent (erat illud ministerium apud eos sordidissimum) sine vlla cunctatione id recepit, daturúmque se operam, vt breui speciosissimum fieret, asseuerauit. Mirifica deinde procuratione abiectissimum negotium pro amplissimo ornamento expetẽdum Thebis rẽddidit. ibidem.

De Annibale.

Annibal verò cùm apud Regem Prusiam exularet, autórque ei committendi prælij esset, atque is non idem sibi extis portendi diceret, An tu, inquit, vitulinæ caruncula, quàm Imperatori veteri mauis credere? si verba numeres, breuiter & abscisè, si sensum æstimes, copiosè & valenter. ibidem.

De Alexandro Magno.

Ingentem animi fiduciam Alexander ostendit, cùm antequàm in Asiam transiret,

Universidad de Deusto Biblioteca

immunitates reditúsq; ingentes in Macedonia donaret. cùm autem Perdicas amicorum vnus ei diceret, omnia dãdo quid sibi retineret, respondit, spem bonáque Persarum: admirabili fiducia ostendens, se quod adhuc in potestate hostium erat, ceu rem propriam ducere. Ea permoti spe Macedones, spretis muneribus, quæ tunc Alexander repræsentabat, sola ipsa spe cum ipso contenti manserunt, longè pluris ea, quæ nondum venerant, quàm præsentia munera facientes. Bap. Fulg. lib. 3.

De Antigono Macedonũ Rege.

Cùm Antigonus Macedonũ Rex cum classe apud Andrũ esset, & militum vnus hortaretur, vt inde abiret, quia hostium classis nauium numero maior appropinquare dicebatur, vt qui ingentis animi plenus erat Antigonus, respondit, Et me pro quanto nauium numero censes? hoc enim modo animi sui vigore æqualem se hostium multitudini ostendit esse posse. ibidem.

De eodem.

Idem cùm ad regiam dignitatem recèns ascendisset, & haud obscurè populi eam rem queri dicerentur, virtutũ suarum conscientia fretus, in populorum conspectu diadema sceptrúmque deposuit, palámque monuit, si alium quempiam se regno digniorem inuenirent, ad eum ex arbitrio diadema sceptrúmque deferrent, commemoratis ante iis rebus, quas magna virtute gloriáque gesserat. ita huius animi fiducia populos mouit, vt vltrò omnes ad capescendum denuò regnum hortarentur, ac magnis precibus peterent: quod ipse constanter renuit, nisi antè de seditionis autoribus supplicium sumeretur. ibidem.

De viro Lacedæmonio.

Cuiusdam Lacedæmonij minimè spernenda fuit confidentia: qui cùm in clypeo pictam (vt vera videretur) muscam ferret, atque ei diceretur, insigne nimis paruum id esse, neq; ab hostibus visum iri, respondit, se ita hosti appropinquaturum, quòd longè maior quàm esset, ei musca videretur. ibid.

DeChrysippo philosopho

Chrysippus Philosophus doctrina sua fretus, amico petenti cuius doctrinæ filium traderet, sibijpsi daret, respondit. Nam si alium se doctiorem sciret esse, ad illum audiendum ea ipsa hora se profecturum affirmabat. Neque verò ad arrogantiã id ei debet ascribi, sed rectum de seipso iudicium putari. Etenim ætate sua solus sapiens habitus est, cùm cæteri sola doctrinæ vmbra dicerentur. ibid.

De Diogene.

Cùm Diogenes patriam relinqueret, vnus ex seruis eum sequutus, nomine Manes, non ferens eius morositatem aufugit. cúmque Diogenem hortarentur aliqui, vt eum quæreret, Annon, inquit, turpe esset, cùm Manes Diogene non egeat, Diogenem Manis ope indigere? verum seruus ille captus postea, Delphósque abductus, à canibúsque dilaniatus, fugæ pœnas persoluit. Ælianus lib. 12.

De vtroque Spartano.

Nobiliter etiam vterq; Spartanus, & qui increpitus à quodam, quòd in aciem claudus descenderet, pugnare, non fugere propositum sibi esse respondit. Et qui referente, quodam sagittis Persarum solem obscurari solere: Bene narras, inquit, in vmbra enim melius prælibimur. Max. lib. 3.

De Verrito & Malorige Legatis Germanis Frisiis.

Imperante Nerone cùm orta esset inter Germanos controuersia, Germani quidam Legati Frisij Romam venerunt, & theatrum ingressi, vt populi Romani magnitudinem inspicerent: mirati eius in sedendo ordinem, nonnullos minimè Romana veste amictos inter Senatores sedere animaduerterunt. Cùm qui essent illi, interrogassent: vt intellexerunt, vrbium, quæ fide ac virtute alias antecedebant, legatos esse, pro-

pria virtute ac fide freti, ipsi quoque sessum inter Senatores iuerunt, dicentes nationem nullam eis notam esse, cui ob militarem virtutem ac fidem locus ille magis, quàm ipsis deberetur. & ob id à Senatu læta frõte accepti, Romani ciues creati fuerunt. Bap. Fulg. lib. 3.

De Zeusi pictore.

Magnam quoque artis suæ fiduciam Zeusis pictor ostendit, cùm athletæ, quem pinxerat, in quo sibijpsi satisfecisse videbatur, carmen inscripsit in hanc sententiam, opus scilicet illud esse, cui facilius præclari possent inuidere pictores, quàm quicquam imitari. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA

De P. & Cneo Scipionibus

P. & Cneo Scipionibus in Hispania cùm maiore parte exercitus acie punica oppressis, omnibúsque eius prouinciæ nationibus Carthaginensium amicitiam sequutis, nullo ducũ nostrorum illuc ad corrigendã rem proficisci audente, P. Scipio quartum & vigesimum annũ agens, iturum se pollicitus est: quæ quidem fiducia populo Romano salutis atq; victoriæ spem dedit.

Eadémque in ipsa Hispania vsus est. nam cùm oppidum Badiam circunsederet, tribunal suum adeuntes in ædem quæ intra mœnia hostium erat, vadimonium in posteram diem facere iussit, continuóque vrbe potitus, & tempore & loco, quo prædixerat, sella posita, ius eis dixit. Nihil hac fiducia generosius, nihil prædictione verius, nihil celeritate efficacius, nihil etiam dignitate dignius.

Cui facto par illa fiducia, quòd postquam Africam attigit, speculatores Annibalis in castris deprehensos & ad se perductos, nec supplicio affecit, nec de consiliis ac viribus Pœnorũ percunctatus est: sed circa omnes manipulos diligentissimè deducendos curauit, interrogatósque an satis ea cõsiderassent, quæ speculari iussi erant, prandio dato ipsis, iumentísque eorũ incolumes dimisit: quo tam pleno fiduciæ spiritu prius animos hostium, quàm arma contudit.

Verùm vt ad domestica eius fiduciæ acta veniamus, cùm à L. Scipione ex Antiochensi pecuniæ H-S. quadragies ratio in curia reposceretur, prolato ab eo libro, quo acceptæ expensæque summæ continebantur, refellique inimicorum accusatio posset, discerpsit: indignatus de ea re dubitari, quæ sub ipso Legato administrata fuerat. Quinetiã in hunc modum egit, Non reddo, P. C. ærario vestro H-S. quadragies rationem, alieni imperij minister, quòd meo ductu, meísque auspiciis bis millies H-S. vberius feci. Neque enim adhuc puto eò malignitatis vẽtum, vt de mea innocentia quærendum sit. Nam cùm Africam totam potestati vestræ subiecerim, nihil ex ea quòd meum dicerem, præter cognomen retuli. Non igitur me Punicæ, non fratrem meum Asiaticæ gazæ auarum reddiderunt: sed vterque nostrum inuidia magis, quàm pecunia locupletior est. Tam constantem defensionem Scipionis vniuersus Senatus comprobauit.

Sicut & illud factum: quòd cùm ad necessarium Reipub. vsum pecuniam ex ærario promi opus esset, idque Quæstores, quia lex obstare videretur, aperire non auderent, priuatus claues poposcit, patefactóque ærario legem vtilitati cedere coëgit: quã quidem fiduciam conscientia illa dedit, quia meminerat omnes leges à se esse seruatas. Non fatigabor, eiusdem facta idemtidem referendo: quoniam nec ille quidem in consimili genere virtutis edendo fatigatus est. diem illi ad populum M. Nævius Trib. Plebis, aut (vt quidã memorant) duo Petilij dixerãt, qui ingenti frequentia, in foriũ deductus, Rostra conscendit, capitique suo corona triumphali imposita, Hac ego, inquit, Quirites, die Carthaginem magna sperantem leges nostras accipere iussi, proinde æquum est vos mecum ire in Capitolium sup-

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

plicatum. Speciosissimam deinde eius vocem æquè clarus euentus sequutus est: siquidem & Senatum totum & universum equestrem ordinem, & cunctam plebem Iouis Opt. Maxi. puluinaria petens, comitem habuit. Restabat, vt Tribunus apud populum sine populo ageret, desertúsque in foro cum magno calumniæ suæ ludibrio solus moraretur, cuius deuitandi ruboris causa in Capitoliũ processit, dégz accusatore Scipionis venerator est factus. Max. li. 3.

De Scipione Æmiliano.

Acuiti spiritus egregius successor Scipio Æmilianus, cùm vrbem præualidam obsideret, suadentibus quibusdam, vt circa mœnia eius ferreos murices spargeret, omniáque vada tabulis plumbatis consterneret, habentibus clauorum cacumina, ne subita eruptione hostes in præsidia nostra impetum facere possent, respondit, non esse eiusdem & capere aliquos velle, & timere. ibidem.

De Liuio Salinatore.

Liuij quoque Salinatoris æternæ memoriæ autoritate tradendus animus: qui cùm Asdrubalem exercitúmque Pœnorum in Vmbria delesset, & ei diceretur, Gallos ac Ligures ex acie sine ducibus & signis sparsos ac palantes, parua manu opprimi posse, respondit, in hoc eis oportere parci, ne hostibus tantæ cladis domestici nuntij deessent. ibidem.

De P. Furio Philo.

Bellica hæc præstantia animi: togata illa, sed non minus laudabilis. quàm P. Furius Philus Consul in Senatu exhibuit. Quintum enim Metellũ, Quintúmque Pompeium Consulares viros vehementer inimicos suos cupitam sibi profectionem in prouinciam Hispaniam, quam sortitus erat, idemtidem exprobrantes, legatos secum illuc ire coëgit: fiduciam non solùm fortem, sed penè etiam temerariã exhibens: quę duobus acerrimis odiis latera sua cingere ausa est vsúmgz ministerij vix tutũ in amicis è sinu inimicorum

petere sustinuit. ibid.

De L. Crasso.

Cuius factum si cui placet, necesse est Lucij etiam Crassi, qui apud maiores eloquẽtia clarissimus fuit, propositum non displiceat. Nam cùm ex Consule prouinciam Galliam obtineret, atque in eam Cnæus Carbo, cuius patrem damnauerat, & ad speculanda acta sua venisset, non solùm eum inde non submouit, sed insuper locum ei in tribunali assignauit, neque vlla de re, nisi eo in consiliũ adhibito cognouit. itaque acer & vehemens Carbo nihil aliud Gallica peregrinatione cõsequutus est, quàm vt animaduerteret sontem patrem suum ab integerrimo viro in exilium missum. ibidem.

De Catone Superiore.

Cato verò Superior sæpenumero ab inimicis ad causæ dictionem vocatus, neque vllo vnquam crimine conuictus, ad vltimum tantum fiduciæ in sua innocentia reposuit, vt ab his qui in quæstionem publicam deductus, T. Gracchũ, à quo in administratione Reipub. in multum odium dissidebat, iudicem deposceret: qua quidem animi præstantia pertinaciam eorum insectandi se inhibuit. ibidem.

De M. Scauro.

Eadem M. Scauri fortuna æquè senectus longa ac robusta, idem animus, qui cùm pro Rostris accusaretur, quòd à Rege Mithridate ob Rempub. prodendam, pecuniam accepisset, causam suam ita egit: Est enim, Quirites, iniquum, cùm inter alios vixerim, apud alios me rationem vitæ reddere. Sed tamẽ audebo vos, quorum maior pars honoribus & actis meis interesse non potuit, interrogare. Varius Sucronensis M. Æmilium Scaurum regia mercede corruptum imperium populi Romani prodidisse ait: M. Æmilius Scaurus huic se affinẽ esse culpæ negat. vtri creditis? cuius dicti admiratione populus Romanus commotus, Varium ab illa dementissima actione pertinaci clamore depulit. ibidem.

Universidad de Deusto Biblioteca

De M. Antonio.

Contra M. Antonius ille disertus. Non enim respuendo, sed amplectendo causæ dictionem, quàm innocēs esset, testatus est. Quæstor proficiscens in Asiā, Brundusium iam peruenerat, vbi literis certior factus incesti se postulatum apud L. Cassium Prætorem, cuius tribunal propter nimiam seueritatē scopulus reorum dicebatur: cùm id vitare beneficio Legis Memiæ liceret, quæ eorum, qui Rei pub. causa abessent, recipi nomina vetabat: in vrbem tamen recurrit: quo tam pleno fiduciæ bonæ consilio tum absolutionem celerem, tum profectionem honestiorem consequutus est. ibidem.

De Senatu Romano.

Sunt & illa speciosæ fiduciæ publica exempla. Nam cùm eo bello quod aduersus Pyrrhum gerebatur, Carthaginenses centum ac triginta nauium classem in præsidium Romanis Hostiam vltro misissent, Senatui placuit, Legatos eorum ad ducem iræ, qui dicerent populum Roma. bella suscipere solere, quæ suo milite gerere posset: Proinde classem Carthaginem reducerent.

Idem post aliquot annos Cannensi clade exhaustis Romani imperij viribus, supplementum exercitus in Hispaniam mittere ausus, fecit ne hostilium locus castrorū tum maximè Capenam portam armis Anniba le pulsante, minoris veniret quàm, si illum Pœni non obtinerent. Ita se gerere in aduersis rebus quid aliud est, quam sæuientem fortunam in adiutorium sui pudore victam conuertere? ibid.

De Accio Poëta.

Magno spatio diuisus est à Senatu ad Poëtam Accium tū situs. Cæterùm vt ab eo decentius ad externa transeamus, producatur in medium. Is Iulio Cæs. amplissimo & florentissimo viro in collegium Poëtarum venienti nunquàm assurrexit, non maiestatis eius immemor, sed quòd in comparatione communium studiorum aliquantò superiorem se esse consideret. quapropter insolētiæ crimine cadit, quia ibi voluminum, non imaginum certamina exercebantur. ibidem.

De M. Catone.

Summam animi sui confidentiam Senior Cato in censura petenda aduersus competitores ostendit. Cùm altiorem conscendens locum, palàm dixit, Romanos mores seuero medico, nō autem molli egere: atque ob hanc rem illos, qui animi morbo laborarēt, quia eis notus esset, ipsius cēsuram deuitare, suffragiáque ad competitores deferre, ne esset qui ipsorum errata corrigeret. Itaque si populo Romano virtus curæ esset, odióque vitia prosequeretur, atque Romanos mores ad priscam frugalitatem restitui vellet, Valerio Flacco sibique censuram deferrent. Baptista Fulg. lib. 3.

De L. Sylla Dictatore.

L. Sylla Dictator post multos ciues patria exactos, sparsumque ciuilibus bellis sanguinem deposita Dictatura, cùm in foro deambularet, interrogatus quomodo tā multis crudeliter, atque auarè perpetratis rebus à tā sublimi loco, vbi imperabat, iterum ad priuatam vitam redire ausus esset, respondit, si necesse esset omniū, quæ in Dictatura gessisset, se rationem redditurum. Quo verbo fortasse innuit, crudelitatem rapinásque, ceu medicinā ad coërcendū seditiosum auarúmque populum necessarias fuisse, vt in grauibus morbis contingere solet. ibi.

De C. Fabritio.

C. Fabritius ab omni leuitate, atque iactantia alienus, quæ virtutis suæ fiducia esset, ostendit, cùm legatus ad Pyrrhum missus ab eo rogatus esset, vt inter duces, atque amicos suos primum vellet accipere locum. Ei enim in aurē respondit, Non hoc, Pyrrhe, ex re tua fieri posset. nam qui nunc virtutē tuam mirati te suspiciunt, téque amant, ac colunt, cùm me exper-

Universidad de Deusto Biblioteca

ti essent, à me potius, quàm à te regi cuperent. Tantumque eius viri existimatio apud Pyrrhũ valuit, vt non modo verbum illud patienter ferret, sed vt verum quoque probans, illi vni captiuos, quorum causa iuerat, dono dederit. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Edgaro Britannorum Rege.

EDgarus Britãnorum Rex, cùm Reges omnes, qui ei parebant, in conuiuium adhibuisset, eique esset relatum, Kinandum Scotorum Regem, cùm eum statura pusillum inspexisset cũ aliis dixisse, nõ mediocriter se mirari, quòd ipse, aliique Reges viri fortes proceroque corpore tam paruo homini subiectos se esse paterẽtur. Nulla prorsus re dicta, venatũ deduxit eum datáque opera, vt solus cum eo ab aliis disiunctus esset, Kinandus alterum è duobus gladiis, quos secum tulerat, obtulit, dixitque fortitudinis eius periculum facere velle, vt sciret an verbis in eo facta responderent. Quare Kinãdus vehementer territus, errori veniam petens tandẽ eam impetrauit. cùm ei Edgarus generoso facto, singularisque virtutis suæ fiducia ostendisset, virtute se, et non sorte electum regnare, ei, vt hoc experiri posset, potestate facta. Bap. Fulg. lib. 3.

De Ioãne Zisca Bohemo.

Cum Ioãnes Zisca Bohemus, quanquam lumine captus, multas de hostibus victorias peperisset, Husitanámque hæresim excitasset, in aduersam valetudinẽ incidit. itaque populi, qui ei parebant, periniquo animo eum casum ferentes, ceu euersam communem salutem deplorabant: ab eóque petebant, quid illis, si, vt verebantur, mortem obiret, faciendum censeret. O inuictũ animi vigorem, nulla vnquam obliuione prætereundum: multis præliis in cæcitate victor euaserat, mortuus quoque ex bellis se victoriam deportaturum rebatur. populis igitur respondit, vt sui mortui corpus excoriarent, atque tympanũ ex pelle facerent, pollicitus, si ad illius tympani pulsum pariter eius nomen inuocarent, hostes eis nunquam repugnaturos: cuius dictum cùm populi abominarentur, exercitus pars duces sibi non perpetuos, vt ipsum, sed ad tempus delegit: pars autem cùm omnes post Ziscam vel vt ignauos spernerent, & propterea eorum tæderet, orphani ab eo tempore appellati fuerunt. ibidem.

De Gregorio VI. Pontifice Maximo.

Gregorius VI. Pontifex Maximus, cùm æger in vitæ discrimine versaretur, scirétque de ipsius acta vita Cardinales male sentire, idque habitis inter se colloquiis eos ostendisse: animi sui conscientia fretus, accersitos ad se Cardinales de iis, quæ dixerant, vehementer increpuit. & cùm efficacissimis rationibus omnem rerum à se gestarũ suspicionem purgasset, vt omnia de se exploratiora essent, hoc addidit, vt defuncti corpus in feretro ante valuas ædis sancti Petri statuerent, eásque antè diligenter clauderent. Quòd si numine corpus sine humana ope in templum introduceretur, malè de ipso cogitata emendarent: sin autem extra templum corpus remansisset, sacra sepultura indignum censerent. Eo mortuo, cum conditio, quam posuerat, seruaretur, omnibus admiratione captis, magna ventorum vi reseratis templi foribus, in templo iacere Gregorij corpus fuit inuentum fiducia profectò Gregorij conscientiæ ingens, & quæ ne temerè iudicemus, retrahere nos debeat: ostendit enim tantò ab humano iudicium differre diuinum, quantò diuinum occultius, atque iustius est. ibidem.

De Ioanne XXIIII. Pontifice Maximo.

Baltasar Cossa Bononiæ, vbi aliquot tempus magna diligentia literis operam nauarat, cùm Romam proficisceretur, rogatus quamobrem Romã tende

ret, vt se Pōtificem faceret (neque id ioco) respondit. Atque haud diu pòst ab Alexandro v. ad cardinalatus honorem euectus, in Pontificatu ei sub Ioannis XXIIII. nomine succesit. ibid.

DE ANIMI MOderatione Græcorum exempla.

De Archyta Tarentino.

Tarentinus Archytas, dum se Pythagoræ præceptis Metaponti penitus immergit, magno labore, lōgóque tempore solidum opus doctrinæ complexus, postquam in patriam reuertitur, ac rura sua reuisere cœpit, animaduertit negligentia villici corrupta, & perdita: intuénsque malè meritum: Sūpsissem, inquit, à te supplicium, nisi tibi iratus essem. Maluit enim impunitum dimittere, quàm propter iram grauius iusto punire. Maxim. lib. 4.

De Platone Philosopho.

Nimis liberalis Archytæ moderatio, temperatior Platonis. nam cùm aduersus delictū serui vehementis exarsisset, veritus ne ipse modum vindictæ despicere non posset, Pseusippo amico castigationis arbitriū mādauit: deforme sibi futurum existimans, si commisisset, vt parem reprehensionem culpa serui & animaduersio Platonis mereretur. ibid.

De Syracusano Dione.

Nequaquam Platoni literarum commendatione par Syracusanus Dion: sed quod ad præstandam moderationem attinet, vehementioris experimenti. Patria pulsus à Dionysio Tyranno, Megaram petierat, vbi cùm Theodorum principē eius vrbis domi conuenire vellet, neque admitteretur, multùm, diúque ante fores retentus, comiti suo, Patienter hoc ferendum est, ait: forsitan enim & nos cùm in gradu dignitatis nostræ essemus, aliquid tale fecimus.

Qua tranquillitate consilij ipse sibi conditionem exilij placidiorem reddidit. ibid.

De Trasybulo.

Thrasybulus etiam hoc loci apprehendendus est, qui populū Atheniensem triginta Tyrannorum sæuitia sedes suas relinquere coactum, dispersámque, & vagam vitam miserabiliter exigentem, animis pariter, atque armis confirmatum in patriam reduxit: insignem deinde restitutione libertatis victoriam clariorem aliquantò moderationis laude fecit. Plebis enim scitum interposuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret. Hæc obliuio concussum & labentem ciuitatis statum in pristinum habitum reuocauit. ibidem.

De septem Sapientibus.

A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus quidam iactum emerat: extracta deinde magni ponderis aurea Delphica mensa, orta controuersia est: illis piscium se capturam vendidisse affirmātibus, hoc fortunæ ductus emisse dicente: qua contentione propter nouitatem rei & magnitudinem pecuniæ ad vniuersum eius ciuitatis populum delata, placuit Apollinem Delphicum consuli, cuinam adiudicari mensa deberet, Deus respondit illi esse dandam, qui sapientia cæteros præstaret. tunc illi consensu Thaleti mensam dederunt: ille cessit eam Bianti, Bias Pittaco, is protinus alij: deinceps que per omnē septem sapientium orbem ad vltimum ad Solonem peruenit, qui & titulum amplissimæ prudentiæ & præmium ad ipsum Apollinem transtulit. ibidem.

De Antiocho.

Antiochus autem à L. Scipione vltra Taurum montem imperij finibus summotus, cùm Asiam prouinciam vicinásque ei gentes amisisset, gratias agere pop. Rom. non dissimulāter tulit, quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis

Universidad de Deusto Biblioteca

regni terminis vteretur: & sane nihil est tam præclarum, aut tam magnificum, quod nõ moderatione temperari desideret.ibidem.

De Aristide Atheniensi.

Cùm Aristides Atheniensis Miltiadésque inter decem Prætores aduersus Dariũ creati essent, & propter ducum multitudinem expeditionem illam corruere animaduerteret (per vices enim ad singulos imperãdi munus transibat) vt ei sors imperandi contigit, partes suas in Miltiadem militaris artis peritißimum transtulit, atque exemplo suo alijs, vt idem facerent, autor fuit. Hac enim animi moderatione sibi præturam ademit, vt patriæ victoriam, quæ de Dario optabatur, traderet.Bap.Ful.lib.4.

De Lydiade Megalopolitano.

Lydiades diu Megalopolis patriæ vrbis possesso imperio, nulla necessitate impulsus, ad priuati hominis statum se contulit, longè pluris priuatum otium faciens, quàm vrbis, in qua natus erat, principatum.ibidem.

De Agide Lacedæmoniorum Rege.

Tam moderato animo fuit Agis quoque Lacedæmoniorũ Rex, vt cùm opibus atque delicijs, quemadmodum plerique regum agere solent, superare alios posset, non solùm augendi fortunas suas desiderio abstinuit, verum renouatis quoque Lycurgi legibus, voluit, vt inter ciues omnes fortunæ æquarentur: & vt à se huius rei exemplum proficisceretur, opes omnes suas in commune transtulit, atque alijs Lacedemonijs se opibus æquauit.ibid.

De Xenocrita Cumea.

Insigne moderationis documentũ Xenocrita Cumea præstitit, cuius opera, cùm Aristotimus, qui vir eius erat, & Cumas tyrannide premebat, occisus fuisset, vellentque eam ciues honore commodisque cumulare, quòd ipsa ob patriæ charitatem & marito, à quo diligebatur, & principatu se priuasset, præ modestia animi omnibus, quæ offerebantur, spretis, solum Aristotimi viri sui corpus ad sepeliendum voluit.ibid.

De Socrate Philosopho.

Nimis moderatum facetúmque se Socrates Philosophus Atheniensis ostendit. Nam cũ insolens atque immodestus iuuenis pugno faciẽ eius percussisset, nihil aliud egit, dixitque, nisi sibi permolestum esse, quòd nesciretur quando cum galea domo egrediendum esset.ibid.

De Aristide Atheniensi.

Aristides Atheniẽsis nullo crimine, inimicorum tantùm inuidia in exiliũ pulsus ostracismi gratia, non, vti plerique fecissent, aduersus patriam ingratósque ciues indignatus, in blasphemiam vllam prorupit: sed cùm Athenas egrederetur, omnibus audientibus Deos rogauit, vt ea felicitate patriã suam complectereẽtur, ne vnquã Aristidem meminisse oporteret.ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De P. Valerio publicola.

P. Valerius, qui populi maiestatem venerando, Publicolæ cognomen assequutus est, cùm exactis Regibus imperij eorum vim vniuersam, omniáque insignia sub titulo consulatus in se translata cerneret, inuidiosum magistratus fastigiũ moderatione sua ad tolerabilẽ habitum deduxit, fasces securibus vacuè faciendo, & in concione populo summittendo, numerum quoque eorum dimidia ex parte minuit, vltro Spurio Lucretio Collega assumpto, ad quem quia maior natu erat, priores fasces transferri iussit, legem etiam Comitijs centuriatis tulit, ne quis magistratus ciuem Romanum aduersus prouocationem verberare, aut ne-

Universidad de Deusto Biblioteca

care vellet. Ita quò ciuitatis cõditio liberior esset, imperium suũ paulatim destruxit. Quid, quòd ædes suas diruit, quia excelsiore loco positæ, instar arcis habere videbãtur? nónne quãtum domo inferior, tantum gloria superior euasit? Maximus libro. 4.

De Furio Camillo.

Vix iuuat abire à Publicola: sed venire ad Furium Camillum libet: cuius tam moderatus ex magna ignominia ad summum imperium transitus fuit, vt cùm præsidium eius ciues capta Vrbe à Gallis Ardeæ exulantis petijssent, non prius Veios ad accipiendum exercitũ iret, quã de Dictatura sua omnia solenni iure acta comperisset. Magnificus Camilli Veientanus triumphus, egregia Gallica victoria: sed ista cunctatio lõgè admirabilior. Multò enim, seipsum, quàm hostem superare operosius est, nec aduersa prospera festinatione fugientem, nec secunda effuso gaudio apprehendentem. ibidem.

De M. Rutilio Censorino.

Par Furio moderatione M. Rutilius Censorinus. Iterum enim censor creatus ad concionẽ populum vocatum, quàm potuit grauissima oratione corripuit, quòd eam potestatem sibi bis detulisset: cuius maiores, quia nimis magna videretur, tempus' coarctandum iudicassent. Vterque rectè, & Censorinus, & populus: alter enim vt moderatè honores crederent, præcepit: alter se moderato credidit. ibidem.

De L. Quintio.

Agè L. Quintius Cincinnatus, qualem C O S. gessit? cùm honorem eius. P. C. continuare vellent, non solùm propter illius egregia opera, sed etiam quòd populus eosdẽ Tribunos in proximum annum creare conabatur, quorum neutrum iure fieri poterat, vtrunque discussit, Senatus studium simul inhibendo, & Tribunos verecũdiæ suæ exemplum sequi cogendo, atque

vnus causa fuit, vt amplissimus ordo populúsque tutus esset ab iniusti facti reprehensione. ibidem.

De Fabio maximo.

Fabius verò Maximus cùm à se quinquies, & à patre, auo, proauo maioribúsque suis sæpenumero cõsulatum gestum animaduerteret, in Comitijs, quibus filius suus summo consensu Consul creabatur, quàm potuit constanter cum populo egit, vt aliquando vacationem huius honoris Fabiæ genti daret, non quòd virtutibus filij diffideret (erat enim illustris) sed ne maximum imperium in vna familia continuaretur. Quid hac moderatione efficacius, aut valentius, quæ etiam patrios affectus, qui potentissimi habentur, superauit? ibid.

De Africano Superiore.

Non defuit maioribus grata mens ad præmia Superiori Africano exoluenda. siquidem maxima eius merita paribus ornamentis decorare conati sunt: voluerunt illi statuas in Comitio, in Rostris, in Curia, in ipsa denique Iouis Optimi Maximi cella ponere: voluerunt imaginem eius triũphali ornatu indutam capitolinis pulvinaribus applicare: voluerunt ei continuum per omnes vitæ annos consulatum perpetuámque dictaturã tribuere, quorum sibi nil, neque plebiscito dari, neque S. C. decerni patiendo, penè tantum in recusandis honoribus se gessit, quãtum egerat in emerendis. ibidem.

De M. Marcello.

At M. Marcellus, qui primus & Annibalem vinci, & Syracusas capi posse docuit: cùm in consulatum eius Siculi de eo questum in vrbem venissent, neque Senatum vlla de re habuit, quia Collega Valerius Leuinus fortè aberat, ne ob id Siculi inquirendo timidiores essent, & vt is rediit, vltro de his admittendis retulit, querentésque de se patienter sustinuit: iussos etiam à Leuino discedere, remanere, vt suæ defensioni in-

Universidad de Deusto Biblioteca

tereſſent, coëgit, ac deinde vtraque parte perorata, etiam excedentes Curia ſubſequutus eſt, quò liberius Senatus ſententiā ferret, improbatis quoque eorum querelis, ſupplices & orātes, vt ab eo in clientelam reciperentur, clementer excepit: ſuper hæc Siciliam ſortitus, eam prouinciam Collegæ ceſſit. Toties laudatio Marcelli variari poteſt, quoties nouis ipſe gradibus moderatione aduerſus ſocios vſus eſt. ibidem.

De C. Claudio Nerone.

Caius quoque Claudius inter cætera præcipuæ moderationis exempla numerandus eſt. Liuij Salinatoris in Aſdrubale opprimendo particeps gloriæ fuerat, & tamen eum triumphātem equo ſequi, quàm triumpho, quem ei Senatus æquè decreuerat, vti maluit, quia res in prouincia Salinatoris geſta fuerat. Sine curru ergo triumphauit, eo quidem clarius, quòd illius victoria tantummodo laudabatur, huius etiam moderatio. ibidem.

De Metello Macedonico

Acerrimè cum Scipione Africano Macedonicus diſſenſerat, eorúmque ab æmulatione virtutis profecta contentio, ad graues teſtatáſque inimicitias progreſſa fuerat. ſed tamen cùm interemptum Scipionem conclamari audiſſet, in publicum ſe proripuit, mæſtóque vultu & voce confuſa, Concurrite, concurrite, inquit, ciues, mœnia noſtræ vrbis euerſa ſunt. Scipioni enim Africano intra ſuos penates quieſcenti nefaria vis allata eſt. O Remp. pariter Africani morte miſeram, & Macedonici tam humana, támque ciuili lamentatione felicem! Eodem enim tempore, & quātum amiſiſſet principem, & qualē haberet recognouit. Idem filios ſuos monuit, vt funebri eius lecto humeros ſubijcerent, atque huic exequiarum, illum honorem vocis adiecit, non fore, vt poſtea id officium ab illis maiori viro præſtari poſſet. Vbi illa tot in Curia iurgia? vbi tam multæ pro Roſtris alter-

cationes? vbi maximorum ciuium, & ducum tantorum togata prælia? omnia nimirum iſta præcipua veneratione proſequenda deleuit moderatio. ibidem.

De Q. Scęuola.

Summū animi temperamentum etiam in Q. Scæuola excellentiſsimo viro adnotandum eſt. teſtis namque in reum productus, cùm id reſpōdiſſet, quod ſalutem periclitantis magnopere læſurum videbatur, diſcedens adiecit: ita ſibi credi oportere, ſi & alij idem aſſeuerasſent: quoniam vnius teſtimonio aliquem credere peſsimi eſſet exempli: & religioni igitur ſuæ debitam fidem, & communi vtilitati ſalubre conſilium reddidit. ibidem.

De Catone Poſteriore.

Tot familiis in vno genere laudis enumeratis Porcium nomen velut expers huiuſce gloriæ ſilentio prætereundū ſe negat. Poſterior Cato non paruo ſummæ moderationis fiſus indicio Cypriacam pecuniam maxima cum diligentia, & ſanctitate in vrbem deportauerat, cuius miniſterij gratia Senatus relationem interponi iubebat, vt prætoris Comitiis extra ordinem ratio eius haberetur: ſed ipſe id fieri paſſus non eſt, iniquum eſſe affirmans quod nulli alij tribueretur, ſibi decerni: ac ne quid in perſona ſua nouaretur, campeſtrem experiri temeritatem, quam Curiæ beneficio vti ſatius eſſe duxit. ibid.

De Marco Bibulo.

M. Bibulus cùm in Syria moraretur prouincia, duos egregiæ indolis filios ſuos à Gabinianis militibus Ægypti occiſos cognouit. Quorum interfectores ad eum vinctos Regina Cleopatra miſit, vt grauiſsimæ cladis vltionem arbitrio ſuo exigeret: at ille oblato beneficio, quo nullū maius tribui lugenti potuerat, dolorem moderationis cedere coëgit, carnificéſque ſanguinis ſui intactos cueſtigio ad Cleopatram reduci iuſsit, di-

cendo potestatem huius vindictæ non suam, sed Senatus esse debere. ibidem.

De Simili præfecto Palatij

Rebus verbisq; ingentem animi moderationem Similis ostendit, cùm deposita Palatina præfectura sub Adriano Cæsare (quæ dignitas Augustorũ magnitudini proxima erat) moriens ordinauit, vt tumulo inscriberetur: Hic iacet Similis, cuius ætas multorum fuit annorum, & tamen ex eis septem solum vixit. Annorum enim in ambitioso magistratu multitudinem, in mortis sorte computauit, solos paucos, quos in priuato otio degit, ad vitam referẽs: quemadmodum rectè æstimantibus verum esse inuenitur. Bap. Fulg. lib. 4.

De Germanico Cæsare.

Moderatissimo animo Germanicus Cæsar fuit Caligulæ Imperatoris pater. nã cùm post Augusti mortẽ exercitus Imperatorem creare eum vellet (Tiberij enim crudelitatẽ abhorrebat) priuatã agere vitam contentus, magna vi, ne id ageret, obstitit. ibid.

De Triario Materno.

Triarium Maternum post Commodi Imperatoris mortem, quia Pertinax senior, & propterea tanto oneri parum idoneus videbatur, exercitus creare Imperatorem volebat: retinentibus eum militibus, & electione hortantibus assentiri, relicta veste, quam milites apprehenderant, nudus ab eis profugit. ibidem.

De Sallustio Palatij præfecto.

Cum occiso in Persica pugna Iuliano Romanum imperium ad interregnũ venisset, magnis precibus egit vniuersus exercitus apud Sallustium Palatinam præfecturam sustinentem, qui non solùm diligens, verùm etiã audacis animi vir erat, vt imperij honorem suscipere vellet. Sed frustra laboratum est, Sallustio parum prosperam valetudinem seniumque excusante:

quæ res exercitum mouit vt Iouinianum ferret, qui nulla publica autoritate eum honorem vsurpauit. ibidem.

De Aurelio Diocletiano Imperatore.

Diocletianus cùm virtute partum imperium multos annos rexisset, ingentique animo tueretur vt senio grauari se sensit, ne ipsius imbecillitate imperium euerteretur, in eorum manu deposuit, qui se iuniores erant, ac magis prospera valetudine vtebantur. Se autem apud Solonas vrbem in priuati hominis statum cõtulit: vbi cùm multos egisset annos, hortantibus Maximiliano atque Galerio, vt imperium resumeret, rescripsit, si herbarum ordinem, quas ipse in horto suo seuerat, viderent, nunquam ipsos de resumendo imperio mentionem ei facturos. Nam cùm inter rarissimos fuerit, qui bene imperare scirent, sapientérque priuatam agerent vitam, multos in ancipiti constituit, qua re is se maiorem ostenderit, acquirendóne, ac regendo imperio, an illo sponte sua deponendo. Longè enim plus se imperium egere, quàm se imperio ostendit. ibidem.

De Alexandro Seuero Imperatore.

Fœmineæ ambitioni leuitatique puerorum ætas satis congruere videtur. Nam quod muliebris præter rationem sexus appetit, id in pueris annorum infirmitas frænare non nouit. Hoc igitur facit, vt satis Alexandrum Seuerum mirari nequeamus, qui vix annos sexdecim natus, cùm à Senatu Imperator creatus ob virtutis magnitudinem patriæ quoque parentis & Magni cognomine decoraretur, nunquam in animum, vt hos acciperet honores, induxit. oportere enim aiebat, vt res gestæ maturiórque ætas ea nomina pararent. Nomina igitur, quæ alij ad honestandam fortunam omnibus studiis ascisceré sibi laborarunt,

ipse adolescens adhuc oblata singulari animi moderatione non admisit. Sed ne coniugem quidem pretiosioribus vti gemmis, quàm cætere Romanę ciues, permisit: & si quæ dono datæ erãt, eas vel vendi iussit, vel templis donauit. affirmabat enim minimè se velle, vt à coniuge sua pomparum atque profusionum exempla proficiscerentur. ibidem.

De eodem.

Idem adeò Senatum Legésque in honore habuit, vt se penè æqualem aliis faceret. quod cùm ei à matre atque coniuge obijceretur, diceretúrque ab eo Augustalis maiestas ad imũ atque in ordinem nimis redacta, is respondit, tutiorem se duraturámque magis eam fecisse. Neque enim amori minus virium dabat, quàm alij armis, timorique concessissent: nec minus quietis illi ob modestiã suam, quàm ijs, qui contrà sentirent, angustiarum & molestiæ ex insolentia prouenit. ibidem.

De Augusto.

Moderatissimum quoq; Augustus se ostendit, cùm lata lege, qua iudicandi de adulteriis forma statuebatur, apud eum adolescens perpetrati cum Iulia filia adulterij accusaretur: indignationis enim doloriſq; magnitudine compulsus, manu sua cædere adolescentem cœpit. Cùm autem is contrà exclamaret, violari ab Augusto legem, quam de adulteriis sanxerat, repentè eius ira concidit, adolescentémque dimisit. Atque eo die præ dolore cibo abstinuit, adeò grauiter à se erratum duxit, cùm legem, quam condiderat, ipse violasset. Nam quanquam legibus præesset, æquum tamen ducebat, non minus se, quàm alios legibus parêre. ibid.

De Adriano Imperatore.

Ælius Adrianus Imperator quo die ad imperij culmen euectus est, cuidam, quocum graues exercebat inimicitias, & propterea noui imperij magnitudine is vehementer ter-

ritus erat, palàm dixit, Euasisti. eo enim verbo singularique animi moderatione ostendit, minimè conuenire, cùm publicam induisset personam, priuatas amplius vlcisci inimicitias velle. ibidem.

De Paulo Æmilio & Cn. Pompeio.

Paulus Æmilius captiuum Perseum Macedonum regem, cùm ad genua sua procumbere vellet, eũ dextra manu subleuauit, quem et mensæ et lateri suo voluit assidere. Eadem quoque clementia vsus est Cneus Pompeius erga Tigranẽ hostem Armeniæ Regẽ, cui diadema, quod ad misericordiam mouendam abiecerat, resumere præcepit, eum in regnum & pristinã sedem benignus restituens. Guido Exemlporum lib.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Vraia Gottho ac Ludouico Turingiæ Lantgrauio.

Quis in Barbaro tantam animi modestiam inueniri posse crederet, quantam Vraia Gotthus ostedit? Nã post Vitigem Gotthorum Regem patruum bello captum, quem Bellissarius Constantinopolim captiuum miserat, cùm ad Vraiam ob singulares virtutes Gotthi regnum deferrent, minimè assentiri voluit. affirmabat enim quanquam captiuus esset Vitigis patruus, tamen quia Gotthorũ legitimus Rex esset, locum eius dum viueret, quia iniustè id fieret, occupaturum non esse. itaque cùm Gotthi sine Rege manere nollẽt, Idualdum pro eo Regem crearũt. Pius quoque Pontifex scribit, ætate sua Ludouicum Turingiæ Lantgrauium ad imperatoriam maiestatem electum, virum armis clarum, iustitiáque insignem, cùm literas se nescire excusaret, rẽ imperio pernecessariam, electione de se facta vti noluisse. Bap. Fulg. lib. 4.

De Ioanne Armeniæ Rege.

Quis Ioannem Armeniæ Regem, nisi impius præterea,

moderatúmque ipsius animum silere poßit? Nam clemente v. Pontifice relicto Leoni nepoti regno, eremum solus incolere potius, quàm regno vti maluit. Cùm autem postea Turcæ Armeniam infestarent, maléque Leo eam tueretur, à populis regnum sumere coactus, magno animo diu defendit, ostendens neque animi paucitate, neque inertia impulsum antea se regnum reliquisse, neque postea ambitione aut leuitate resumpsisse. ibidem.

De Iua Britanniæ Rege & Gelulfo.

Iuas Britannorum Rex vxoris Ethelburgæ hortatu, relicto regno, Romam profectus, eremiticam duxit vitam. id quod Etelnolphus quoque post eum egit, relicto Egiberto fratri patrueli regno. ibidem.

De Ambrosio Mediolanensi Episcopo.

Ambrosius Romanus patritius, cùm Mediolanensem præfecturam gereret, videretque à populo Mediolanensi ad se deferri episcopatum, abiectiore vitæ genere contentus, sequenti nocte Mediolano profugit. Cæterum à populo retractus, coactúsque episcopatum assumere, ea integritate virtutéque administrauit, vt postea eius memoriam ceu sanctissimi hominis Mediolanensis ciues semper coluerint. ibid.

De Benedicto III. Pontifice.

Eadem modestia vsus est Benedictus III. Pontifex Maximus, qui post Leonem cùm ad pontificatum vocaretur, diu lachrymis restitit, dum se tanto honore indignum diceret: se tandem eum honorem assumere coactus, ita gessit, vt electionis autores nunquam pœniteret. ibidem.

De Nicolao I. Pontifice Maximo.

Benedicto Nicolaus I. vt in pontificatu, ita in animi quoque moderatione successit. Nam cùm ad pōtificatum se electum intelligeret, clàm ab vrbe Roma profugit, magnóque labore à Romanis inuentus, maiori vi collatum vt vellet accipere pontificatum, cogi vix potuit. ibidem.

De Petro Damiano atque Andrea ordinē Minorum profitente.

Petrus Damianus, qui cardinalatus honore insignis, Hostiensis episcopatus titulum gerebat, pontifice Gregorio VII. cardinalatus dignitati, atque eius pompæ lōgè maiori animo, quàm plerique eam parare nitātur, renuntiauit, atque in eremum se transtulit: sapiēter intuitus quot labores malág, cardinalatus purpura tegat: contráque quantum quietis ac bonæ spei, eremus polliceatur. Andreas quoque Minorū ordinem professus, modestiæ plenus ingēti animo cardinalatū obtinuit, quem ei patruus Alexander IIII. offerebat. ibidem.

De Cælestino V. Pontifice Maximo.

Mortuo Nicolao IIII. cùm iam biennium interregnum cōtinuaret, sacer Senatus, quòd discors de noui Pontificis electione cōtendebat, demum Petrum Muronum omnibus suffragiis elegit. Cùm autem diu laboratum esset, vt is delatum acciperet honorē, spreta omni pompa, quantum fieri poterat, seruare eremiticæ vitæ, quam antea degebat, formam nitebatur, tandémque pontificias curas, fastúmque abhorrens, nulla necessitate compulsus, quin potius multis contrà nitentibus, atque id ne ageret, obstantibus, post quintum mensem pontificatum solenni ritu seruato, in Cardinalium manu deposuit, eremiticámque vitam, atque habitum resumpsit. ibidem.

De Hilarione Palæstino.

Diligentiæ quæ ad gloriæ euitationem pernecessaria est, clarum Hilario Palæstinus exemplum proposuit. Qui relicta patria in Ægyptum, vbi olim Antonius abbas erat, cùm se contulisset, post aliquod tempus

in patriam rediit, vbi cùm mẽtis suæ quietem concurrentium ad ipsum hominum multitudine impediri videret, iterum in Ægyptum profectus est. Hic quoque haud diu mansit, cùm ob virtutis magnitudinem in honore haberi se atque coli videret. Itaque vt id gloriæ deuitaret, clàm Siciliam traiecit, vbi nullo alio adiumento vitam trahebat, nisi quantum paucula ligna, quæ orando defessus, à monte in vrbem vendenda ferebat, subministrare poterant. Cùm illic quoque cognitus in honore haberi cœptus esset, ad vrbem Epidaurum in Dalmatiam se cõtulit, vt illic occultior esset. Verùm ceu sol, qui quanquàm signa mutet, mortalibus tamen semper fulget, cùm illic quoque nosci cœpisset, eúmque homines sequerentur, gloriam fugiens (quæ non secus ac pestis bonorum animos inficere solet) in Cyprum nauigauit: vbi tùm ea mentis tranquillitate quam cupiebat, degere non posset, desertum quendam illius insulæ montem conscendit, vbi & fugiendi & viuẽdi finem fecit. His erroribus actus duntaxat, vt id fugeret quod plerique inter mortales adipisci laborant, gloriam videlicet, & magnam famam, quæ, quò ipse lõgius abibat, illa instantius sequebatur: quanquàm verò sæpe fallax soleat esse, tunc vera ceu tuba multiplici ore, Hilario de virtutum tuarum magnitudine populis reuelabat, quæ tu præ modestia tegere laborabas. etenim Diuinitus hoc videretur, vt gloria propter Deũ eam fugientibus, aut dum viuunt, aut saltẽ post fata cumulatior referatur. secus autem hos, qui famæ nimium appetentes sunt, multis experimentis cognitum est, & in vita & in morte obscuros mansisse. ibid.

De Ioanne Particiaco, qui Baduerius dictus est, Venetiarum duce.

Modestiã animi singularem Ioãnes Particiacus Venetorum dux ostendit, qui sexto anno post initum ducatum, cùm nihil eum vrgeret, sponte sua deposito honore, ad priuatam rediit vitam. Cui cùm Petrus Candianus successisset, atque prælio cum Sclauis commisso, occisus esset, cogente populo denuo Ioãnes ducatum resumpsit, vtq; in eo sex tantùm menses commoratus, dum ciuiles quasdam seditiones componeret, denuo domum suam in priuatam abiit vitam. ibidem.

De Alberto Bauariæ Duce.

Moderati enim animi exemplum, quod silẽtio præteriri non debeat, Alberti Bauariæ ducis fuit. Nam cùm ingens ad eum legatio totius Bohemiæ populorum nomine profecta esset, ostenderétque mortuo ipsorum Rege Alberto Austrio, qui Ladislaum infantem filium in cunis reliquerat, quia tandiu expectare infantis grandiorem ætatem populi nollebant, ipsum omnibus suffragiis, ab omnibus populis Regem electum esse: ipse ingenti moderatóque animo renuit, ac multis sanctè facundéque in hanc sententiam dictis, populos vt Regem suũ paruum expectare vellent, hortatus est. O animum verè excellentem, & laudibus omnibus celebrandum, qui meo quidem iudicio, dum oblatum spreuit regnum, non minor fuisse, quàm Alexander appetendo, censeri debet: illud quidem haud dubium erit honestiorem sanctiorémque Alexandro fuisse. ibidem.

De Friderico Marchione Brandeburgensi.

Par quoque Brandeburgensis Friderici modestia fuit, cùm vacante Poloniæ regno Vladislai morte, per legatos ad regnum accersitus, vt pote qui inter eos nutritus plurimum diligebatur, accipere abnuit, hortatus populos, vt Cazimutũ Lituaniæ ducem defuncti Regis fratrem, quia id æquius erat, regimen acciperet. ibid.

De Ioanne Gualberto equite Florentino.

Ioãnes Gualbertus eques Flo

rentinus, cum ex agro in vrbem magno hominum numero comitante rediret, eique fortè obuius esset is, à quo haud multò antè frater, quem solum habebat, fuerat occisus, neque diuertere posset Ioannes, iã gladiũ, vt fraternã necẽ vlciscereturſ, strinxerat: sed cùm humi prostratus fraternæ necis autor, vt sibi ob Christi crucifixi reuerentiam parceretur, oraret, singulari modestia Ioãnes iram compescuit, atque illum gladiúmque, quem vlciscendæ iniuriæ gratia strinxerat in templum, quòd primum offendit deduxit, et Crucifixi imagini, quam in eo vidit, vtrunque præsentauit. Mira res: sed tamen vera narratur, scilicet Christi imaginem cernentibus omnibus, qui aderant, demisso capite, aperta signa dedisse, omissæ gratia sua vltionis munus acceptum, atque gratum habere. Quod factum ita Ioannis quoque animum pupugit, vt relicta patria, relictis fortunis, & seculari vita princeps condendæ congregationis, quæ sub Vmbrosæ Vallis nomine cẽsetur, perhibeatur fuisse. imago autem, quæ hoc fecisse dicitur, postea singulari veneratione in Sancti Miniati fano haud longè ab vrbe Florentina asseruata est. ibidem.

DE CENSORIA nota Romanorum exempla.

Camillus et Posthumius Censores ærarium pœnæ nomine eos, qui ad senectutem cælibes peruenerãt, in ærarium deferre iusserunt: iterum puniri dignos, si quo modo de tã iusta constitutione queri sunt ausi, cùm in hunc modum increparentur, Natura nobis quemadmodum nascendi, ita gignendi legem scribit, parentesque vos alendo, nepotum nutriendorum debito (si quis est pudor) alligauerunt. Accedit etiam iis, quòd in Fortuna longã præstandi huiusce muneris vacationẽ estis assequuti: cùm interim consumpti sunt anni vestri, & mariti & patris nomine vacui. Ite igitur, & nodosam exoluite stipem vtilem posteritati numerosæ. Maximus lib. 2.

De M. Valerio Maximo & C. Iunio.

Horum seueritatem M. Valerius Maximus, & C. Iunius Brutus Bubulcus Censores in consimili genere animaduersionis imitati, L. Antonium Senatu mouerunt, quòd quã virginẽ in matrimonium duxerat, repudiasset, nullo amicorum in consilium adhibito. At hoc crimen nescio an superiori maius: illo nanque coniugalia sacra spreta tantùm, hoc etiam iniuriosè tractata sunt. Optimo ergo iudicio Censores indignũ eum aditu Curiæ existimarũt. ibidem.

De Porcio Catone.

Sicut Porcius Cato L. Flaminium, quem è numero Senatorum sustulit, quia in prouincia quendam damnatum securi percusserat, tempore supplicij ad arbitrium & spectaculũ mulierculæ, cuius amore tenebatur, electo. & poterat inhiberẽ respectu Consulatus, quem is gesserat, atque autoritate fratris eius T. Flaminij: sed & Cẽsor & Cato duplex seueritatis exemplum eò magis illum notandum statuit, quòd amplissimi honoris maiestatem tam tetro facinore inquinauerat, neque dignum pensi duxerat ijsdem imaginibus ascribi, meretricis oculos humano sanguine delectatos, & Regis Philippi supplices manus. ibidem.

De Fabricio Lucino.

Quid de Fabricij Lucini censura loquar? narrauit enim omnis ætas, & deinceps narrabit, ab eo Corn. Rufinum duobus consulatibus & dictatura speciosissimè functum, quòd decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum in ordine senatorio retentum non esse. Ipsæ medius fidius mihi literæ seculi nostri obstupescere videntur, cùm ad tantam seueritatem referendã

Universidad de Deusto Biblioteca

ministerium accommodare coguntur, ab vereri, ne non nostræ Vrbis astu cõmemorare existimentur. Vix enim credibile est intra idem pomerium decem pondo argenti, & inuidiosum fuisse censum, & inopiam haberi contemptissimam. ibid.

De M. Antonio & L. Flacco.

Marcus autẽ Antonius & L. Flaccus Censores Duronium Senatu mouerunt, quòd legem de coërcẽdis cõuiuiorum sumptibus latam Tribunus plebis abrogauerat, mirifica notæ causa. Quàm enim imprudenter Duronius Rostra conscendit, illa dicturus? Freni sunt iniecti nobis, Quirites, nullo modo perpetiendi, alligati & constricti estis amaro vinculo seruitutis: lex enim lata est, quæ nos esse frugi iubet. abrogemus igitur istud horridæ vetustatis rubigine obsitum imperium: etenim quid opus est libertate, si volentibus luxu perire non licet? ibidem.

De M. Attilio Regulo, & L. Furio.

M. Attilius Regulus & L. Furius Philippus cos graui nota affecerunt, qui cùm in potestatem Annibalis venissent, legati ab eo missi, ad Senatum de permutandis captiuis, neque impetrassent quod petebant, in Vrbe manserunt: quia & Romano sanguini fidem præstare conueniens erat, & M. Attilius Regulus censor perfidiam notabat. cuius pater per summos cruciatus expirare, quàm fallere Carthaginenses satius esse duxerat. Iam hæc censura ex foro in castra transcendit, quæ neque timeri, neque decipi voluit hostem. ibidem.

De Romanis.

Apud Romanos qui agrum sordescere patiebatur, & eum indiligenter curabat, qui demũ arborem vineámque suam habuerat derelictui, non is sine pœna fuit, sed erat opus Censorium, ærariumque Censores faciebant. Is etiam eques, qui gracilentum equum aut parum nitidum habere visus erat, impolitiæ & incuriæ notabatur. Guido Exemplorum lib.

DE DISCIPLINA militari, Græcorum exempla.

De Mithridate Rege.

Mithridates Rex Põti magno prælio à Lucullo victus, cũ acie egressus ita fugeret, vt hostem haberet vestigio hærentem, multũ auri onus sequentibus abiecit. Cæterùm dum Romanus prædæ cupidus aurum diripit, maiorem prædã è manibus labi passus est. Sabel. lib. 6.

De Annibale Barchino.

Nullius hostium sæpius vicit Romanos, quàm Annibal Barchinus, sed Punico astu potius, quàm viribus. arte ad Trebeiam vicit, arte ad Trasimenum & Cãnas: & ipse magna quidem arte à Fabio interclusus, maiore aliquantò Romanum præsidium, quod abire volenti fuerat obiectum, ludificatus, per Cassinatem saltum in apertũ euasit. Ludibrium dici possit, quod bobus sarmentis ad cornua incensis in aduersum montem ab hoste obscura nocte adactis, Romanus miles noua specie territus præsidio abcesserit. ibidem.

De eodem.

Idem fractis Carthaginensiũ opibus, patria pulsus, ad Antiochum Syriæ regẽ profectus est, cui nauale m aduersus Romanos victoriam noua arte comparauit. Romanam classem vi serpentium ingenti adortus, quos figulinis inclusos dolijs medio certamine in aduersum hostẽ ex improuiso effudit: quo metu subita trepidatio extitit, ex trepidatione pugnæ obliuio, ex obliuione turpis fuga orta est. ibidem.

De Carthaginensibus.

Carthaginensium Senatus in

militiæ negotijs procurandis summa fuit violẽtia, à quo duces bella prauo consilio gerentes, etiamsi prospera fortuna subsequuta esset, cruci tamen affigebantur: quòd bene gesserant, Deorum immortalium adiutorio, quòd malè commiserant, ipsorũ culpæ imputantes. Max. lib. 2.

De Clearcho.

Clearchus verò Lacedæmoniorum dux egregio dicto disciplinam militiæ continebat, idẽtidem exercitus sui auribus inculcando à militibus Imperatorem potiusquam hostem metui debere: quod apertè denuntiabat futurum, vt spiritum pœnæ impenderent, quem pugnæ acceptum ferre dubitassent: idque à duce præcipi non mirabãtur, maternarum blanditiarum memores, quæ exituros eos ad præliandum monebant, vt aut viui armis in conspectum earũ venirent, aut mortui in armis referrentur. Hoc intra domesticos parietes accepto signo Spartanæ acies dimicabant. ibid.

De Agathocle rege Syracusarum.

Agathocles Syracusarũ Rex audacter callidus. Cùm enim vrbem eius maiore ex parte Carthaginenses occupassent, exercitum suum in Africã traiecit, vt metum metu, vim vi discuteret: neque sine effectu. nã repentino eius aduentu perculsi Pœni libenter incolumitatem suam salute hostium redemerunt: pactique sunt, vt eodẽ tempore & Africa Siculis, & Sicilia Punicis armis liberaretur. Agathocles autẽ Syracusarum mœnia si tueri perseuerasset, illa belli malis vrgerentur: bona pacis fruenda securæ Cathagini reliquisset: nũc inferendo quæ patiebatur, dum alienas potius lacessit opes, quã suas tuetur, quòd æquiore animo regnum deseruit, eò tutius recepit. Max. lib. 7.

De Lacedæmoniis.

Lacedæmonij Isadam puerũ adhuc, quem lex nondum ad pugnam vocabat, quoniam exiliẽs gymnasio strenuum se præstiterat, corona donauerũt: quoniam verò nondum ætate postulante, cum insolitis armis in hostes irruerat, pœna affecerũt. Ælianus.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Marco Bruto.

Fabulosum videri possit, & citra fidem memoriæ proditum, Imperatorem Romani exercitus, & Stoicæ disciplinæ virum retibus hostes expiscatum vincẽdi cupiditate. M. Brutus cùm Lycios trans Xanthum annem compulsos vrbe excluisset, indicio comperit, subter aquam nando, vrbem repetere. tetendit itaque occultè retia cum tintinnabulis supernè appositis, quo indicio incidisse hostes in retia significaretur: multi per hunc modum capti sunt, cæteri à simili conatu deterriti, extorres esse maluerunt. Sabel. lib. 6.

De Scipione.

P. Cornelius Scipio, cui deleta Carthago auitum cognomen dedit, Consul in Hispaniã missus, vt insolentissimos Numantinæ vrbis spiritus, superiorum ducum culpa nutritos, contunderet, eodem temporis momento, quo castra intrauit, edixit, vt omnia ex his, quæ voluptatis causa comparata erant, auferrentur, ac summouerentur. Nam constat tum maximum inde institutorum & lixarum numerum cum duobus millibus scortorum abijsse. Hac turpi ac erubescenda sentina vacuefactus exercitus noster, qui paulò antè metu mortis deformi sè fœditatis ictu maculauerat, erecta virtute recreatáque acrẽ illam & animosam Numantiam incendijs exustam, ruinisque prostratam solo æquauit. Itaque neglectæ disciplinæ militaris indicium Mancini miserabilis deditio, seruatæ merces, speciosissimus Scipionis triũphus extitit. Max. lib. 2.

De Metello.

Eius sectam Metellus sequu-

tus cùm exercitum in Africa, Iugurthino bello nimia Spurij Albini indulgentia corruptum Consul accepisset, omnibus imperij neruis ad reuocandam pristinæ disciplinam militiæ connixus est: nec singulas partes apprehendit, sed totam continuò in statum suũ redegit. Protinus nanque lixas è castris submouit, cibúmque coctum venalem proponi vetuit, in agmine neminem militum ministerio seruorum iumentorúmque, vt arma sua & alimenta ipsi ferrent, vti passus est, castrorum subinde locum mutauit, eadem tanquam Iugurtha semper adesset, vallo fossáque aptissimè cinxit. Quid ergo restituta continentia? quid repetita industria profecit? crebras scilicet victorias, & multa trophæa peperit ex eo hoste, cuius tergum sub ambitioso Imperatore Romano militi videre non contigerat. ibidem.

De Cotta.

Et C. Cotta P. Aurelium Pecuniolam sanguine sibi iunctum, quem obsidioni Liparitanæ ad auspicia repetẽda Messanam transiturus præfecerat, virgis cæsum militiæ munere inter pedites fungi coëgit, quòd eius culpa ager incensus, & penè castra erant capta. ibidem.

De Posthumio Tiburto & T. Manlio Torquato.

At nostra Vrbs, quæ omni genere mirificorum exemplorũ totum orbem terrarum repleuit: Imperatorum proprio sanguine manantes secures, ne turbato militiæ ordine vindicta deesset, è castris publicè speciosas priuatim lugubres duplici vultu recepit, incerta, gratulandi prius, an lugendi officio fungeretur. Igitur ego quoque hæsitanti animo vos bellicarum rerũ seuerissimi custodes, Posthumi Tiburte, & Manli Torquate, memoria ac relatione complector: quia animaduerto fore, vt pondere laudis, quam meruistis, obrutus magis imbecillitatem ingenij mei detegam, quàm vestram virtutem, sicut par est, repræsentem. Tu

nanque Posthumi dictator A. Posthumium, quem ad generis penetraliúmque sacrorum successionem propagandam genueras, cuius infantiæ blandimenta sinu atque osculis foueras, quem puerum literis, quem iuuenem armis instruxeras, sanctum, fortem, amantem tui, pariter ac patriæ, quia non tuo iussu, sed sua sponte præsidio progressus, hostes fuderat, victorem securi ferire iussisti, & ad hoc imperium peragendum paternæ vocis ministerio sufficere valuisti: nam oculos tuos (certum scio) clarissima in luce tenebris offusos ingens opus animi intueri nequiuisse. Tu item Manli Torquate, Latino bello Cons. filium, quòd prouocatus à Geminio Metio Duce Thusculanorum ad dimicandum te ignaro descenderat, gloriosam victoriam, & speciosa spolia referentem, abripi à lictore & in modum hostiæ mactari iussisti: satius esse iudicans, patrem forti filio, quàm patriam disciplina militari carere. ibidem.

De Papyrio.

Papyrius dictator cùm aduersus imperium eius Q. Fabius Rutilianus magister equitum exercitum in aciem eduxisset, quanquam fusis Samnitibus in castra redierat: tamen neque virtute eius, neque successu, neque nobilitate motus, virgas expediri, eúmque nudari iussit. O spectaculum admirabile, & Rutilianus, & magister equitum, & victor scissa veste, spoliatóque corpore, lictorum se verberibus lacerandum præbuit, vt in acie exceptorum vulnerum nodosis ictibus cruore renouato, victoriarum quas modò speciosissimas adeptus erat, titulos respergeret: precibus deinde sui exercitus occasionem Fabio confugiendi in vrbem dedit, vbi frustra Senatus auxilium implorauit. Nihilominus enim Papyrius in exigenda pœna perseuerauit: itaque coactus est pater eius post dictaturam, tertiúmque consulatum rem ad populum deuocare,

auxiliumq; Tribuni plebis supplex pro filio petere, neque hac re seueritas Papyrij refrænari potuit. Cæterum cùm ab vniuersis ciuibus & Tribuno plebis rogaretur, testatus est non pœnam illam se Fabio, sed populo Rom. & Tribu. concedere potestati. ibidem.

De Q. Metello.

Q. Metellus, cùm apud Trebiam res gereretur, collocatas à se in quadam statione quinque cohortes, atque ex ea viribus hostium depulsas repetere eãdem stationem euestigio iussit, non quòd speraret ab his amissum locum recuperari posse, sed vt præteritæ culpam pugnæ insequentis certaminis manifesto periculo puniret. Edixit etiam, vt si quis ex his fugiens, castra petiisset, pro hoste interficeretur: qua seueritate compressi milites corporibus fatigatis, & animis desperatione vitæ implicatis, loci tamen iniquitatem multitudinémque hostium superarunt. Humanæ igitur imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas. ibid.

De Q. Fabio.

In eadem prouincia. Quintus Fabius Maximus ferocissimæ gentis animos contundere, & debilitare cupiens, mansuetissimum ingenium suum ad tempus deposita clementia sæuiore vti seueritate coëgit. Omnium enim, qui ex præsidiis Rom. ad hostes transfugerant, captique erant, manus abscidit, ac truncą præ se brachia gestantes, metum defectionis reliquis iniicerent: rebelles itaque manus à corporibus suis distractæ, inque cruentato solo sparsæ, cæteris ne idem committere auderent, documento fuerunt. ibidem.

De Africano Superiore.

Nihil mitius Superiore Africano: is tamen ad firmãdam disciplinam militarem aliquid ab alienissima crudelitate sibi amaritudinis mutuãdum existimauit. Siquidẽ deuicta Carthagine, cùm omnes qui ex nostris exercitibus ad Pœnos trãsierant, in suam potestatem redegisset, grauius in Romanos, quam in Latinos transfugas animaduertit. Hos enim tanquam patriæ fugitiuos crucibus affixit: illos autem tanquam perfidos socios securi percussit. Non prosequar hoc factum vlterius, & quia Scipionis est, & quia Romano sanguini quanuis meritò perpesso seruile supplicium insultare nõ attinet: cùm præsertim transire ad ea liceat, quæ sine domestico vulnere gesta narrari possunt. ibidem.

De Senatu.

Agè quàm grauiter Senatus tulit, quòd Quintum Petilium COS. fortissimè aduersus Ligures pugnantem occidere milites passi essent? Legioni neque stipendium anni procedere, neque æra dari voluit, quia pro salute Imperatoris hostium telis se non obtulerant, idque decretum amplissimi ordinis speciosum, & æternum Petilij monimentum extitit, sub quo in acie morte, in Curia vltione clari cineres eius acquiescunt. ibidem.

Aliud eiusdem.

Consimili animo cùm ei Annibal sex milliũ Romanorum, quæ capta in castris habebat, redimendorum potestatem fecisset, conditionem spreuit, memor tantam multitudinem armatorum iuuenum, si honestè mori voluissent, turpiter capi non potuisse. quorum nescio vtrum maius dedecus fuerit, quòd patria spei, an quòd hostis metus nihil in his reposuerit: hæc pro se, ille ne aduersus se dimicarent, parui ducendo. ibid.

De Tullo Hostilio.

Omnibus militaribus copiis Tullo Hostilio Fidenas aggresso, quæ surgentis imperij nostri incunabula crebris rebellationibus torpere passæ non sunt, finitimisq; trophæis ac triumphis alitam virtutem eius spes suas promouere vlterius docuerunt: Metius Suffetius Dux

Albanorum dubiam, & suspectam semper societatis suæ fidem repentè in ipsa acie detexit: detecto enim Romani exercitus latere, in proximo colle consedit, pro adiutore speculator pugnæ futurus, vt aut victis insultaret, aut victores fessos aggrederetur. Non erat dubiũ quin ea res militũ nostrorũ animos debilitatura esset, cùm eodem tempore, & hostes confligere, & auxilia deficere cernerent. itaque ne id fieret, Tullus prouidit: concitato enim equo pugnantium globos præcurrit, prædicans suo iussu secessisse Metium, eúmque, cùm ipse signum dedisset, inuasurũ Fidenatium terga, quo imperatoriæ artis consilio metum fiducia mutauit, próque trepidatione alacritate suorũ pectora repleuit. idem lib. 7.

De Sexto Tarquinio.

Sextus Tarquinius Tarquinij filius indignè ferens, quòd patris viribus expugnari Gabij nequirent, valentiorem armis excogitauit rationem, qua interceptum id oppidum Romano imperio adijceret. Subitò namque se ad Gabios contulit, tanquam parentis sæuitiam, & verbera, quæ voluntate sua perpessus erat, fugiens, ac paulatim vniuscuiusque fictis, & compositis blanditijs alliciendo beneuolentiam, vt apud omnes plurimum posset, consequutus, familiarem suum ad patrem misit, indicaturum quemadmodum cuncta in sua manu haberet, & quæsiturum quidnam fieri vellet. Iuuenili calliditati senilis astutia respondit. Siquidem re eximia delectatus Tarquinius, fidei autem nuntij parum credens, nihil respondit, sed ducto eo in hortum, maxima & altissima papauerum capita baculo decussit. Cognito adolescens silentio patris, simul ac facto causam altius argumẽti peruidit, nec ignorauit, præcipi sibi, vt excellentissimũ quẽq; Gabinorũ aut exilio submoueret, aut morte consumeret. Ergo spoliatã bonis propugnatoribus ciuitatem tantùm non vinctis manibus ei tradidit. ibidem.

De Romanis.

Illud quoq; à maioribus & cõsilio prudẽter, & exitu feliciter prouisum: cum enim vrbe capta Galli Capitoliũ obsiderẽt, solãq; potiendi eius spem in fame eorũ repositam animaduerterẽt, perquam callido genere consilij Romani vsi, vnico perseuerãtiæ irritamento victores spoliauerũt: panes enim iacere compluribus ex locis cæperunt. Quo spectaculo obtupefacti, infinitamq; frumenti abundantiam nostris superesse credentes, ad pactionem omittendæ obsidionis compulerunt. ibidem.

De Claudio Nerone, & Liuio Salinatore.

Cùm alterum Italiæ latus Annibal laceraret, alterum inuasisset, Asdrubal, ne duorum fratrum iunctæ copiæ intolerabili onere fessas simul res nostras vrgerent, hinc Claudij Neronis vegetum consilium, illinc Liuij Salinatoris inclyta prouidentia effecit. Nero enim compresso à se in Lucanis Annibale, præsentiam suam (quoniam ita ratio belli desiderabat) mentitus hosti, ad opem ferendam Collegæ per longum iter celeritate mira tetẽdit. Salinator in Vmbria apud Metaurum Flumen proximo die dimicaturus summa cum dissimulatione Neronem castris noctu recipit: Tribunos enim à Tribunis, Centuriones à Centurionibus, equites ab equitibus, pedites à peditibus excipi iussit, ac sine vlla tumultuatione, solo vix vnum exercitum capiente alterum inseruit: quo euenit, ne Asdrubal cum duobus se Consulibus præliaturum prius sciret, quàm vtriusque virtute prosterneretur. Ita illa toto terrarum orbe infamis Punica calliditas Romana elusa prudẽtia, Annibalem Neroni, Asdrubalem Salinatori decipiẽdum tradidit. ibidem.

De Q. Metello Consule.

Memorabilis etiam consilij Q. Metellus, qui cùm Proconsul bellum in Hispania aduersus Celtiberos gereret, vrbémque Trebiam caput eius gentis viribus expugnare non posset, intra pectus suum multum, ac diu cõ

filiis cogitatis viam reperit, qua propositum ad exitum perduceret. Itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias atque alias regiones petebat: modò hos obsidebat montes. paulò pòst ad illos transgrediebatur: cùm interim tam suis omnibus, quàm ipsis hostibus ignota erat causa inopinatæ eius ac subitæ fluctuationis, interrogatus quoque à quodam amicissimo sibi, quid ita sparsum & incertum militiæ genus sequeretur, Absiste, inquit, istud quærere: nam si huius consilij mei interiorem tunicam consciam esse sensero, continuò eam cremari iubebo. Quorsum igitur ea dissimulatio erupit? aut quem finem habuit? Postquàm verò & exercitũ suum ignorantia & totam Celtiberiam errorre implicauit, cùm aliò cursum direxisset, subitò ad Trebiam reflexit, eamque inopinatam & attonitam oppressit. ergo nisi mentem suam dolos scrutari coëgisset, ad vltimam ei senectutem apud mœnia Trebiæ armato sedendum foret. ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Grimoaldo Duce Beneuentano.

Grimoaldus Dux Beneuẽtanus Lõgobardicæ vir gẽtis, Arriperti filiis Vicino & Mediolano eiectis validissimũ Gallorum exercitum aduersus se in Italiam à Rege missum Magna elusit arte, exemplo tamen vetusto. venientibus Gallis, simulato metu, reliquit castra omni opulentia referta: dein noctu hostem vino & somno sepultum repente adortus, ad societatem cecidit. Sabel. lib. 6.

De Christianis ad Ptolemaidem sedentibus.

Circunsedebant Galli Venetique Ptolemaidem in ora Syriæ: & iã non procul aberant, quin vrbe potirentur, cùm tabellariam sunt columbã adepti militari clamore, ad terram cum literis depressam: significabant literæ, quas volucris habuit, forevt intra triduum Rex

tum validissimo exercitu adesset suis diuturna obsidione fessis auxilio. Hic Christiani duces adulterinas pro interceptis aliti affigunt literas, per quas Regis nomine monebantur ciues, vt suis rebus consulerent, quando maioribus curis impeditus eò occurrere non posset. Pertulit columba fictitiam ad suos epistolam, éstque confestim vrbs dedita. obseruauit diem Barbarus Rex: sed cognita vrbis alienatione, re infecta retro abiit. ibidem.

DE VICTORIA, GRÆCORVM exempla.

De Timoleonte Corinthio.

Magna Timoleõtis Corinthij gloria habenda est, quando reputatio hæc ad plures pertinet: tribus millibus militum fretus, ad Crimissum amnem cum septuaginta millibus Carthaginensium non solùm acie conflixit, sed ita etiam prælio vno hostem afflixit, vt pars multò maxima Carthaginensis sit nobilitatis ibi loci desiderata. Sabel. lib. 6.

De Thermopylarum pugna.

Miretur aliquis quónam modo fieri potuerit, vt tam opulentus exercitus à tam paucis vinceretur: cui ne tota quidem Sicilia satis futura credebatur. verùm desinet hic idem mirari, qui fando audiuerit, aut legerit, trecentos Spartani nominis ad Thermopylas totum Orientem prælio excepisse, exceptum ac fusum in castra cum multa cæde compulisse, vt magna opus sit fide ad tam monstrificose bellorum euentus, fortunaq; volumina credenda. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Cæsare Dictatore.

Censenda est Cæsaris Dictatoris laus in hac parte,

ac nescio an & ipse sit Alexandro in hoc genere præferendus: nullus vnquam Imperarum ferociorem hostem nactus, aut validiorem: sæpius vicit, maioréque hominum strage superauit, ipse semper militum numero inferior. Sab. lib. 6.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Venetis.

PIpinus Rex, cùm cætera Italia Gallorum dicto pareret, Venetique soli omnium suæ memores libertatis, patriæ iura tuerentur, litorali ora Gallicis armis domita, Riuo alto (sic enim dicta est pars vrbis celeberrima) minaciter imminebat, aderátque Pipino ingens exercitus, & cui ne Italia quidem tota, non modò Venetiæ partes obsistere posse crederentur: verùm modicus armatorum numerus in Cymbis sedentium validissimam ratem, qua Galli vehebantur, primò fatigauit: inde vento Venetus adiutus Gallicos conatus nõ solùm fregit, sed hostem aquarum angustiis colluctantem adeptus, partim ferro confecit, partim soluta rate, medio stagno depressit. Sab. li. 6

DE IIS QVÆ cuique magnifica cõtigerunt, Græcorum exempla.

De Pythagora.

PYthagoræ tanta veneratio ab auditoribus tributa est, vt quæ ab eo acceperãt in disputationem deducere, nefas existimarẽt: quinetiam interpellati ad reddendam causam, hoc solum respondebant, αὐτὸς ἔφη. Max. li. 8.

De eodem.

Enixo Crotoniate studio ab eo petierunt, vt Senatum ipsorum, qui mille hominum numero constabat, consiliis suis vti pateretur, opulentissimáque ciuitas tam frequenter veneratí post mortem domum eius Ceteris sacrarium fecerunt, quanquam illa vrbs viguit, et Deũ in hominis memoria, & homo in Deę religione cultus est. ib.

De Gorgia Leontino.

Gorgiæ Leontino studiis literarum ætatis suæ cunctos præstanti, adeò vt primus in conuẽtu poscere qua de re quisq; audire vellet, ausus sit, vniuersa Græcia in tẽplo Delphici Appolinis statuam solido ex auro posuit, cùm cæterorum ad id tempus auratas collocasset. ibi.

De Amphiarao.

Eadem gens summo consensu ad Amphiaraum decorãdum incubuit, locum, in quo humatus est, in formam cõditionémque tẽpli redigendo, atque inde oracula capi instituendo, eius cineres idem honoris possident quod Pythicæ Cortinæ, quod ahena Dodonæ, quod Hammonis fonti datur. ibid.

De Berenice.

Berenice quoque non vulgaris honos, cui soli omnium fœminarũ gymnico spectaculo interesse permissum est, cùm ad Olympia filium Euclea certamen ingressum adduxisset, Olympionica patre genita, fratribus eandem palmam assequutis latera eius cingẽtibus. ibid.

De Pyrrho Epirotarum Rege.

Inter eos, quibus in vita magna res ac memoratu dignæ cõtigerunt, Pyrrhum haud iniuria ante alios cõmemorabimus. Antigonus enim Asiæ atque Syriæ Rex militaris artis peritissimus, hac eum laude extulit: affirmauit, si consenesceret primum ætatis suæ belli gerendi ac militarium rerum ducem fore. Annibal quoque cum Scipione de militaribus ducibus, qui vnquam virtute insignes fuissent, minimè obscurè primũ esse Pyrrhũ nominauit. Scipione idem affirmante. Itaque ingens profecto laus ducenda fuit, à tribus tantis viris bello tam excellentem duci, atque Romanis ducibus præponi, qui ante eum rerum præclarè gestarum magnitudine plurimum excelluerũt. B. Fulg. lib. 8.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Aristide Athenienſi.

Magnum, & quod ſummopere magnificũ exiſtimari debeat, teſtimonium fuit, quòd Græci omnes Ariſtidis Athenienſis virtuti præſtiterũt, cùm omnes concordes ob inſignem virtutem Ariſtidem iuſtum cognominauerunt. ibidem.

De Beroſo Aſtronomo.

Beroſo Aſtronomo, qui multa prædixerat, quæ tempus vera fuiſſe declarauit, Athenienſes in gymnaſio ſuo ſtatuã æneam poſuerunt, cuius lingua tota aurea erat. ibidem.

De Mercurio Trimegiſto.

In Hermete, qui idem eſt, quod Mercurius, quem Eupolemus Græcus Moſem dicit fuiſſe, à Græcis Muſæum appellatum, à quo Orpheus permulta didicit, tria, quæ plurimùm excellerent, inuenta fuerunt: propter quæ dictus eſt Trimegiſtus (quod Latinè ter maximum ſonat: id quod Pompeio, Alexandróque ſemel tantùm attributum eſt) nam & Rex Maximus in Ægypto fuit, itẽ Philoſophus mira præditus doctrina: præterea ſacerdotali honore, qui maximus erat, inſignis: quibus de rebus ab Ægyptiis poſt mortem inter numina cultus eſt, primúmque anni menſem ei ſacrarunt, vrbémque in Ægypto clariſsimã ab eius nomine Hermopolim nuncuparunt. ibid.

De vxore Olitoris Ægyptij.

Feron Seſoſtris filius Ægyptius Rex luminibus orbatus, cùm circiter decennium cæcitati remedia quæſiuiſſet, tandẽ oraculo monitus eſt, vt oculos mulieris vrina lauaret, quæ alium, quàm virũ ſuum non agnouiſſet. quamobrem à Regina incipiens, permultas Ægyptias mulieres expertus, ægritudini ſuæ remedium nullum inuenit, niſi per vxoris vrinam cuiuſdam olitoris, quæ prodigioſo experimento Oraculóque inter Ægyptias caſta inuenta, longè ſolidiori laude digna mihi videtur, quã Sulpitia ob caſtitatem ſola Romæ electa, quæ Verticordiã Venerem dedicaret fieri enim potuit, vt Sulpitia aliquo aſtu cæteras mulieres falleret, quod olitoris vxor in oraculo, quod prodigio ipſo confirmatum fuit, facere non poterat. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Scipione Naſica.

VErum ſpecimen honoris à Scipione Nuſica oboritur. eius nanque manibus & penatibus nondum Quæſtoris Senatus Pythij Apollinis monitu Peſsinunte accerſitam Deam excipi voluit, quia eodem Oraculo præceptũ erat, vt hæc myſteria matris Deũm à ſanctiſsimo viro præſtarentur. Explica totos faſtos, cõſtitue omnes currus triumphales: nihil tamen in eorum principatu ſpecioſius reperies. Max. lib. 8.

De Scipione Æmiliano.

Tradunt ſubinde nobis ornamenta ſua Scipiones commemoranda. Æmilianum enim populus ex candidato ædilitatis Conſulem fecit, eundémque cũ quæſtorijs Comitijs ſuffragator Q. Fabij Maximi fratris filij in campum deſcendiſſet, conſulem iterum reduxit. Eidem Senatus bis ſine ſorte prius African, deinde Hiſpaniam dedit. Atque hæc nec ciui cupido, nec Senatori ambitioſo, quemmodum non ſolum vitæ eius ſeuerißimus curſus, ſed etiam mors clandeſtinis illata inſidijs declarauit. ibidem.

De M. Valerio.

M. quoque Valerium duabus rebus inſignibus Dij pariter atque ciues ſpecioſum reddiderũt. Illi cùm quodam Gallo cominus pugnanti eorum pugnatorem ſubijcientes: ij tertium & vigeſimum annum ingreſſo cõſulatum largiti: quorum alterũ decus veſtuſtæ originis optimi hominis gens Coruina amplexa cognomen vſurpat: alterũ ſummo ſubiungitur ornamento tam celeritate, quàm principio con-

ulatus gloriando.ibidem.

De Q. Scæuola.

At ne Q. quidem Sceuolæ, quem L. Crassus in consulatu Collegam habuit, gloria parum illustris, Asiam tam sanctè, & tam fortiter obtinuit, vt Senatus deinceps in eam prouinciam ituris magistratibus exemplum atque formam officij Scæuolam decreto suo proponeret.ibidem.

De C. Mario.

Inhærent illi voci Posterioris Africani septem C. Marij cõsulatus, ac duo amplissimi triũphi: rogum enim vsque gaudio exultauit: qui cùm apud Numantiam sub eo duce stipendia equestria mereretur, & fortè inter cœnam quidam Scipionẽ interrogasset, si quid illi accidisset, quemnam Respublica æquè magnũ habitura esset Imperatorem, respiciens se supra ipsum cubantem, vel hunc, dixit. Quo augurio perfectissima virtus maximã orientem virtutem videritne certius, an efficacius acciderit, perpendi vix potest. Illa nimirum cœna militaris, speciosissimas tãta in Vrbe Mario futuras cœnas ominata est. Nam postquam Cimbros ab eo deletos initio noctis nuntius peruenit, nemo fuit qui non illi tanquam diis immortalibus apud sacra mensæ suæ libauerit.ibidem.

De Q. Catulo.

Q. Catulum populus Rom. voce sua tantùm non ad sidera vsque euexit. Nam cùm ab eo pro Rostris interrogaretur, si in vno Pompeio Magno omnia reponere perseuerasset, absumpto illo subiti casus incursu, in quo spẽ esset habiturus, summo consensu acclamauit, In te. Vim honorati iudicii admirabilem: si quidem Magno Pompeio cum omnibus ornamentis quæ retuli, duarum syllabarum spatio inclusum Catulum æquauit. ibidem.

De M. Catone.

Potest & M. Catonis è Cypro cum regia pecunia reuertentis appulsus ad ripam Tyberis memorabilis videri, cui naue egredienti Consules, & cæteri magistratus, & vniuersus S. P. Q. Rofficij gratia præsto fuit, non quod magnum pondus auri & argenti, sed quod M. Catonem classis illa incolumem aduexerat, lætatus.

De Sulpitia.

Meritò commemorationi virorum Sulpitia Seruij Paterculi filia, Q. Fuluij Flacci vxor adijcitur, quæ cùm Senatu libris Sibyllinis per decem viros inspectis censuisset, vt Veneris Verticordiæ simulachrum consecraretur, quò facilius virginum mulierũmque mens à libidine ad pudicitiam conuerteretur, & ex omnibus matronis centum, ex centum autem decem sorte ductæ de sanctissima fœmina iudicium facerent, cũctis castitate prælata est.

De M. Vlpio Traiano Imperatore.

Quid magnificentius alicui potest contingere, quàm id quod Traiano Imperatori euenit? eius enim bonitas successoribus inter felices acclamationes, quæ à Senatu Romano fiebant, commemorabatur, Traiani bonitate æquè atque Augusti felicitate desiderata. Baptista Fulgosus lib. 8.

De eodem.

Illud quoque non minus esse affirmari debet, Neruam Cocceium, cùm imperaret, senio cõfectum, multis Romani atque Italici generis propinquitatibus præditum, cùm sibi insignem virtute virum imperij successorem deligere vellet, alijs postpositis, Traianum adoptasse, Hispania oriundum, illius virtute atque animi vigore ad id impulsum. Is enim externorum primus fuit, qui ad Romanum imperium conscenderet, quemadmodum in eius vita Dion scribit.ibidem.

De M. Varrone.

Magna profectò res ea fuit, quæ M. Varroni contigit, cuius viuentis imago in bibliotheca

publica à Pollione posita fuit, qui honos doctissimis post mortem solùm habebatur. tantum enim & magnæ existimationis & reuerentiæ per doctrinam Varro sibi pepererat, vt viuens quoque mereretur eo honore perfrui, quod cæteri docti ancipiti spe etiam assequi cupiebãt. ibidem.

De Agrippina Augusta.

Agrippinæ Augustæ inter fœminas Romanas, quæ ante eã fuerunt, vni contigit, vt Romani principis vxor, soror, mater, ac filia haberetur. Germanici enim filia fuit, quem Tiberius imperij successorem adoptauerat: Claudium Augustum virum habuit, Caligulæ soror erat: denique Neronem peperit. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Ioanne Baptista.

QVanquàm magnifica putari debeant eorum testimonia, de quibus dictum est: superat tamen alia, mea quidẽ sententia, Iesu Christi de Ioanne Baptista iudicium, quantò ipse viuentes omnes dignitate excelluit, & quantò creaturã is, qui creauit, vincere solet. de eo enim dixit, Inter natos mulierum neminem Ioanne Baptista maiorem surrexisse. Persica regna atque Asiatica: itẽ Consulares, Cæsareósque triumphos diuino ac certo iudicio Ioannis Baptistæ virtuti postposuit. Bap. Ful. lib. 8.

De Iacobo Minore.

Iacobus Minor primus Hierosolymarum Episcopus frater Domini, atque eiusdem Apostolus à Iudæis Christianisque simul eodem iusti cognomine honestatus fuit. ibidem.

De Constantino Maximo.

Miram Constantinus virtute sua gloriam assequutus est. nam primus solúsque inter Romanos principes, atque Imperatores à Gentilibus in numerũ

Deorum relatus, à Christiana quoque Ecclesia in Sanctorum catalogo receptus fuit, diéque vigesimus primus Mẽsis Martij in ipsius nominis honorẽ celebratus est. Nam ei ob virtutem magna ipsius laude, maiore etiam mortalium omniũ admiratione contigit, vt duarum inter se plurimum aduersantiũ religionum populi atque Ecclesiæ ipsum ad tantum adeóque rarum honoris culmen reciperent. ibidem.

De Ioanne Chrysostomo.

Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum ob doctrinæ magnitudinem atque singularem eloquentiam Græci Chrysostomon cognominauerũt, quod os aureum Latinè significat. ibidem.

De Victorino.

Victorinus quoque ob doctrinæ magnitudinem Romæ in foro poni sibi statuam vidit, quẽadmodum in Palatina bibliotheca Varro. ibidem.

De Nicolao V. Pontifice.

Non potest nisi mira res dici, & cui supramodum propitia se fortuna præberet, ea, quæ Thomæ Sarrano contigit, qui vno atque eodem anno Episcopus, Cardinalis, ac Pontifex creatus est, & in pontificatu Nicolaus V. appellatus: longè enim hoc difficilius, atque rarius fuit, quàm Pompeium ante legitimum tempus triumphare. ibid.

DE REORVM quorum absolutione, & damnatione. Græcorum exempla.

De Aristide Atheniensi.

Aristides Athenienses non aliã ob rem decẽnij exilio multatus est, quàm per inuidiam, multis ægrè ferentibus eum ob morum excellentiã cognomento Iustum appellari. Bap. Fulg. lib. 8.

De Theocrito Chio.

In prælio captum Theocritũ Chium ad Antigonũ hostem deductum, cùm qui deducebãt, hortari, vt bono esset animo, vellent, dicebant fore, vt cùm ante Antigoni oculos præsentaretur, veniam impetraret. In tanto is periculo positus, à dicteriis abstinerì non potuit. itaque si ita esset, de se actum esse dixit: siquidem alterum Antigonus tantum haberet oculum. Cuius verbi acrimonia motus Antigonus, statim eũ interimi iussit, qui si linguæ temperasset, incolumitatem assequutus videbatur. ibid.

De Demetrio Philippi Macedonum regis filio.

Romam profecti erant ciuitatum Græciæ legati, vt iniurias quererentur, quas Philippus Macedonum Rex inferebat: & cùm in Senatu de ea re ageretur, inter Philippi filium Demetrium, atque oratores, quia Demetrius non modò argumenta defensionis aduersus tam multa crimina, quæ verè patri obiiciebantur, amisisse videbatur, verùm etiam præ pudore vehementer erubuerat: Demetrij honestate motus Senatus, ab accusationibus ipsum, patrémque liberauit. Plus enim inimicæ patris causæ filij silentium pudórque profuit, quàm cuiusuis ingens eloquentia potuisset. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De M. Horatio.

M. Horatius interfectæ sororis crimine à Tullo Rege damnatus, ad populum prouocato iudicio absolutus est: quorum alterum atrocitas necis mouit, alterum causa flexit: quia immaturum virginis amorem seuerè magis, quàm impiè punitum existimabat. itaque sorti punitione liberata fratris dextera, tantum consanguineo quãtum hostili cruore gloriæ haurire potuit. Max. lib. 8.

De Sergio Galba.

Cùm à Libone Trib. pleb. Sergius Galba pro Rostris vehementer increparetur, quòd Lusitanorum magnam manum interposita fide Prætor in Hispania interemisset, actionique Tribunitiæ M. Cato vltimæ senectutis oratione sua, quam in Originibus retulit, subscriberet, reus pro se iam nihil recusans paruulos liberos suos, & Galli sanguine coniunctum filium flens commendare cœpit, eóque facto mitigata concione, qui omnium consensu perituus erat, penè nullum triste suffragium habuit. Misericordia ergo illam quæstionem, non æquitas texit: quoniam quæ innocentiæ tribui nequiuerat, absolutio respectui piorum data est. ibidem.

De Appio Claudio.

Appius Claudius nescio religionis maior, an patriæ iniuria. Si quidem illius vetustissimum morem neglexit: huius pulcherrimam classem amisit: infesto populo obiectus cùm effugere debitam pœnam nullo modo posse crederetur, subitò coorti imbris beneficio tutus fuit à damnatione: discussa enim quæstione aliam velut diis interpellantibus, de integro instaurari non placuit. itaque cui maritima tempestas causæ dictionem contraxerat, cælestis salutem attulit. ibidem.

De Tucia virgine Vestali.

Eodem auxilij genere Tuciæ virginis Vestalis incesti criminis reæ castitas infamiæ nube obscurata emersit: quæ conscia certæ sinceritatis suæ, spem salutis ancipiti argumento petere ausa est: arrepto enim cribro, Vesta (inquit) si sacris tuis castas semper admoui manus, effice vt hoc hauriam ex Tyberi aquam, & in ædem tuam perferam, audacter & temerè iactis votis sacerdotis, rerum ipsa natura cessit. ibid.

De Callidio Bononiensi.

Callidius Bononiensis in cubiculo mariti nocte deprehen-

ſus, cùm ob id cauſam adulterij diceret, inter maximos & grauiſſimos infamiæ fluctus emerſit, tanquam fragmentum naufragij, leue admodum genus defenſionis amplexus: affirmauit enim ſe ob amorem pueri ſui eò eſſe perductum. Suſpectus erat locus, ſuſpectũ tempus, ſuſpecta matris familiæ perſona, ſuſpecta etiam adoleſcentia ipſius: ſed crimen libidinis confeſsio intemperantiæ liberauit. ibidem.

De Cæliis fratribus Titi Cęlij filiis.

Remiſsioris hæc, illud aliquãtò grauioris materiæ exemplũ. Cum parricidij cauſam duo fratres Cælij dicerent, ſplendido Tarracinæ loco nati, quorum pater Titus Cælius in cubiculo quieſcens filiis altero cubantibus lecto erat interemptus, neque aut ſeruus quiſquam, aut liber inueniretur, ad quem ſuſpicio cædis pertineret: hoc vno nomine abſoluti ſunt, quia iudicibus planum factum eſt, illos aperto hoſtio inuentos eſſe dormientes: ſomnus innoxiæ ſecuritatis certiſsimus index miſeris opem tulit. Iudicatum eſt enim rerum naturam non recipere, vt occiſo patre ſupra vulnera & cruorem eius quietem capere potuerint. ibidem.

De Muliere, quæ matrem interfecit.

Atque vt eos quoque referamus, qui in diſcrimine capitis adducti, neque damnati, neque abſoluti ſunt: apud M. Popilij Lenatem Prætorem quædam, quod matrem percuſſam fuſte interemerat, cauſam dixit, de qua neutram in partem lata ſentẽtiæ ſunt: quia abundè conſtabat eandem veneno necatorum liberorum dolore commotam, quos auia filiæ infenſa ſuſtulerat, parricidiũ vltam parricidio eſſe: quorum alterum vltione, alterum abſolutione non dignum iudicatum eſt. ibidem.

De Smyrnæa quæ virum & filium interemit

Eadẽ hæſitatione Publij quoque Dolabellæ proconſulari imperio Aſiam obtinentis animus fluctuatus eſt. Materfamilias Smyrnæa virũ & filiũ interemit, cùm ab ijs optimæ indolis iuuenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occiſum comperiſſet: quam rem Dolabella ad ſe delatam Athenas ad Areopagi cognitionem relegauit: quia ipſe neque liberare cædibus duabus contaminatam, nec punire eam iuſto dolore impulſam ſuſtinebat. Conſideranter & manſuetè Pop. Rom. magiſtratus: ſed Areopagitæ quoque non minus ſapienter, qui inſpecta cauſa & accuſatorem & ream poſt centum annos ad ſe reuerti iuſſerunt: eodem affectu moti, quo Dolabella: ſed ille transferendo quæſtionem, hi differendo damnandi atque abſoluendi inexplicabilem cunctationẽ mutabant. ibidem.

De Quintio Cæſone.

Cæſo. L. Quintij Cincinnati filius à Tribunis falsò accuſatus, tanquam ab eo M. Voluſius vir plebeius vapulaſſet, atque verberibus Lucium interemiſſet: & ſi penè exploratum habebatur, accuſationem illam calumnioſam eſſe: tamen quia Cæſo plebis iudicium ſpreuit, citatus iudicio adeſſe nunquam voluit: ob eas contentiones, quibus inter Senatum ac plebem decertabatur, exilio atque ære mulctatus eſt. Bap. Fulg. lib. 8.

De M. Aquilio.

Accuſatus M. Aquilius repetundarum, id eſt, parum ſyncerè pecuniam publicam tractaſſe, cùm iam in eo eſſet, vt damnaretur, M. Antonius orator, qui eius cauſam defendebat, aperta ipſius tunica, iudicibus ac populo cicatrices oſtendit eorum vulnerum, quæ in pectore pro patria exceperat, quibus moti iudices, ſtatim eũ abſoluerunt. ibid.

De C. Rabirio.

Cùm Ædilis curulis Cæſar à Senatu diſſentiret, ac quoſdã impuliſſet vt C. Rabirio diem dicerent, qui olim cum Senatu Saturnini ſeditioſi ciuis vim compeſcuerat, in iudicum nu-

mero Cæsarem esse contigit: itaque is Rabirium adeò acerbè ac properè damnauit, vt cùm Rabirius postea populum appellasset, nulla re ad obtinẽdam absolutionem magis, quàm ob Cæsaris acerbitatem adiutus fuit: censuit enim populus in iudicio plus acerbitatis, quàm iustitiæ fuisse. ibid.

De duobus Romanis equitibus.

Duos equites Romanos à capitali iudicio illud liberauit, quod alios opprimere in iudicio solet. Nam cùm in eorum numero fuisse accusarentur, qui contra Domitianum conspirauerant, nulla re Domitianus magis ad eos liberandos motus est, quàm quòd impudicos esse norat. Putauit enim fieri non posse, vt simul impudicitia & animi vigor ac virtus maneret. ibidem.

De quodam equite.

Quendam equitem Tiberius Cæsar quæstura priuauit, quia vxorem repudiauit triduo postea quam eam acceperat. Leuissimum enim putauit, & qui in Rep. nulla in parte vtili esse posset. ibid.

De Fabriciano.

Insignis & admodum iusta fuit absolutionis causa; qua Fabricianus iudiciũ euasit. Nam cùm adhuc in cunis esset, per sororem à matris crudelitate seruatus fuit: quæ cùm Petronio adulterabat, & ob eam rem cùm Valentinum virum sustulisset, filium quoque occidere quærebat. Sed cùm is postea adoleuisset, matrem cum adultero se miscentem occidit, criminéq; occisæ matris accusatus, Senatus decreto absolutus est, quòd iustus dolor & causa ad perdendam matrem impulisse videbatur. ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Athanasio patriarcha Alexandrino.

Athanasium Patriarcham Alexandrinum non vitæ sanctitas, non doctrina protexit, quin apud Constantium Augustum à multis episcopis Arrianis ceu magus atque veneficus accusaretur. nam cùm insuper adderetur, ab eo mutilatum brachio Arsenium, vt ex eo veneficia conflaret, conuocato Tyri consilio, ostensóque Arsenio incolumi: tamen non effugit, quin iudicum odio atque iniquitate damnatus, per totũ Orientem persecutionem pateretur. Bapt. Fulg. lib. 8.

De Britio Turonensi episcopo.

Non in Athanasio solùm perspecta est iudicum peruicacia atque iniquitas aduersus innocẽtiam sæuisse: sed id quoque apertè nimis Gallia in Britio Turonensi Episcopo conspexit. qui Martino in Turonensi ecclesia successerat. Nam cum eius serua peperisset, Britio partus crimini dabatur, quãquàm ad purgandam eius innocẽtiam abiuratus infans, qui nondum trigesimum excedebat diem, plane Britij crimen ortum suum non esse respondisset. Id enim culpæ suspicionem auxit: siquidem præterea magum esse eum insimulabant: illud quoque ad purgãdam suspicionem non valuit, quòd ignes illæsa veste deferret, in exilium enim actus fuit: sed postremò innocentiæ locus suus fuit, cùm iam duo ei successissent Episcopi. nã septimo anno pòst restitutus fuit. ibid.

De Hilarione.

Vehementer ad Hilarionis quoque damnationem aduertẽdum est: quemadmodum Ruffinus Aquileiensis scribit, etsi illud Hieronymus neget. Nam cùm hæreticorum fraude vitiatus ei liber esset, quẽ ipse catholicè scripserat, & in cella in eo loco conditus, in quo primũ habebatur, cùm vitium nullũ inesset: in concilio postea Hilario dum per contumelias res ageretur, hæreticus appellatus, vt obiectum crimen re ipsa diluerет, librum, quem catholicè scripserat, cùm proferre vellet, fraudis ignarus, vitiosum protulit: quæ res & ipsum à recto sensu præ

admiratione doloréque simul abalienatum reliquit, & alienos vehementer in eum commouit. Itaque alieno scelere extra Ecclesiæ gremium factus à Catholicorum communione tanquã hereticus fuit depulsus. ib.

De Clerico, ac eius sorore Arrassensibus.

Iuuenis Arrassensis clericus, cuius in deterius ibant mores, cùm domi suæ hominem occidisset, vnà cum sorore eũ sepeliuit, re detecta, ad supplicium deducebantur damnati, vt ambo viui cremarẽtur, qui in eo cõsternati, Christiano more fateri crimina sua, & à Deo veniam petere noluerant: soror, quæ innocẽs eius criminis erat, cũ fratre collachrymabatur, quòd innocens comburi deberet. Itaque cùm iam supplicium instaret, & Diuinitus monita lustrare animam confessione decreuisset. fratri, vt idem faceret, suadebat: sed frater prorsus rem abnuebat. Ipsa igitur sola ecclesiastico sacramẽto satisfecit: cũ autem intra pyram vna ducti essent, vt comburerentur, quia iustiora Dei iudicia sunt quàm hominum, Deo ita, agente succensa pyra, clericum solum incolumi atque omni ex parte illæsa sorore combussit. ibidem.

De Cunegunda Augusta & aliis.

Quemadmodum vitæ, atque famæ suæ innocentiam Tucia prodigio defendit, dum professo cribro ex Tyberi aquam tulit: ita Cunegunda Augusta Henrici primi coniux falsò adulterij insimulata, innocentiam suam purgauit, quin se etiam Veneris nesciam probauit, cùm quindecim passus super cãdens ferrum nudis pedibus illæsis plantis perambulasset.

Gangolphi autem Burgundionis vxor adulterio commaculata, cùm probare vellet innoxiam se esse, in frigido fonte demersa manu adiurauit, ne eã sine prodigij specie si culpã ferret, inde posset eleuare. Mira et à Deo res facta fuit, cùm à fonte manum tolleret, desiccatam extraxit, non aliter, quàm si in mediis eam ignibus tenuisset. itaque ob prodigium à viro separata fuit. Sæpe igitur ignis, & aqua ad eruendum verum plusquàm cõsuetus naturæ cursus efficiunt, cùm vt veri vis inueniatur, affectus adeò naturæ suæ contrarios parturiant. ibidem.

De Narcisso Hierosolymitano Episcopo.

Impia ac sceleris plena fuit causa propter quam Narcissus Hierosolymitanus Episcopus fuit damnatus: miranda quoque illa qua absolutus. imperante enim Septimio Seuero tribus falsis testibus conuictus, iudicio cessit, & ad deserta se contulit loca, atque ei in episcopatu alter fuit suffectus. Cùm trium testium primus dũ testaretur, adiurasset, nisi vera essent, quæ testabãtur, vt comburi posset incendio cum omnibus quæ habebat, absumptus est: reliquorum duorum cum alter imprecatus esset, vt lepra corripi posset, alter autem vt luminibus caperetur, nisi vera testarentur: intra paucos dies vterque iis malis, quibus se adiurauerant, affectus est. Quibus prodigiis ceu crimine liberatus Narcissus absolutus iudicio fuit, & in locum suum restitutus. ibid.

De Hildebrando.

Euidenti prodigio damnatus simoniaco crimine fuit Archiepiscopus Ambrunẽsis ab Hildebrãdo apostolico legato. Nam cùm simoniacum crimẽ factum negaret Archiepiscopus: legatus autem affirmaret, quia spiritus sancti episcopalis dignitas munus esset, illi ipsi se hoc iudicium remissurum esse, & propterea ab Archiepiscopo peteret, vt clara voce versiculũ recitaret, qui ab Ecclesia omnium Psalmorũ in fine dici solet, Archiepiscopus conditionem accepit. Cùm autem recitando ad Spiritus sancti nomen venisset, implicata ad dentes lingua, illud verbũ enuntiare nunquàm potuit. Itaque ob eam rem dam

natus est: & quod ante damnationem exprimere nõ potuit, post damnationem ab episcopatu deiectus, planè pronuntiauit. ibidem.

DE MIRACVLIS, GRÆCORVM exempla.

De Ero Pamphilio.

Vncta miracula minus admirabilia Eri pamphilij casus facit, quem Plato scribit inter eos, qui in acie ceciderãt, decẽ diebus iacuisse, biduóque postquam inde sublatus esset, impositum rogo reuixisse ac mira quædam tempore mortis visa narrasse. Max. lib. 1.

De Athenienſi quodam docto.

Quidam Athenis vir eruditissimus cùm ictũ lapidis capite excepisset, cætera omnia tenacissima memoria retinens, literarum tantummodo, quibus præcipuè inseruierat, oblitus est. Dirum malignúmque vulnus in animo percussi, quasi de industria scrutatis sensibus, in eum potissimum locum, quo maximè lætabatur, acerbitate nocendi erupuit, singularem doctrinam hominis pleno inuidiæ funere efferendo, cui si talibus studiis perfrui fas non erat, vtilius aliquantò fuit ad illa aditum non impetrasse, quàm iam percepta eorum dulcedine caruisse. ibidem.

De Ægle Samio.

Ægles Samius athleta mutus, cum ei victoriæ, quam adeptus erat, titulus & præmium eriperetur, indignatione accensus, vocalis euasit. ibid.

De Daphida.

Daphida, cùm eius studij esset, cuius professores Sophistæ vocantur, ineptæ & mordacis opinationis Apollinem Delphis irridendi causa consuluit, an equum inuenire posset, cùm nullum omnino habuisset. Cuius ex Oraculo reddita vox est,

inuenturum equum, sed vt eo perturbatus periret. Inde cùm iocabundus quasi deluſa sacrarum sortium fide reuerteretur, incidit in Regem Attalum, sæpenumero à se contumeliosis dictis absentem lacessitum, eiusque iussu saxo, cui nomen erat Equi præcipitatus, ad Deos vsque cauillendos dementis animi iusta supplicia pependit. ibidem.

De Rege Philippo.

Eodem Oraculo Macedonum Rex Philippus admonitus, vt à quadrigæ violentia salutem suam custodiret, toto regno disiungi currus iussit, eúmque locum, qui in Bœotia quadriga vocatur, semper vitauit: nec tamen denuntiatum periculi genus effugit. Nam Pausanias in capulo gladij, quo eum occidit, quadrigam habuit cælatam. ibidem.

De quodam Remige.

Remigem in litore Tyriorum sentinam hauriẽtem, cùm è naui fluctus abiecisset, altero latere repercussum, contrariis fluctus in nauem retulit. Itaque miseri simul, ac felicis complorationi permixta fuit gratulatio. ibid.

De Lynceo.

Nec illius quidem paruæ admirationis oculi, quem cõstat tã certa acie luminum vsum esse, vt à Lylibæo portu Carthaginensium egredientes classes intueretur. ibidem.

De Antipatro Poëta.

At poëta Antipater Sidonius omnibus annis vno tantũmodo die, quo genitus erat, febri implicabatur. Cúmque ad vltimam ætatem peruenisset, natali suo certo illo circuitu morbi consumptus est. ibid.

De Polistrato, & Hippoclide.

Hoc loco aptè referantur Polistratus, & Hippoclides Philosophi eodem die nati, eiusdem præceptoris Epicuri sectam sequuti patrimonij eiusdem pos-

sidendi, alendaq; scholæ commu
nione coniuncti, eodémque mo-
mento temporis vltima senectu
te extincti, tam æqualem fortu
næ pariter atque amicitiæ socie
tatem, quis non ipsius cælestis
Concordiæ sinu genitam nutri-
támque, & finitam putet?
ibidem.

De Locrensibus.

Cùm Locrenses aduersus Cro
toniatas dimicarent, in Locren-
sium acie perspecti sunt in can-
didissimis equis duo iuuenes a-
lios in prælio antecedere, parta
victoria nusquam postea visi:
quæ victoria eodem momento,
quo parta fuit, Athenis Lace-
dæmone, atque Corinthi, etsi à
Locris atque Crotone ea loca
plurimùm distant, declarata
fuit. Baptista Fulgosus lib. I.

De Apollonio Thianæo Philosopho.

Apollonius Thianæus Philo
sophus cùm in Epheso disputa-
ret animo penè abalienatus, in-
tentisque oculis, tanquam si in
re præsenti fuisset, sæpius dixit,
Percute peccatorem Stephane,
percute: postremóque addidit,
Mortuus est tyrannus. Qui
cùm magna omnium, qui ade-
rant, admiratione auditus es-
set, postea acceptum est eadem
die, atque ipso horæ momento,
Romæ occisum fuisse Domitia-
num Augustum ab homine,
cui nomen Stephano erat, sicu-
ti tunc Apollonius declarauer-
at. ibidem.

De Athenodoro Philosopho.

Admirationem quoque æ-
des illæ Athenis meruere, de
quibus in Epistolis Plinius scri
bit, in quibus nocte vmbra in-
gens, ac macilenta catenarum
stridore ædes ipsas, quibus vin-
cta videbatur, replebat propter
quam rem cùm habitare eas
nullus auderet, ad exiguũ pre-
tium locatio redacta erat. Ita-
que cùm Athenodorus Philo
sophus Athenas profectus, alle
ctus pretij vilitate plus, quàm
terrere eius modi posset phãtas-
ma, domum conduxit, perspe-
ctáque

ctáque audacter vmbra, eã per
ædes sequutus, vbi vidit in quo
apparere desiuerat, humum ef-
fodit, illícque corpus catenarũ
vmbræ simile, quæ apparuerat
inuenit. Itaque sublato cadaue-
re, horrore ædes liberauit. ibi-
dem.

De L. Cossitio Tisdritano

Plinius quoque scriptor non
minus verax, quàm eruditus
affirmat, à se visum in Africa
L. Cossitium ciuem Tisdritanũ
ea ipsa die, qua ceu noua nupta
ad virum ducebatur, mirum in
modum esse in marem conuer-
sum. ibidem.

De C. Mœcenate.

Illud quoque admiratione nõ
caruit, Mœcenatem, donec vi-
xit, febri laborasse, trienniòque
suæ vitæ postremo, nunquã sen-
sisse se dormire. ibidem.

De Pheræo Iasone.

In eodem ponemus ordine cæ-
sum Pheræi, qui disperata salu-
te in apostematis morbo, quo
diu laborauit: quia in medicis
opem nullã inueniebat, in præ-
lium ad comparandam mortẽ,
vt ita morbi molestiam finiret,
descendit, vulnerèque in aduer-
sum pectus accepto, quo aposte-
ma vires suas effudit, salutem,
quam antea neque medici, ne-
que eorum remedia præstare po
tuerant, ab hoste retulit. ibi-
dem.

De Pestilentiæ arca.

Inter miranda illud quoque
commemorandum est, quod in
Babylonis regione in vrbe Se-
leucia contigit, imperante M.
Antonio. In tẽplo enim Apol-
linis fracta capsula aurea, aui-
ditate quorũdam Auidi Cas-
sii militum, egressus est pesti-
lens spiritus, qui totam eam re-
gionem peste vastauit, visque
eius Romam vsque atque in
Occidentem se extendit. ibi-
dem.

De Pyrrho Epirotarum Rege.

Illud quoque mirum fuit,
Epirotarum Regem Pyrrhum

Universidad de Deusto Biblioteca

solo contactu pollicis dextri pedis splene laborantes curasse, & cum in funere eius corpus rogo cremaretur, combustis alijs partibus, solum eum digitum incombustum remansisse. ibidem.

De Seleuco Mentore Syriæ Rege.

Pariter inter miranda venit. quòd Seleucus, qui Syriæ regno postea etiam Asiæ iura addidit, ipse cum posteris nasceretur coxa anchoræ imagine signata. Nec minus mirum, matrẽ eius somniasse se ex Apolline grauidam factam, & præmium concubitus ab eo annulum accepisse, cui anchora sicut in filij coxa erat insculpta, quem annulum postea ad bellum cum Alexandro eunti Seleuco mater dono dedit, & miraculum, quo annulũ assequuta erat, narrauit. ibidem.

De stagnis Palici ac fonte Iouis in Asia.

Mira quoque erant Palici stagna in Sicilia iuxta Symæthum amnem, vbi miro quodammodo iuramentorum experimenta edebantur: illis moriẽtibus semper, qui falsò iurantes in eis se lauissent, contrà autem vera iurantes nulla in parte lædebantur. In Asia quoque iuxta Thianam fons Iouis appellatus, frigidus vehementer ebullit, ac potantes ex eo periuros statim graui vlcere manibus ac pedibus eorum percussis, magno dolore illic vera fateri cogebat: vera autem iurantes nihil prorsus lædebat, quemadmodum Philostratus scribit. ibidem.

De palladis templo apud Cyzicum.

Mirum illud fuit quod Palladis templo euenit apud Cyzicum vrbẽ Asiæ, cùm à Mithridate obsideretur. Nam cùm sacrorum solenni die vaccam nigram sacrificare mos esset, & ea in bello clausa vrbe haberi non posset, atque ob eã rẽ sacerdotes in graui molestia versarentur, non sine miraculo conspecta est in mari eiusmodi bestia ad terram annatare, vltroque templo se offerre, vbi à Cyzicenis immolata fuit. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Castore & polluce.

CVm apud lacum Regillũ Aulus Posthumius dictator, & Tusculanorum dux Manilius Octauius magnis viribus inter se concurrerent, ac neutra acies aliquandiu pedem referret, Castor ac Pollux Romanarum partium propugnatores visi, hostiles copias penitus fuderunt. Maxi. lib. I.

De P. Vatinio.

Item bello Macedonico P. Vatinius Reatinæ præfecturæ vir noctu vrbem petens, existimauit duos iuuenes excellẽtis formæ albis equis residentes obuios sibi factos, nuntiare die, qui præterierat, Persen Regem à Paulo captum. quod cùm Senatui indicasset, tanquam maiestatis eius & amplitudinis vano sermone contemptor in carcerem coniectus: postquã Pauli literis illo die Persen captũ apparuit, & custodia liberatus, & insuper agro ac vacatione donatus est. ibidem.

De Iunone Moneta.

Captis à Furio Camillo Veijs, milites iussu Imperatoris simulachrum Iunonis Monetæ, quod ibi præcipua religione cultum erat, in vrbem tralaturi, sede sua mouere conabantur: quæ ab vno per iocũ interrogata Dea, an Romam migrare vellet, velle se respondit. Hac voce audita lusus in admirationem versus est: iámque nõ simulachrũ, sed ipsam cælo Iunonem petitã portare se credentes: læti in ea parte Auentini montis, in qua nunc templum eius cernimus, collocarunt. ibidem.

De simulachro Fortunæ.

Fortunæ etiam muliebris simulachrum, quod est in Latina via ad quartum milliarium, eo tempore, cùm æde sua consecratum, quo Coriolanum ab exci-

Universidad de Deusto Biblioteca

dio vrbis maternæ preces repulerunt, non semel, sed bis loquutum constitit prius his verbis, Ritè me matronæ vidistis, ritéque dedicastis. ibidem.

De Diuo Iulio.

Diuum Iulium C. Cassius (nunquam sine præfatione publici parricidij nominandus) cũ acie Philippensi ardentissimo animo perstaret, vidit humano habitu augustiorem purpureo paludamento amictum, minaci vultu & concitato equo in se impetum facientem: quo aspectu perterritus tergum hosti dedit, voce illa prius emissa, Quid enim amplius agas, si occidisse parum est? non occideras tu quidem Cassi Cæsarem (neque enim extingui vlla diuinitas potest) sed mortali adhuc corpore vtentem violando meruisti, vt tam infestum haberes Deum. ibidem.

De Attilio.

Aliquid admirationis ciuitati nostræ Attilij etiam Aquiolæ rogus attulit, qui & à medicis & à domesticis mortuus creditus, cùm aliquandiu humi iacuisset, elatus, postquam corpus eius ignis corripuit, viuere se proclamauit, auxiliúmque pædagogi sui (nam solus ibi remanserat) inuocauit: sed iam flammis circundatus fato subtrahi non potuit. ibidem.

De populo Romano.

Victoria de L. Antonio parta, qui à Domitiano desciuerat, in Germania eo ipso die, quo parta fuit, Romæ palàm intellecta fuit, populo theatrales ludos spectante: quæ victoria postea per certos nuntios, etsi magnis venêre itineribus, intra multos dies cognita non fuit. Bap. Fulg. lib. 1.

De Barthabace Cybelis sacerdote.

Barthabaces Cybelis sacerdos, quo tempore C. Marius aduersus Cimbros bellum gerebat, Senatui prædixit, à Dea se monitum fore, vt Marius hostes superaret: & cum id populo declaraturus esset, Aulus autem Pompeius Trib. pleb. id prohiberet, subita ardentique febre Tribunus correptus est: nec multò post victoriæ allati fuere nuntij. ibidem.

De Vespasiano Augusto.

Duo clarissimi scriptores minimè incertæ fidei, Tacitus ac Suetonius affirmant, se ab his, qui viderunt audiuisse, scilicet quòd dum Vespasianus Alexandriæ esset, in Ægypto initio imperij bellique Vitelliani quẽdam manus ceu sidere debilitatum pede ab Vespasiano tactũ valetudinem bonam recepisse, saliuáque eiusdem cæcum lumẽ recuperasse. ibidem.

De Corfidio equite Romano.

Mirum illud est quod duobus fratribus Equitibus Romanis euenit: ex quibus maior natu nomine Corfidius, cùm ab omnibus pro mortuo haberetur, & iam tabulæ testamenti recitarentur, quo alterum fratrem hæredem instituebat, in medio funebris apparatus in pedes magna se lætitia erexit, dicens, se apud fratrem fuisse, qui filiam ei commendauerat, & ostenderat vbi certam vim auri sub terra conditam haberet, quo sepulturæ eius exequias ex funerali apparatu facto celebraret: quo hæc dicente, magna eorũ, qui aderant, admiratione allatum de morte fratris nuntium fuit, & aurum vbi dixerat. inuentum. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Stephano Romano.

Stephanus Romanus vir & virtute & opibus clarus Constantinopolim rerum suarũ gratia profectus, cùm decessisset iam die ad vesperam inclinata, & ob id curari tunc funus eius non posset, vsque in posterum diem domi retentus est: quo tẽpore suscitatus à mortuis, dixit se ante quendam iudicem deductũ, illicque magnis

clamoribus reprehensos eos, à quibus fuerat perductus, quòd iudex non illum, sed Stephanũ Ferrarium eius vicinum deduci iusserat, missique ad illum ipsum Ferrarium nuntiauerunt eum illa ipsa hora mortuum esse. Hoc autem Gregorius se ab ipso Stephano audiuisse testatur, meo quidem iudicio, neque mors, neque resurrectio dubia videri potest in hoc. Bap. Fulg. lib. I.

De quodam pastore suscitato.

Cùm pestis in vrbe Roma sæuiret, Italiam procurante Narsete Exarcho peste in Valeriani Aduocati domo correptus est iuuenis natione Liburnus, & pastor ingenio moderato, minimèque malo: qui cùm putaretur penè mortuus, statim ad se reuersus vocato domino, nuntiauit ei, verè se in cælo fuisse, ibique intellexisse, quot & qui ex ea domo peste morituri erãt, eisque nominatim declaratis affirmauit dominum superiecturum: & vt fides dictis haberetur, ostendit se linguas omnes didicisse, atque ea ipsa hora cum domino Græcè loquutus, aliarum linguarum cum his, qui earum notitiam habebant, periculum fecit, cùm anteà solam Romanam didicisset: cùm biduum ita vixisset, penè in rabiem versus, mordicus apprehensis manibus, iterum mortuus est, eúmque sequuti, quos nominauerat morituros, domino superstite, prædicta ab eo cõpleuere. ibidem.

De clerico Germano.

Mirum proculdubio illud etiam fuit quod Federici II. tempore notum est, cuidam Germano clerico contigisse, qui ex Petra sancti Michaëlis ortus erat: is à vena hausto sanguine, seruata aliarum rerum memoria, literas tantum oblitus fuit, nec plus aut legere, aut scribere norat, quàm si vtrunque nunquam didicisset, annúmque in hac oblitione mansit: postea eodem tempore atque ex eodem loco iterum hausto sanguine (mira res est) ad eandem legendi scribendique scientiã, quam antè habebat, restitutus est. his qui rem intellexerunt, non minus in admirationem propter hoc motis, quàm Athenienses propter casum, de quo Valerius in Memorabilibus scripsit. In eo enim percussum caput, si memoriam offendit, haud mirum est: si quidem in occipite sedem esse memoriæ ferunt. at in Germano clerico intacto capite sanguinis haustus ab eadem vena per temporis interuallum ademit primò literarum memoriã, deinde restituit. ibid.

De Ioanne Damasceno.

Maius referam, quàm quod de Germano clerico dictum est: siquidem obtrũcatam manum post temporis interuallum corpori, à quo abscissa erat, restitutam esse haud dubiè humanam superat fidem. Theodosius Imperator falsò suspectum habuit Ioannem Damascenum Monachum, ne ad Persas scriberet, apud quos captiuus fuerat. Itaque abscissa manu, eum mulctauit: quæ Saluatoris nostri Matris virginis ope, nulla remanente offensa, palàm restituta est, vt antè erat: etsi Ecclesiæ valuis affixa multos manserat dies. quæ res etiam Damasceni innocentiam testata est. ibid.

De Hirene virgine Cypria ac Spiridione Episcopo.

Miraculo à falso crimine liberatus Damascenus: propter rei similitudinem secũ trahit quod Spiridioni Salaminio Episcopo in insula Cypro contigit: à quo cùm pecunia reposceretur, quæ penes eius filiam Hirenem virginem deposita dicebatur, cuius moriens virgo nullam fecerat mentionem, cùm Episcopo inopia soluendi modum non daret, alia ratio inueniendæ veritatis non offerretur, creditorem Episcopus secũ ad sepulturæ locum, vbi filia Hirene erat sita, perduxit. filiæ igitur tumulo incũbens, ac Deum orãs, ab ea petiit, vt de petita pecunia veritatem detegeret. Itaq; Hirenes vox palàm audita est, respõden

tis vbi eam pecuniã condidisset, quæsitáque eo ipso in loco, quem dixerat, inuenta est. ibidem.

De Benedicto abbate, ac Martino.

Mirum videri debet, Benedictum Abbatem Totilæ Regi futura prædixisse, cùm ad eum profectus esset experiendi gratia, an propheticum Spiritum (vt ferebatur) haberet. Nam quanquam ad Benedictum mutata veste Totilas accessisset, & alium regio ornatu pro se misisset, statim Benedictus eum agnouit, prædixitque redaturum vrbem Romam in potestatem, & item in Siciliã traiecturum: sed demùm decimo anno pòst moriturum: quæ omnia, vt Benedictus dixerat, contigerunt. Idem à Martino Turonensi Episcopo factum fuit Maximo Tyranno: quemadmodum Seuerus Sulpitius testatur. ibidem.

De Eduardo Britanniæ Rege.

Eduardus I. Britannorũ Rex non minore admiratione, quàm ij, de quibus dictum est, tanquam rem præsentem eam narrauit: quæ propter loci longinquitatem perinde atque suprà dicta in futurarum numero haberi poterat. Nam dum in templo oraret, vultum in ridentis speciem ad eos conuersus, qui aderant, dixit, Frothonem Dacarum Regem, qui cõtra ipsum magna classe veniebat, ea ipsa hora cum quadraginta nauibus submersum esse, idque paucis diebus ab ijs, qui indè venerunt, confirmatum fuit: ita ea hora contigisse, vt ab Eduardo dictum fuerat. ibidem.

De Iuliano II. Imperatore

Præsens se diuinum ostendit numen Hierosolymis ingenti hominum formidine, cùm Iulianus II. Imperator in Christianæ religionis contemptum, Iudæos instaurare dirutum sub Tito templũ eorum permisit, demãdata eius cura Antiocheno Philippo. Nam pòst iactos in fundamẽtis primos lapides terra edito ingenti mugitu vehementer tremuit, cœptúmque iam murum à fundamentis mixta flamma cum ingenti fabrorum strage reuomuit, omnibus, quæ illic erant, vsque ad ferramenta ipsa cõsumptis: quę res, vt opus intermitterent, effecit, proximáq; nocte multis cruces in vestibus, que deleri non poterant, apparuêre. ibid.

De duobus Hispanis Equitibus.

Cùm Ferdinandus IIII. Castulonensis Rex falsis criminibus proditionis duos Equites Hispanos morti damnasset, & ab ingenti saxo præcipitarentur, frustráque de innocentibus sumi supplicium exclamarent, tandem cùm nihil proficerent, ad Iesum Christum appellarunt, qui viuorum & mortuorum iudex est: atque vt intra triginta dies coram eo apparerent, Regem citauerunt, qui intra id tempus repentè decessit. ibidem.

De Heraclio Imperatore.

Magno miraculo Heraclij Augusti pompa spreta fuit, cruce enim ex Perside recepta, in qua pendens Iesus nos ab æterna damnatione redemit, cùm eã in locũ suũ Heraclius in Caluariæ monte vellet referre, ditissimo apparatu regióque amictu, atque diademate ornatus, in collum eam, sicuti Redemptor noster tulerat: cepit: vt verò ad portam peruenit, qua ad Caluariæ cliuum via ducit, progredi nunquàm potuit. Itaque cùm omnes mirarentur, monente vrbis Patriarcha, fortasse Christo, qui toti terrarum orbi humilitatis, atque inopiæ se exemplum præbuit, opulentam illam superbámq; pompam esse molestam, quæ rarò iustitiæ esset coniuncta, mutata rerum facie, Heraclius cùm abiectam vestem induisset, nudis pedibus facilè quò voluit, crucẽ pertulit. ibid.

De Iacobo apostolo, atque Hispanis.

Eo prælio, quo Ramirus Hispaniarum Rex aduersus Sarracenos decertauit, iuxta Cala-

gurium ab omnibus equitibus, qui interfuere, conspectus est Iacobus Apostolus albo vexillo Christianorum aciem antecedere, atque in fugam Sarracenos vertere. ibidem.

De Balduino III. Hierosolymarum Rege.

Cùm Balduinus Hierosolymarum Rex ab Arabia regrederetur, frustra vrbem Bussereth occupare adortus, eúmque Turcæ acriter insectarentur, aberraßéque via in ea regione, biduo ab equite, qui rubens vexillum præferebat, ductus est: in vexillo autem crucis signum erat positum, longéque is exercitum anteibat, qui nusquam conspectus est, posteaquam incolumis Rex cũ copiis in tutum se locum recepit. ibidem.

De Venetis.

Cùm aquæ supra consuetum excreuissent, ita vt non leue periculum Venetæ vrbi immineret, manè piscator senex retulit, dum tempestas sæuiret, à tribus se venerandi aspectus requisitum, eósque vsque in portus fauces tulisse, qui sedata tẽpestate, omnes in vrbe remanserunt, in sancti Georgij fano vnus, alius in sancto Nicolao, tertius cùm alios duos Georgium & Nicolaum esse dixisset, se Marcum esse Euangelistam ostendit, imperauitque, vt quod viderat, narraret: quia ab vrbis principe abundè laboris sui dum eos trajiceret, mercedem esset accepturus: vt autem ijs, quæ narraret, fidem penes homines inueniret, annulum donauit, quem piscator ostendebat. Itaque re audita Veneti constituto piscatori annuo stipendio, supplicationes decreuerunt. ibidem.

De Hirene Augusta.

Imperante Constantino cum Hirene matre in veteri sepulchro Constantinopoli cadauer inuentum est, cuius pectori superposita erat aurea lamina, in qua hæc verba incisa erant, In Christum credo, qui ex Maria virgine nascetur. O sol imperantibus Constantino & Hirene iterum me videbis. Quæ res posteaquàm publicè recitata fuit, in locum restituta est, vbi antea condita manebat. ibidem.

De Mirãdis quæ in aquis perspecta sunt.

Non in igne solùm temporibus nostris, verùm etiam in aquis contrario ei elemento mirãda perspecta sunt. Nam Ægyptia Maria Iordanẽ amnem sicco vestigio, neque semel tantùm transgressa est, qui fluuius si sola naturæ vis inspiciatur, trajci sine naui non potest. Regnantibus Antarico Longobardorum Rege, item Mauricio Augusto in Pelagij pontificatu, cum Athesis, qui Veronam vrbem mediam secat, adeò excreuisset, vt superato alueo, eius aquæ iam vsque ad fenestras fani, vbi Zeno colitur, ascendissent, in ipsum tamen fanum neque à valuis, neque à fenestris, etsi apertæ erãt, eius humoris pars vlla ingressa est. Sed magis etiam illud mirum videtur, quòd homines qui fortè infano inuenti sunt, vbi aquæ sæuiebant, à porta ex eis biberunt, & in vasa receperunt. ibidem.

De Redemptoris sanguine miranda.

Imperantibus Ottone Philippóque in bello, quod pro Germanico imperio inter se gesserunt, cùm permulti se cum rebus suis in fanum sancti Gauari haud longè à Treuiris recepissent, quia & natura & manu satis munitus videbatur is locus, eóque oppugnaturus tẽplum Vernereus Bolantus venisset, qui intus obsidebantur, cum suspectam haberent fenestram, ne ea hostes aditum sibi in templum facerent, posita in eo loco Crucifixi Christi imagine, quæ lignea erat, satis cauisse rebantur, ne inde hostes venirent. Sed cum auaritia pro Deo aurum colat, sagittarius quidam populationis spe sagittam in eum ipsum locum direxit, vbi in Christi imagine confixa fuit. quamobrem sic Deo visum est, tanquàm

ex viuēte corpore à lignea Christi effigie sanguis manauit. quare territus Vernereus cruce sumpta, mare ad bellum contra Christi hostes gerendum traiecit: imago autem sagittáque sanguine consperſæ veneranter in hunc quoque diem asseruantur.

Salutis anno ducentesimo nonagesimo supra mille in Parrhisiorum vrbe quidam Iudæus per inopem mulierculam, cui vestem, quam ab ea oppignerata habebat, se gratis restituturum promiserat, Christianam hostiam in Paschate assequutus, cùm accenso igne in sartagine vellet assare, vt perspexit eam non mutare formam nec colorem, gladio eam pupugit, ex qua confestim sanguis manauit: re autem detecta, superuenientibus Christianis, hostia in loco ei dicato restituta, Iudæi domus in templum cōuersa est, quæ etiam nunc Saluatoris bullientis nomine compellatur, vbi hostia gladiúsque etiam nunc ostenduntur.

Temporibus nostris eo bello, quod Carolus VIII. Gallorum Rex gessit aduersus Annam eius Galliæ partis, quæ Britannia dicitur, ducē, quam postea in matrimonio coniunctam habuit: Britannus quidem cum ea militabat, qui Renensi vrbe egressus cùm aliis ex hostili terra prædatum pagum ingressus, vbi templum erat, in quod meliorem rerum suarum partem agrestes detulerant, capsam confregit, arbitratus secularium hominum esse, repletóque sinu his rebus, quas auferre secum poterat: posteaquàm domū rediit, dum res raptas agnoscit, in eis particulas quasdam lineas vidit, haud absimiles his, quæ ad nasi purgationem conficiuntur, minimèque arbitratus ex eo genere esse, quibus sacerdotes pro mappa ad sustinendā Christi hostiam vtūtur. neque enim in Gallia ita hæc, vt ab Italis instruuntur fœminæ in ea domo, in qua ex hospicio accipiebatur, eas dono dedit. Cùm autem sanguine infectas cerneret, primum manus suas inspexit, quas cùm illæsas cerneret, neque inde sanguinem manasse, ad fedandam telam videret, in sinum suum oculos deflexit, vbi integra pectoris cute diploidem quoque cum interiore tunica sanguine illitum animaduertit: quanquam vehementer miraretur, tamen eius rei causam intelligere non poterat: fœmina quoque quæ munus acceperat, cùm ad amnem lotura hos pannos tulisset, non modò ex pannis huius sanguinis maculæ non abibāt, sed aqua quoque cruenta fluebat. Itaque vehementer territa, cùm rem narrasset, suspicata sacram esse telam, eius sacrilegij error inuentus est, & pro comperto miraculum inuentum, et palàm omnibus factum. Quod aut simile est ei rei, quæ Leoni Pontifici cōtigit, qui petentibus à se sanctas reliquias eius mappæ, quæ corporale dicitur, partem secabat, & dabat. Cæterum cùm semel quidam eam rem despiceret, Leo illo præsente mappam pupugit, clareque illi ostendit sanguinem ex ea manare. ibid.

De trium Regum corporibus.

Sicut deos penates ex Alba longa Lauinium, vnde abducti erant, reuertisse credidit vetustas: ita verius Ottonis & Philippi Imperatorum bello Coloniam visa sunt redire, in templum vndecim millium Virginum, trium Regum corpora, ab abbatia Fuldensi in Turingia regione, ad quā à Colonia fuerant trāslata. Manè enim dum nocturni Psalmi cantarentur, Abbas Monachique eius monasterij egredi templo corpora ipsorum trium conspexere Regum, quæ haud multò post Coloniæ in templo, vbi antea erāt, fuerunt inuenta. ibid.

De Hostia Christi immolata.

In Germania Erchembaldus Burbatius cùm eger sacram peteret communionem, & interrogatus, si eum manifestæ cædis, quæ in nepotem perpetrata erat, pœniteret: isque quia in-

ſtam putaret, pœnitere negaret, Epiſcopus cùm Chriſtiana hoſtia ad templum reuertebatur, nec verò ad templi valuas peruenerat, cùm ab ægro reuocatus, rogatus eſt, vt tabernaculũ, in quo hoſtiam ipſam ferebat, recluderet: vbi cùm non inueniretur hoſtia, æger in ore ſe eã habere oſtendit. quo miraculo oſtenſum eſt, Deum, qui non falli poteſt, de illa cæde aliter quàm Epiſcopus fecerat, iudicaſſe. ibidem.

De Vinaldo Heſdinenſi.

Eccleſiaſticus quidam Heſdinenſis pagi incola in Leodienſi agro, cum religionis gratia Hieroſolymam perrexiſſet, poſt comites Hieroſolymis ſubſtitit, vt Paſchatis die diuina illic celebrari, quæ alij omittebant, audiret: veritus autem poſtea ne traijciendi in Europam facultatem ob eam moram amitteret, Ioppem ad mare properabat: itaque deſeſſus in itinere equidem offendit, qui miſericordia ſe motum oſtendens, eum in equi tergum accepit, ab eóque eo ipſo die magna omnium ſuorum admiratione in pagum ſuum Heſdinũ perductus fuit. ibi re expoſita, vt contigerat, cùm accolæ aberrare à recta mente putarent, in Hiſpaniam ad ſancti Iacobi fanum profectus eſt: atque inde reuerſus priuſquam ab Hieroſolymis comites in patriam regrederentur: ab eis cùm eſſet affirmatũ poſt ipſos eum Hieroſolymis ſubſtitiſſe: tunc quod ille de reditus celeritate narrauerat, fidem cœpit habere. ibid.

De Aquinate Thoma & imaginibus, quæ loquutæ ſunt.

Neapoli in Prædicatorũ templo cruci affixa Chriſti effigies Aquinati Thomæ reſpondit, rectè eum de ſe ſcripſiſſe, cùm Thomas librum tenens, quem aduerſus Græcorum errores ſcripſerat, Chriſtum oraret, vt ſe moneret, ſi qua in parte eius libri erraſſet, quòd eum ad Lugdunenſe Concilium Vrbani IIII. iuſſu laturus erat.

In vrbe quoquè Caſtrenſi opinio eſt, Dominico Crucifixum loquutum, qui hoc quoque tempore veneranter colitur, atque oſtenditur.

Item Franciſco haud longè ab Aſiſio vrbe, quæ ei patria fuit, in ſancti Damiani fano, cùm eum reparare domũ ſuam iuberet. ibid.

De quibuſdam Afris Epiſcopis.

Cùm non minus mirum ſit, hominẽ lingua carẽtem, quàm ligneam loqui ſtatuam (ſiquidem ſine lingua egrediens ab humano corpore ſpiritus aërem verberare non poteſt, id quod formare vocem dicitur) non incongruum videtur his, de quibus dictum eſt, multorum Epiſcoporum exempla ſubnectere. quos in Africa quia rectè de catholica fide ſentiebãt, Honoricus Vandalorum Rex Arriana impietate laborans, qui illic rerum potiebatur, lingua radicitus quantum fieri potuit, abſciſſa, mulctauerat: & tamen loquendi facultatem non amiſerunt. Id enim experimento conſpectum eſt ipſorum Epiſcoporum quibuſdam imperante Iuſtiniano Conſtantinopolim profectis. aperto enim ore cùm ſectæ vſque ad intimas gutturis fauces palàm linguæ viderentur, articulatè tamen planéque, vt alij homines loquebantur. ibid.

De Carolo & Franciſco Guarnis ciuibus Salernitanis.

Miranda quoque res ætate noſtra contigit, Neapoli regnante Ferdinando I. Nam cum Ludouicus Guarna Salernitanus ciuis quinque filias ſuſcepiſſet, quarum natu maioribus duabus alteri Franciſcæ, Carolæ alteri erat nomen: poſteaquam ad quintumdecimum annum peruenerunt, ambabus genitalia membra in marium morem erupére, mutatóque habitu pro maribus habiti ſunt, Franciſcus & Carolus nuncupati.

Item Ebuli ſub eodem Rege puellæ, quæ iam quatuor annos

viro promissa, sponsæ habuerat nomen qua nocte primum viro tradita, cum eo cubuit, siue ex confricatione, siue ob aliam causam quæ ignota sit, effractis mẽbranis, quæ vt mulier videretur, efficiebant, virilia membra prodierunt, domúmque reuersa, in iudicio dotem repetiuit, virorum numero postea habita. ibidem.

De Margarita Holandiæ. Comite.

Ostenti quoque loco habitum est quod à Virginis partu trecentesimo quartodecimo supra mille, cùm in Germania Lucẽburgensis Henricus imperaret, Margarita Holandiæ Comes qua parte Rhenus Oceanum illabitur, trecentos ac sexaginta filios viuos, ita vt Baptismi characterem acciperent, vno partu edidit. ibid.

De Medardo & Gerardo fratribus geminis.

Possunt iis quoque annumerari Medardus et Gerardus Galli fratres gemini, non solùm eodem nati die, verùm etiam eodem ad episcopatus honorem ad Rhotomagensem alter, alter autem ad Nouiodunensem Ecclesiam euecti: & ne quid ad paritatem deesset, mortui etiam eadem die, animis etiam ita cõcordes, vt nequaquàm eis essent Philosophi Hippoclides & Polistratus anteferendi. ibidem.

De his, qui sine cibo vixerunt.

In Germania in vrbe Colonia Federico II. regnãte sæpius quidã abalienato sensu septem hebdomadas cibo caruit, sola aqua interdum epota, cùm Albertus Magnus Ratisponensis episcopus vt rem cognosceret, diligenter eum obseruasset, qui etiam mulierem quandam Germanicam dies viginti sine cibo mansisse scriptum reliquit.

Item Augustinus, cùm Casulano rescriberet, affirmauit, temporibus suis quandam quadraginta diebus sine cibo vixisse. Alium quoque Petrarcha ponit, Venetiis idẽ fecisse, à multisque eius rei experimentum fuisse factum.

Hoc etiam magis mirum est, quod Olympiodorus Platonicus scripsit Aristotelis, qui rem vidit, testimonio, fuisse hominem, qui donec vixit, neque manducauit vnquàm, neque dormiuit: cæterùm in sole manendo, alimentum accepit.

In Gallorum Annalibus editum est salutis anno trecentesimo vigesimosecundo supra mille in agro Tullensi puellam fuisse duodecimum annum non superantem, quæ triẽnium post sumptam sacram hostiam vixit, nullo alio aut potu, aut cibo sumpto, & post id tempus ad consuetam viuendi normam redijsse.

His quoque tẽporibus Perusiæ Palumba Interamnẽsis annos nata viginti, eadem hostia nullo alio sumpto cibo septem annos vixit. id quod Innocentius VIII. Pontifex re quæsita diligenter inspexit.

Fuit Eugenio IIII. Pontifice Gallus quidam nomine Iacobus, qui in aula Romana Amanuensis erat: is graui valetudine affectus, cùm in Patriã redijsset, Hierosolymitanã peregrinationem vouit: inde ergo Romam Nicolao V. Põtifice reuersus, magna eorum admiratione, qui rem inspexerunt, dum obseruaretur, nec bibere, nec esse vnquam inuentus est, iuréque iurando affirmauit se tam biennium ita vixisse.

Anno quoq; salutis quadrigẽtesimo sexagesimo post mille Nicolaus Heluetius Vnderualdẽsis post susceptos ex cõiuge quique liberos, cùm haud longè ab oppido solitariam ageret vitam, peracto quintodecimo anno sine vllo potu ciboque decessit, verãque inuenta fuerũt quæ prædicebat futura, vitáque prorsus austera fidem faciebat, nihil ab eo de cibi ac potus abstinentia fingi, & tamen Constãtiẽsis Episcopus, in cuius diœcesi agebat, profectus ad eũ ipsum locum, vbi Nicolaus erat, diligenter rem perquisiuit, inuentáque palàm literis mandauit: qui vt de re certior fieret, sub obedientiæ imperio recusantem

parum cibi sumere coëgit, ob quam rem triduum grauiter stomachi dolore laborauit, id quod ipse vereri se antè monuerat. Nec verò Episcopo illi tantùm, verũ multis quoque principibus Germanicis, Gallis, atque Italis, qui eò profecti sunt, res hæc explorata fuit. Nos quoque cùm his loquuti, qui viderunt, ac sermones vnà seruerũt, rem extra ambiguũ ponimus: præsertim quod de hac cibi abstinentia diligentius quæsitum est, de qua ipse parcè loquebatur, remque non miraculo, sed naturæ tribuerat. ibid.

DE ÆMVLATIONE, Græcorum exempla.

De Alexandro Macedone.

ALexander Philippi filius (quod satis cõstat) intra Hydaspẽ Fluuium & Gangem metas fixit, rerum à se gestarum terminos indubitato æmulationis argumento eorum, quæ duo illi diu antea gesserũt. Sabel lib. 6.

De Themistocle Athenienſi.

Fuit & Themistocles ambitiosus atque in tãtum illustriũ virorum æmulus, vt planè fateretur, Miltiadis trophæa sibi somnum adimere. ibidem.

De Platone & Xenophonte.

Cæterùm quia de Græcis sermo est, Plato vir summus & Xenophon haud expertes fuisse creduntur talis affectus, id indicio est, quòd neuter alterius meminit vnquam, cùm multa vterque scripserit: ambo clari & inter se alioqui noti, Socraticæq; sapientiæ ambo alumni. ibidem.

De Aristotele.

Vidit Aristoteles Stagirites Xenocratem sibi prælatum, cuius condiscipulus fuit. (nota est vox Platonis, cui illi ambo operam dederunt, Heu qualem asinum iunxi currenti equo.) nec

eam tulit ignominiam Philosophus, alioqui eminentissimus: sed procul Athenis, vbi id acciderat, reliquũ vitæ egit, Atticæ ciuitati haud dubiè iratus. Pari affectu ad Rhetoricen tractandam sese contulit, Isocratis æmulatione. nota est eius vox, Turpe est Aristotelem silere, loquente Isocrate. ibidem.

De Apelle Coo.

Est & Apelles æmulantiũ ambitione vulgi iudicio superatus: prouocauit inde ad naturæ tribunal, éstque ab ea victor iudicatus in equi figuratione. ibidem.

De Magis Ægyptiacis.

Latè patet hic affectus, carétque interdum vitio: nam æmulari in homine quæ iure laudẽtur, non solùm non detestabile sit, sed laude etiam digniũ, modò odium & insectatio procul absint: quale in ipsa Ægypto accidit, cùm eorum quidã, qui sapientes videri volebant, tum Mose in certamen venere, magis odio quàm cõtentione accẽsi. Nam quia Propheta summus mystica vtebatur virga, quæ cæli prouidentia nunc serpens fieri, nunc aliud diuersum, magica illi arte freti, ne miraculũ pro miraculo esset, nouiũ cõmenti sunt oculorũ ludibriũ, vt quibus ipsi virgis magicis vterentur, in colubros verterẽtur. Coarguit Magorum fraudem diuina vis, cui nemo nisi impius repugnat, vanásque Hydrorum species non sine spectantium stupore verus mysticúsque Mosis deuorauit serpens. ibidem.

De Bethleii ſenis æmulatione.

Agè verò & quàm Bethleij senis detestabilis fuit æmulatio, qui Prophetam mentitus, Ladanem virum prophetici spiritus instituto auertit itinere. sensit fatidicus senex Bethlehẽ reuersus, incurrisse iram numinis, quòd tantùm Roboæ impietatem iussus corripere, prophani hominis dicto obtemperasset: sensit, ac simul vaticinatus est fore, vt breui violento belluæ

incursu laniaretur. Nec vaticinio defuit euentus. ibidem.

De Simone Mago.

Simon Samaritanus magicæ artis haud ignarus, vnde & Magi illi cognomen fuit, quia pietate & omni virtutum genere inferior erat Petro Bar-iona, malis eum artibus vincere conatus est, obiecitque magicas vanitates diuinæ virtuti, hunc prouocare ausus, cui ligandi soluendique omnia è cælo concessa erat potestas. Concidit Simon medio conatu: & dum pietati illudit, illusus est, dum cælum inaniter scandit, solo est grauiter afflictus. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De M. Crasso & Pompeio.

Fvit Marcus Crassus ex cõfesso Cnei Pompeij æmulus: sed vt diuitijs maior, ita rerum gestarum gloria longè inferior. Catonem, cui Vtica cognomen dedit, M. Fauonius æmulatus est in vitæ sanctitate: Hortensius Ciceronem in eloquentia: sũntque multò facilius æmulorum nomen, quàm propositum adepti. Sabel. lib. 6.

DE VIOLENTIA, & seditione, Græcorum exempla.

De Populo Atheniensi.

Qvo tempore cum Eumolpho Atheniẽses bellum gerebant, omnibus sequentem annum annonæ caritatem occupaturam arbitrãtibus, eius rei gratia Periander, qui Athenis quæsturam gerebat, vt longius extenderentur, parcè populo frumenta diuidebat. Quare eum plebs irata proditionis accusauit: cùm tamen prudenter publico bono consuleret, cùm autem in iudicio staret, illic impetu facto lapidatus est. Bapt. Fulg. lib. 9.

De Mithridatis exercitu.

Insignis seditionis experimẽtum dedit Mithridatis exercitus, cùm in eum L. Lucullus arma mouisset. nam cùm in Armeniorum castris esset nuntiatum, Menandrum, Menemachum, atque Mironem militares Mithridatis duces, qui pabulatoribus præsidio iuerant, à Lucullianis militibus fusos fuisse, adeò territus est exercitus, vt omnibus sua extra castra ferentibus ob strepitũ Mithridates excitaretur, tentorióque egressus, vt quidnam id esset, inspiceret, à suis solus & pedes desertus est. cùm autem ita omnia ob eam rem in castris perturbarentur, vt sublata imperij reuerentia, cui plus viriũ erat, is ex alieno plura raperet, atque prædandi initio à Mithridatis rebus facto, omnis eius pretiosa supellex diriperetur, eò militaris temeritas progressa est, vt Dorbatus militaris præfectus ob id solùm occideretur, vt ei insignem vestem, quàm habebat, milites adimerent. Ea autem militũ perturbatio, quæ ipsorum duntaxat culpa orta erat, Lucullo vincendi rationẽ auxit, in qua clade non minus Mithridates, quàm reliquus exercitus cum omni castrensium rerum copia, quibus Armenij aiũt stultè timebant, aut eas in prædam vertebant, captus fuisset, nisi eum Ptolomæus eunuchus in equum suũ statim sustulisset. ibidem.

De Alexandrino populo.

Imperante Galieno viro admodum ignauo, à milite vapulauit Alexandriæ in Ægypto magistratus cuiusdam seruus, quod ei dixerat, se calceos pulchriores habere. Itaque cùm ad clamantis vocem multi accurrissent, ita inualuit tumultus, vt Alexãdrini aduersus Æmilianum Proconsulem sedandi tumultus gratia egressum saxis, ignéque irruerent, tantáque illa populi vis fuit, vt Æmiliano necesse fuerit eius leniendi gratia imperatorem se aduersus Galienum dicere, ducémque se seditioso populo præbere: vnde postea magni bellorũ

motus sequuti sunt, ex quibus tota Ægyptus ingentia mala pertulit.ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Scipionis exercitu.

DEtestanda ratio seditionis eius fuit, qua Scipionis Consulis exercitus cùm aduersus Syllam proficisceretur, militarem disciplinam soluit.nam cùm Syllæ appropinquasset, adeò ducis imperium spreuit, vt cùm neque arma capere, neque tueri castra vellet, à L. Sylla, qui non vltra viginti cohortes secum habebat, Scipionis autem exercitus sexaginta millium numerum excederet, in tentoriis suis eum capi passus sit. Bap.Fulg.lib.9.

De L. Posthumij Tribuni militaris exercitu.

L.Posthumius Tribunus militaris consulari potestate cùm diripiendam Æquorum oppidum Nolam exercitui suo, vt promiserat, non concederet, itē ob ea, quæ superbè in plebem dixerat, concitato in vrbe Roma tumultu, propter illatum eius scribæ vulnus ab exercitu suo lapidatus est.ibid.

De Volscis.

Volsci Actij Tullij artibus impulsi populari impetu Martium Coriolanum Actij Collegā lapidibus obruerunt, cuius rei postea pœnitētia ducti, cùm victoriarum in mentem venirent, quas eo duce aduersus Romanos Volsci obtinuerant, vt crimen corrigerent, ingenti atque publica impēsa funus eius celebrarunt. ibid.

De Prætorianis militibus in Galbam Imperatorem.

Galbam, qui per omnes honorum gradus ad imperij culmen ascenderat, & quem Senatus ac Romani milites ex Hispania, vt à Neronis tyrannide liberarentur, acciuerant, Prætoriani milites sui interemerunt, cùm eius rei nulla alia esset causa, nisi militum ipsorum ingens auaritia.nam ad seditionem cōpulsi, quòd dicerent, eum seuerior em, parciorémque, quàm opus esset, videri, verborum rerúmque contumelia affectum nulla Augustalis dignitatis, nulla fidei habita ratione, in medio foro crudeliter occiderunt.ibidem.

De Censorini exercitu.

Rarò euenit, vt qui in seditionem semel incidit exercitus, veluti equus, qui spretis frænis in cursum agitur, in multa alia infanda facinora præceps non ruat: id Galieni exercitus ita esse ostendit, qui ei indignatus, spreto imperij iure, Censorinum Imperatorem creauit: is per omnes honorum gradus cucurrerat, & tūc vulnere, quod in prælio acceperat, debilitatus, in agro suo latebat. Ad imperium igitur euectus, quia milites, vt disciplinam seruarent, cogebat, insolentiæ autem assueti ferre eius seueritatem non poterant, ab eis Censorinus cæsus fuit.ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Visegotthis.

GOtthi seditione mota per impetum Ataulphum, quòd pacem cum Honorio Imperatore iniuerat, occiderunt: quanquam regnum ingenti animo Italia atque vrbe Roma direpta administrasset. Bapt. Fulg.lib.9.

De Bulgaris.

Bulgari gens Scythica atque fera Telesium Regem suum populari tumultu occidit, cùm Græcorum bello victus domum reuerteretur. ibidem.

De Venetis.

Nihilo iustior causa fuit, vnde Venetorum ortus est tumultus, cùm populari impetu Vitalem Michaëlem, ducem suum interemerunt, quod vrbem pestis classe in patriam reuersa, corripuisset: eius enim rei culpā Vitali, qui rem ignorabat, ceteris parum considerato in exitiabile crimen verterunt.ibid.

De Londinensi populo.

Furoris quoque plena Londinensium seditio fuit, cùm regnante Henrico VI. in Britānia,

Universidad de Deusto Biblioteca

& eum ab vrbe Londina abesse contingeret, populus Meri agẽte armis arreptis Clocestrensem Episcopum, cui minoris Regij sigilli custodia demandata erat, occidit, atque Marchionem Suffocensem captum in turri (ita enim dicitur munitus in ea vrbe locus) custodiri iussit, à qua cùm profugeret, in via deprehensus est, atque eius caput confestim Londinam missum, cùm autem iratæ plebis rabiei id non sufficeret, à Rege quidã ipsius consiliarij plebis arbitrio permissi sunt, quibus occisis populus demum quieuit. ibidem.

De Brugiensi populo.

Haud minus gratis seditio fuit, quæ in Brugiensi vrbe mota est, quo tempore Philippus cognomento Pulcher Gallorum Rex in Flandria (quæ Belgicæ portio est) rerum potiebatur. cõtentione enim inter minutam plebem, cum qua artifices atq; mercatores sentiebãt, orta, cùm præterea nimium grauibus seoneribus premi quererentur, plebs arreptis armis carcere liberauit Petrum cognomẽto Regem lanarium textorem, & Giambridam Lanium. qui ambo propter seditionem in carcere erant: hos ambos multitudinis duces constituit, atque ipsum imprimis Petrum, quòd quanquam statura pusillus esset, tamen ob seniũ experiẽdo prudentiam ingentem comparauerat, & quod cætera in seditiosis hominibus condire solet, altero captus erat oculo. His ducibus Brugiensis plebs non vrbe modò sua, verùm à tota quoque Flandria Gallos depulit, deletisque eorum copiis, multos ipsorum occidit: & cùm post longum ac graue bellum cùm Gallorum Rege pacem iniuissent, Flandrenses liberi sub Comitibus iuxta veterem Flandriæ morem remanserunt. ibid.

De Gallorum pastoribus atque Ægyptio Mago.

Noua neque ea contemnenda seditionis causa in Gallia fuit anno salutis ducentesimo quinquagesimo atque altero supra mille: hæc ab Ægyptio Mago

excitata est, qui à Pannonia venerat, vbi haud dissimilibus lu dibriis hominum mentes fefellerat. Is apud agrestes pastores concionabatur, & veluti Propheta prædicebat, Syriæ partem quam Christus viuens peragrauit, & in qua passus est, per eos recuperatum iri: quibus verbis cùm ad hoc etiam accederet bonitatis existimatio, quæ de eo apud omnes erat, manum circiter sexaginta millium hominum coegerat, quæ eum vbique prosequebatur, atque in omnibus parebat, mitra, pontificióque habitu vtebatur, atque in matrimoniis dispensabat. Cùm autem id sacerdotes permolestè ferrent, eorum permultos à suis occidi curauit: quæ manus cùm permulta alia prædando, ac sceleratè agendo, nefanda ederet facinora, in duas diuisa partes, cùm pars Massiliam abijsset, alij autem in Biturigibus constitissent, vtrobique oppressi interierunt, & ita scelus illud extinctum est. ibidem.

De Budensi populo.

Magnas vires insita penè à natura inter vicinas nationes odia ad concitandos tumultus habere solent, quemadmodum Budæ vrbi Pannoniæ contigit. nam cùm illic Albertus esset, idem imperij honore atq; Austriæ ducatu insignis & iudex Germanus, vt iudicium exequeretur, hominem Pannonium in Danubium præcipitari iussisset, Budensis populus, cui Germanica natio, vt alijs Pannoniis inuisa erat, spreta Augustali reuerentia, adeò se propter eam rem commotum ostendit, vt arreptis armis in omnes Germanos, quos obuios habebat, sæuiret, & direptis eorum ædibus domi inuentos crudeliter haberet. Imperator autem, qui in arce erat, cùm egredi, vt populi motum sedaret, vereretur, Ioannem Capistranum Minorum ordinem profitentem, qui in ea regione propter virtutem ac religionem, vt vir sanctus colebatur, ad tumultuantem populum misit, fretus per eum sedari tumultum posse. cæterùm populus arreptũ in humeros Ioãnem cum cruce, quam manu

gestabat, ad omnes ædes, ad quas diripiendi gratia proficiscebatur, eum tulit, neque antè prædæ finem fecit, quàm quod diripi posset, esse desinit, in eo solo homini sancto habita reuerentia, quod ipso præsente ab effundendo humano sanguine abstinuit. ibidem.

De Romanis in Leonem III. Pontificem.

Scelesta prorsus atque impia seditio fuit, qua Romam suasoribus Paschali Primicerio & Campulo sacerdote in Leonem III. pontificem, cùm is vrbem religiosa processione perambularet, irruerunt. nulla enim vel rei ipsius, quam Pontifex magna religione peragebat, neque apostolicæ dignitatis, quam sustinebat, habita ratione, non longè à sancti Sylvestri fano armis in eum impetu facto, calcibus pugnisque malè multarũt, ita vt linguæ atque oculorum vsum se amisisse putaret, scelerato facto apud sancti Erasmi sacellum carcerem addiderũt: vnde non antè emissus est pontifex, quàm Vigilius Spoletanus Dux armis eum liberauit. ibidem.

De eisdem in Gelasium II. Pontificem.

Non minus quoque sceleratus is motus fuit, quo Cincius atq; Leo Frangepanes, quibus cum pop. Romani magna pars sentiebat, in Gelasium II. Pontificem irruerunt, eo ipso die, quo Pontifex creatus fuit, indignati, quod alteri eorum Pontificia sors non contigisset, impetu facto cõclaue illud, in quo de creatione actum erat, ingressi, calcibus pugnisque in Gelasium sæuierunt, ac calcaribus insuper, quibus calceati erant, dilaniatum per conclaue traxerũt: ita vt penè exanimem relinquerent, neque verò in Cardinalium collegium mitiores se præbuerunt, cùm plerósque verberibus affectos dispoliarẽt, nulla enim in parte aut ecclesiasticæ, aut seculari dignitati, qua vel Pontifex vel Cardinales

Præfulgerunt, pepercerunt. ibid.

De eisdem.

In Clementis VI. pontificatu cùm pop. Romano mos esset, duos ex proceribus Romanis Senatores ad vrbis administrationem eligere, qui à Pontifice confirmabantur, Nicolaus Renty, qui Romæ tabellionatũ exercebat, in eum sui amorem populum traxit, vt arreptis armis omnes impetu facto (cùm procerum nullus obsistere auderet) nulla de Pontifice mentione facta, Nicolaum ipsum tribunum facerent, qui hunc titulũ vsurpabat, Nicolaus Seuerus ac Clemens libertatis, pacis, atque iustitiæ tribunus ac illustris Sacræ Romanæ Reipublicæ liberator: sed cùm hic populi fauor postea refrixisset, sexto mẽse ab vrbe incognitus profugit. ibidem.

DE GRATITVDINE, Græcorum exempla.

De Græciæ gratitudine.

NEc ingrati animi inhumaniue affectus extitit in Græcia exẽplum. Cùm enim Isthmiaco conuentu Titus Flaminius post Philippũ Regem victum omnibus Græciæ populis, quorum libertatem Macedo oppresserat, in pristinæ fortunæ statum Præconis voce restituisset, tantus furor audientium sequutus, vt aues supernè volantes ad terram deciderint. quin maiora etiam gratitudinis argumenta extitere, Chalcidenses diu in eo perseuerarũt, vt nulli Deorum templum, nisi Flaminij nomine apposito dedicarent, vt Herculi, Mineruæ, Neptunóue, & Flaminio sacrũ inscriberent. Sab. lib. 7.

De Alexandri in Iudæos gratitudiue.

Alexander Macedo, cùm Hierosolymis esset, Danielis Prophetæ oraculo instructus, fore, vt Rex Græciæ Persarũ olim opes euerteret, certa spe victoriæ ex ea re percepta, Iaddũ et cæte

ros sacerdotes per quos fatidicũ carmen cognouit, amplissimis donauit muneribus: ipsi ciuitati permisit, vt suis vteretur legibus, tributumque in septem annos remisit. ibid.

De Dario.

Darius priuatæ adhuc fortunæ amiculo Silosontis Samij delectatus, curiosa contemplatione fecit, vt vltro sibi, & quidem à cupido daretur. Cuius muneris quàm grata æstimatio animo eius esset allapsa, regno potitus ostendit: totam nanque vrbem & insulam Samiorum Silosonti fruendam tradidit. Non enim pretium rei estimatum, sed occasio liberalitatis est honorata, magisque à quo donum proficisceretur, quàm ad quẽ pertineret, prouisum. Max. lib. 5.

De Attalo Rege.

Liberalis populus Rom. magnitudine muneris, quòd Attalo Regi Asiam dedit dono: sed attalus etiam testamenti æquitate gratus, qui eãdem Asiam populo Romano legauit. Itaque nec huius munificentia, nec illius tam memor beneficij animus tot verbis laudari potest, quot amplissimæ ciuitates vel amicè datæ, vel piè redditæ sunt. ibidem.

De Masinissa Rege.

Cæterùm nescio an præcipuè Masinissæ Regis pectus grati animi pignoribus fuerit refertum. beneficio enim Scipionis, & persuasu regni modo liberius auctus memoriam inclyti muneris ad vltimum vitæ finem, longa etiam à diis immortalibus senectute donatus, constãtissima fide perduxit: adeò, vt eum non solùm Africa, sed etiam cunctæ gentes scirent amiciorem Corneliæ familiæ, atque vrbi Romanæ, quàm sibimet semper fuisse. Ille cùm grauissimi Carthaginensium bello premeretur, ac vix tutelæ suæ imperij sufficeret, tamen Scipioni Æmiliano, quia nepos Africani erat bonam magnámque partem Numidici exercitus, quem Lucullo Consuli, à quo ad auxilia petenda missus fuerat, in Hispaniam duceret, prõptissima mente tradidit, præsentique periculo respectum pristini beneficij anteposuit. Ille cùm iam ætate deficiente, magnas regni opes, quatuor et quinquaginta filiorum numero relinquens in lectulo laberetur, Marcum Manilium, qui Proconsul Africam obtinebat, literis obsecrauit, vt ad se Scipionẽ Æmilianum sub eo tunc militantem mitteret: feliciorem mortem suam futuram ratus, si in complexu dextræ eius supremũ spiritum ac mandata posuisset. Ille aduentum Scipionis fatis suis præcurrentibus, hæc vxori liberisque præceperat, vnum in terris populum Romanum, & vnam in pop. Rom. Scipionis domum nosse integri omnia Æmiliano reseruare: eum diuidendi regni arbitrum haberent: quod is statuisset, perinde, vt testamento cautum, immutabile ac sanctum obtineret. Tot támque variis rebus se Masinissa infatigabili pietatis serie ad cẽtesimum extendit annum. His & horum similibus exemplis beneficentia generis humani nutritur, atque augetur. Hæ sunt eius faces: hi stimuli, propter quos iuuandi & emerandi cupiditate flagrat. Et sanè amplissimæ & speciosissimæ diuitiæ sunt, feliciter erogatis beneficiis latè posse censere. ibidem.

De Plateensibus.

Plateenses in agro suo, quòd in eo cõmissum à Græcis aduersus Persas prælium fuerat, quotãnis in Græcorum memoriam, qui illic pro communi libertate occubuerant, solenni pompa sacra peragebant. Bapt. Fulgosus lib. 5.

De Sycioniis.

Grati quoque Sycionij erga Aratum fuerunt, qui eos tyrannide liberarat. defunctum enim extra Sycionis fines coronatus populus cum ingenti pompa decantatis in eius laudem carminibus, Sycionem intulit,

Universidad de Deusto Biblioteca

mirique operis & impensæ sepulchro ab ipsius appellato, nomine, cum honorauit, quotannisque illic diem Arati natalem sacrificiis ludisque apparatis celebrauit: & si quem eius gentis illic esse contingeret, eo die vt honoris gratia alios anteire cogebat.ibidem.

De Athenienſibus.

Grata nimis erga Aristidis filios Atheniẽsium ciuitas extitit.eorum enim memor, quæ Aristides pro Atheniensium salute Persarum bello egerat,honeste dotatas à publico eius filias ex publico palatio ad maritorũ ædes deduxit:Lysimachóque filio cẽtum argenti minas, & totidem agri iugera, quadragintáque drachmas in singulos dies,vnde viueret,contulit.ibidem.

De Demetrio Asiæ atque Ptolemæo Ægypti Regibus.

Gratis se animis esse mutuò Demetrius Asiæ, atque Ptolemæus Ægypti Reges ostenderunt,etsi inter se bella gererent. Nam cùm Demetrium Ptolemæus prælio victum etiam impedimentis spoliasset, regium tentorium cum aliis opibus captiuisq; charioribus Demetrio remisit,dicens inter ipsos de gloria,nõ de opibus certamen esse: ei Demetrius cùm gratias egisset, dixit, Deum se magnopere orare: vt citò parem ei referre gratiã pro accepto munere posset. Nec multò post cùm aduersus Demetrium Ptolemæus Cilem suarum copiarum ducem misisset, Demetrius prælio victum atque captum Ptolemæo cum omni aliorum captiuorum manu dono remisit.ibidem.

De Philippo Macedonũ Rege.

Macedonum Rex Philippus cùm subhastationis quorundã captiuorum spectator esset, veste supra genua collecta sedebat.cùm autem captiuorum vnus rogaret, vt eum liberare Philippus vellet,quia amici eius fuerat filius,petijt. Philippus vt nomen exprimeret: cùm captiuus ipsi soli se dictu-

rum respõdisset, vicinior factus hoc vnum dixit, Vestem,Rex, quã supra genua collegisti, dimitte:neq; enim ita sedẽdo decorem seruas. quo verbo audito Philippus,statim vestem demisit, & vt amicæ admonitionis gratus esset,captiuum statim vt amicum liberauit.ibidem.

De Xantippo Atheniẽsi.

Erga canem suum Xantippus Atheniensis gratus extitit: quia maria pernatans, vsque in Salaminem eum sequutus fuerat, quo tempore adueniente in Græciam Xerxe, maior Græciæ pars in eam se insulam recepit.Nam ne tantò amori ingratus foret, mortuo cane in Salaminæ arcæ sepulchrum ei condidit, quod diu Cynotaphium appellarunt.ibidem.

De Cane Iasonis Lycij.

Iasonis Lycij canis posteaquã dominum suum conspexit mortuum esse, omni cibo abstinuit, ne ei superuiueret, à quo dum viueret, singulariter amatus fuerat. Eo enim modò, quo ipsum natura permisit,gratum se in dominum pro illius in se beneuolentia testari voluit.ibid.

De alio cane.

Scribit Ambrosius in Hexamero canem domini corpus noctu à milite in Antiochia occisi semper custodiuisse iuxta vt poterat gementem, ad quem spectandum, quia res mira videbatur, cùm postridie multi conuenissent, atq; in eis is esset, qui eam cædem patrarat, quia ignotus se, cæde noctu peracta, arbitrabatur, à cane dentibus comprehensus, cùm insuper latratu vrgeretur, & ipse præ animi conscientia plurimùm perturbaretur suspicionem perpetratæ cædis fecit.Itaque captus à magistratu,confessione criminis extorta,mulctatus est.ibid.

De equo Antiochi.

In equum Antiochi Regis Centaretrus Gallata, cùm Regem in prælio occidisset, conscendit, quo facto visus est equus sentire tergo suo domini hostem insidere.Itaque dentibus appre-

Universidad de Deusto Biblioteca

henso fræno, ita, vt nulla iam ratione habenis regi posset, ad altissimum saxum citato cursu contendit, atque ab eo se, insidentémque simul hostem præcipitauit, sua domini sui mortem vltus. ibid.

De Aquila & virgine quadam Sextia.

In vrbe Sexto nutrita à virgine Aquila, vt educationis gratiam referret, aues quas captabat, ad virginem deferebat: & cùm postea virgo decessisset, eodem rogo, quo illa ardebat, vltro in eum deuolans, cum virgine combusta est. ibid.

De Aspide atque Ægyptio.

Aspis in Ægypto in domo pauperis enutrita, illic peperit, & cùm vnius filiorum morsu interemptum hospitis filium vidisset, filios suos omnes occidit, neque vltrà in ea domo conspecta est. ibidem.

De Panthera.

Feritate insigni inter bruta omnes Pantheram putat: & tamen à Demetrio Physico traditum est, cùm in fossam Pantheræ catuli cecidissent, matrē in celebrem viam profectam, cùm hominem conspicata esset, qui Philenis Philosophi parens fuit: leniter vt poterat, mordicus apprehensa eius veste, ad locum, in quem catuli ceciderant, deduxisse: & quanquam vir ille haud leui timore tenebatur, tamen quia aliter non poterat, ad locum peruenisse, vbi statim causam agnouit, quæ feram vt eum illuc deduceret impulerat. Itaque ei catulos ab fossa eduxit, cuius meriti vt gratiam referret, per totum illud iter hominem prosequuta, ab aliis eum feris hostibúsque defendit. ibidem.

De Admirato Turcarum natione Arabe.

Magna gratitudo fuit Admirati Turcarū Arabis. Nam cùm Balduinus Hierosolymarū Rex eum in Arabia prælio fudisset, & captam cōiugem cum aliis multis (quia vicino parta grauiter habentem, ne grauius læderetur, vir in itinere reliquerat) in optimo lecto tentoriis circumclusit, seruis quoque atque omni alia re necessaria adiutā: insuper pro stragula veste, cuius in eo loco copia nulla erat, chlamyde sua cooperuit, atque Admirato eam illæso pudore restituit. Itaque contigit postea Balduino, vt à Turcis acie victus in vrbem Rhamam immunitam se reciperet. Ad eum ergo idē Admiratus noctu profectus, plus accepti beneficij, quàm ob religionis aduersitatem odij, aut etiam prædæ, quam sperare posset, memor, periculi magnitudinem, quæ imminebat, aperuit. Ostendit enim postridie mane Turcas impetū facere in eum constituisse, à quo periculo si se sequeretur, incolumen seruaturum eum obtulit. Cui cùm oblatis vsurum se Balduinus respondisset, fidem gratitudinémque simul pro ijs, quæ antè ipse præstiterat, in Turca expertus est. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Romanis mulieribus.

Romanæ mulieres Iunium Brutum ob læsam Lucretiæ pudicitiam Tarquiniorum insectatione insigniter vindicatam annum integrum luxere. Sabel. lib. 7.

De Romanorum gratitudine in mulieres.

Publico decreto Romanis mulieribus datum, quia Senonico bello aurum in medium contulissent, ad Capitolium obsidione soluendum, vt vitæ functæ pro concione laudarentur, cùm is honos ad id tempus virilis esset, & non alterius sexus. ibidem.

De Minutio Magistro equitum.

Minutius Magister equitum, cui secundo bello Punico æquatum est cum Dictatore imperium, temere in Pœnorum insidias præcipitatus, circunuentúsque ab hoste cum dimidio copiarum erat, haud dubiè locum

ipsum Rom. clade ante Cannas nobilitaturus: cæterùm Fabij Maximi Dictatoris, à quo dissentiebat in administrando bello, celeri occursu imminenti periculo subtractus, haud ineptè ad infamiam diluendam gratitudinem temeritati prætexuit, vltróque Dictatori imperiũ restituit, patrémque appellauit: fuit præterea suis autor, vt patronum militari clamore salutatum aurea corona donarent. ibidem.

De Senatu Romano.

Martium patriam oppugnare conantem, admotóque portis Vrbis ingenti Volscorum exercitu, funus ac tenebras Romano imperio minitantem, Veturia mater ac Volumnia vxor, nefarium opus exequi precibus suis passæ non sunt: in quarum honorem Senatus matronarum ordinem benignissimis decretis adornauit: sanxit nanque, vt fœminis semita viri cederent, confessus plus salutis Reipub. in stola, quàm in armis fuisse: vestíque auriũ insignibus nouũ vitæ discrimen adiecit, permisit quoque his purpurea veste, & aureis vti segmentis, super hoc ædem & aram Fortunæ muliebri eo loco, quo Coriolanus exoratus fuerat, faciendam curauit memorem beneficij animum suum exquisitæ religionis cultu testando. Quem secundi etiam belli Punici tempore exhibuit: cùm enim à Fuluio Capua obsideretur, ac duæ Campanæ mulieres beneuolentiam erga Romanos dimittere ex animis noluissent, Vestia Opidia materfamilias, & Cluuia Facula meretrix, quarum altera quotidie pro salute nostri exercitus sacrificauit, altera captiuis militibus Romanorum alimenta subministrare non destitit, vrbe illa oppressa Senatus ijs & libertatem & bona restituit: & si quid amplius præmij petijssent, libenter se daturum asseuerauit. Vacasse in tãto gaudio P.C. duabus humilibus fœminis referre gratiam, ne dum præ se tulisse, mirandum. Max. lib. 5.

De Populo Rom. & Fabio Maximo.

Magnum grati populi Romani specimen in Q. Fabio Max. enituit. Nam cum quinque cõsulatibus salubriter Reipublicæ administratis decessisset, certatim æs contulit, quo maior ac speciosior eius funeris pompa duceretur. Eleuet aliquis præmia virtutis, cùm animaduertat fortes viros felicius sepeliri, quàm viuere ignauos. ibidem.

De Minutio Magistro equitum.

Fabio autem etiam incolumi summa cum gloria gratia relata est. Dictatori enim Magister equitum Minutius Scito plebis, quod nunquàm antea factum fuerat, æquatus, partito exercitu, separatim in Samnio cum Annibale conflixerat, vbi temerè inito certamine, pestiferũ habiturus exitum, subsidio Fabij conseruatus, & ipse eum patrem appellauit, & à legionibus suis patronum salutari voluit, ac deposito æqualis imperij iugo, magisterium equitum, sicut par erat, Dictaturæ subiecit, imprudentísque vulgi errorem gratæ mentis significatione correxit. ibidem.

De Terentio Culeone.

Tam herclè probabiliter, quã Quintus Terentius Culeo prætoria familia natus, & inter paucos Senatorij splendidus ordinis optimo exemplo Africani Superioris currum triumphantis, quia captus à Carthaginensibus, ab eo fuerat recuperatus, pileum capite gerens, sequutus est: autori enim libertatis suæ tanquàm patrono accepti beneficij confessionem spectante populo Rom. meritò reddidit. ibidem.

De C. Mario.

C. Marij nõ solùm præcipuus, sed etiam præpotens gratæ mẽtis fuit impetus: duas etiam Camertium cohortes mira virtute vim Cimbrorum sustinentes in ipsa acie aduersus conditionem fœderis ciuitate donauit: quod quidem factum & verè &

egregiè excusauit, dicendo inter armorum strepitum verba se iuris ciuilis exaudire nõ potuisse. Et sanè id tempus tunc erat, quo magis defendere, quàm audire leges oportebat. ibidem.

De Romano Senatu.

Cùm irruentibus ad vrbem Hetruscis Porsenaq; ipsi Horatius Cocles obstitisset, dum Sublicius pons rescinderetur, pōtéque effracto incolumis postea armatúsque ad suos Tyberim tranasset, Senatus decreto Romani omnes vnius diei cibaria domum Horatio pertulerunt, & insuper dono ei Senatus dedit quantum agri vno die circumarare posset. Gratitudinis profectò honor ingens ea ætate, licet opum indiga esset: minimèque mirum fuit, si postea pro tam grata gente plurimis se periculis ac morti obiecerunt. Bap. Fulg. lib. 5.

De eodem.

Non minus etiam se gratos præstiterunt Romani aduersus Latinos, quos cùm paulò antè hostes esset, in amicitiam ac societatem receperunt. Nam cùm Volscorum Legatos ad se missos, vt à Romanorum societate auerterentur Latini cepissent, ac catenis vinctos Romam misissent, opem in eo bello etsi minimè requisiti fuerant, offerentes, Romani sex hominũ millia Latini nominis, quos captiuos habebant, carcere liberarunt, omnésque nouis amictos vestibus domum ope, quæ offerebatur, ad grauiores casus reseruata, remiserunt. ibidem.

De Pop. Romano.

Non puduit populum Romanum perpetuo gratitudinis honore anseres prosequi, quod dormientibus vigilibus cùm Galli iam in summum Capitolium perrepsissent, clangore Romanos milites excitarunt: statuit enim vt eo loco in posterum magnus anserum numerus publicâ impensa aleretur, ad eámque rem Censores inter tot publica onera publicanos primò obligarent. ibidem.

De eodem.

Imperãte Tiberio Cæsare, Popu. Roma. coruum sepeliuit, ferentibus feretrum duobus Æthiopibus seruis, præcinente tibicine, ac musicis, cùm prius eũ, qui coruum occiderat, lapidibus obruisset. Hoc autem egit, quia hæc auis nominatim manè Drusum ac Germanicum Cæsares, ac multos præterea alios, postremóque totum populum salutabat. Huius igitur honoris vltionísque exemplo patet, quantum laudis gratitudo mereatur, quæ in homines exercetur, cùm erga irrationale animal victor getium populus ea vti voluerit. ibidem.

De Cane Titi Sabini.

Canis Titi Sabini mira fides fuit: dominum enim in carcere nunquam deseruit, eóque postea ad scalas Gemonias deducto, in gementium morem latrando, semper domino astitit, mirantibúsque omnibus, panem, qui oblatus erat, non manducans, ori domini admouebat: qui posteaquã in Tyberim proiectus fuit, in amnem sequutus dominum, vt poterat, ex aqua caput eius eleuabat, quem viuere adhuc arbitrabatur: quibus enim potuit modis gratias referre, enixus est, quod ab eo enutritus, et dilectus esset. ibidem.

De Leone, & Andruodo seruo, & aliis animalibus.

Appion Polyhistor Græcus vir doctissimus scribit, quemadmodum A. Gellius in Noctibus suis refert, mirũ in modum leonem quendam gratum extitisse erga seruum nomine Andruodum, quẽ ipse ad bestias damnatum vidisse affirmat. is Andruodus cum leone in theatro positus, quia morti damnatus erat, præ timore penè exanimis iacebat, cui leo appropinquans magna totius populi admiratione manus & crura lambere, & cauda quantum poterat, blandiri cœpit. Quare miser Andruodus resumpto animo, cũ ex hoc leonem agnouisset, ipse quoque leoni cœpit blandiri. Itaque cùm admiratione capti omnes essent, à Cæ-

ſare vt Andruodo ignoſceretur, petierunt. Annuit Cæſar, deductúmque ad ſe Andruodum rogauit, quæ huius rei cauſa fuiſſet: cui Andruodus in hæc verba reſpondit, Gubernãte Africam domino meo, nimiis verberibus ab eo profugere coactus, in Africa deſerta me cõtuli, ibique fortè in quoddam antrum me recepi: haud multò poſt leo quoque in eandem ſpeluncam venit, qui querula voce pede ſe debilitatum oſtendebat, vnde perterritus penè concidi: ſed tandem à leone cõſpectus, qui pede ſublato, querulus ad me venit, etſi vehementer terrore mouebar, cùm alia mihi conſulere ratione non poſſem, neceſsitatem, in qua conſtitutus eram, in virtutem audaciámque conuerti, manu feræ pedem apprehendi, atq; conſpicatus in eo confixam grandem ſpinam, vt melius potui, à pede euulſi. itaque ab eo die fera ex venatione ſua partẽ meliorem mihi ſemper impartita eſt: ego autem triennium cum ea moratus, non alio cibo, niſi quem leo afferebat, vixi, eum in ſole, quia ignis copia nulla erat, decoquens: ſed cùm hæc vita grauis mihi videretur, profecto in venationem leone, ſpelunca egreſſus, haud longè abij, cùm captus ad dominum, quem antè habebam, perductus fui, qui me ad beſtias damnauit, & nunc ab hoc leone agnitus, ex ſignis eum ipſum eſſe aduerto, quocum in antro, vt dictum eſt, triennium vixi. His auditis populus Romanus à Cæſare ſerui liberationem impetrauit, & ſimul, vt cum libertate leo quoque ei munus daretur, quem ſeruus dum per vrbem ductaret, lucri ad vitam ſuſtinendam adiutorem habuit. Huius leonis exemplum adducere nos facilius in ſententiam poteſt, vt credamus ſanctum Hieronymum ad onera ferenda parentem habuiſſe leonem, quem pede debilitatum, veluti hic, de quo diximus, ipſe curauerat. item vt Machario Ægyptio Eremitæ leæna, cuius catulos oculis captos cæcitatis damno liberauerat (quemadmodũ Ruffinus ſcripſit) pecudum ferarúmque aliarum, vt inde indumenta conficeret, pelles detuliſſe. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Venetis.

Franciſcus Dandalus Venetus, quia ad publicã ignominiam deprecandam diu ad Clementis Romani Pontificis menſam humiliter ſtratus iacuiſſet, ad quod ipſum fuerat publicè in Galliam miſſus, ex ea legatione reuerſus, magno omnium ordinum fauore princeps eſt ciuitatis factus, vt qui nuper in ſqualore & ſordibus pro patria conſpectus eſſet, ſublimi loco conſpiceretur auro & purpura conſpicuus. Sabel. lib. 7.

DE INGRATITUDINE, Græcorum exempla.

De Athenienſibus.

Ingratæ in Socratẽ Athenæ, virum Apollinis iudicio omnium ſapientiſſimum iudicatum, cui pro Attica iuuentute ſanctè & ſapienter inſtituta venenum rependerunt. Ingratæ & in Miltiadem, quẽ pro Marathoniis trophæis vinculis & carcere macerarunt: cui non plus profuit, quòd aſſertor Græciæ fuiſſet, q̃ ſi ſignorum deſertor. Sabel. li. 7.

De Syracuſanis.

Syracuſani Dionem ſuũ haud multò poſtquam per eum libertatem acceperant, vrbe iniecerunt, eiectum breui pòſt ſua ſponte reuocarunt, reuocatum interemerunt. ibidem.

De Alexandro Magno.

Tam parum ſobriè, quàm etiã ingratè feciſſe videri poteſt Magnus Alexander, qui Clytum nutricis ſuæ filium in conuiuio interfecit, quòd aliquantò liberius Philippi patris geſta extolleret: ſed quantum Macedo in patrem, cuius laudi inuidebat, tantum nec minus

in Clytum ingratus, per quem prælio ad Granicum amnem commisso morte seruatus, ingens nomen & imperium comparauit. ibidem.

De Thebanis.

Nulla Græciæ ciuitas habuit vnquam tam claros duces vno tempore, nec qui tam concordi animo Rempublicam administrarent, quàm Thebæ Epaminundam & Pelopidam, qui patria in libertatem asserta, Spartanis Græciæ dominatu deiectis, amplissimis rebus domi, forisque gestis insignes, paucorum ciuium obtrectatione, maiestatis rei causam dixere, adeò nulla vnquam virtus fuit, tam aut suis vtilis, aut tam mitis, quàm non domestica vellicarit inuidia. ibidem.

De Spartanis.

Neminem Lycurgo aut maiorem, aut vtiliorem virum Lacedæmon genuit, vtpote cui Apollo Pythius Oraculum petenti respondisse fertur, nescire se vtrum illum hominum, an deorum numero aggregaret: huic tamen neque vitæ summa sinceritas, neque constantissimus erga patriam amor, neque leges salubriter excogitatæ auxilio esse potuerunt, quominus infestos ciues experiretur. sæpè enim lapidibus petitus, aliquãdo eiectus, publico furore etiam priuatus oculo, ad vltimum ipsa patria pulsus est. Quid aliæ facient vrbes? vbi etiam illa, quæ constantiæ, & moderationis, & grauitatis sibi laudem eximiam vendicat, tam ingrata aduersus tam benè meritum extitit? Max. lib. 5.

In Solonem.

Iam Solon, qui tam præclaras tàmque vtiles Atheniensibus leges tulit, vt si his perpetuò vti voluissent, sempiternum habituri fuerint imperium, qui Salamina velut hostilẽ arcem ex propinquo saluti eorum imminentem recuperauit, qui Pisistrati tyrannidem primus vidit orientem, & solus armis opprimi debere palàm dictitare ausus est, senectutem Cypri profugus exegit, neq; ei in patria, de qua optimè meruerat, humari contigit. ibidem.

In Miltiadem.

Bene egissent Athenienses cũ Miltiade, si eũ post trecenta millia Persarum Marathone deuicta, in exilium protinus misissent, ac non in carcere, & vinculis mori coëgissent. Vt puto, hactenus sæuire aduersus optimè meritum abundè duxerunt: imò ne corpus quidem eius sic expirare coacti, sepulturę priùs mãdare paßi sunt, quàm filius eius Cimon eisdem vinculis se constringendum traderet. Hanc hæreditatem paternam maximi ducis filius, & futurus ipse ætatis suæ dux maximus, solùm se sortitum, catenas scilicet, & carcerem gloriari potuit. ibidem.

In Themistoclem.

Themistocles eorum, qui ingratam patriam experti sunt, celeberrimum exemplum, cùm illam incolumem, claram, opulentam principem Græciæ reddidisset, eò vsque sensit inimicam, vt ad Xerxis, quem paulò antè destruxerat, non debitam sibi misericordiam perfugere necesse haberet. ibidem.

De Leonida erga Agidem

Vt contentiones, quibus Lacedæmoniorum ciuitas laborabat, componerentur, vtile putauerunt ciues, vt Leonidas vnus Lacedæmoniorum Regum (duo enim semper regnabant) in exilium mitteretur. Cùm autem Agesilaus in regno suffectus, vt Leonidas occideretur, operam daret, Agides alter Rex obstitit, nec minus quam pro salute sua totis animi ac corporis viribus in eo contendit: verùm postea, vt nonnunquam fortuna fert, quæ loco stare nescit, Leonidas in pristinã fortunam restitutus, omnium ab Agide acceptorum meritorum ita se immemorem præstitit, vt non prima solùm suffragia de Agide regni honore deijciendo tulerit, verùm crudelem quoque in modum vnà cum matre eum in carcere strangulari iusserit.

Universidad de Deusto Biblioteca

vir prorsus ingratissimus, nefandúsque, cum ei vitam ademit, per quem ipse suam seruauerat. Bap. Fulg. lib. 5.

De Athenienſibus erga Regem Demetrium.

Non occiderunt quidem Demetrium Athenienses ipsius ope sæua Cassandri tyrannide liberati. Nam integrum ipsis non erat in eius vitam sæuire: sed contemptu contumeliosissimisque verbis (quo tempore is à Regibus hostibus, ex eorum numero, qui Alexandro successerunt, superatus est) apertè ostenderunt, quanta eorum crudelitas, si data esset facultas, futura fuisset: experimento vetus adagium confirmantes, quòd penes quos ingens doctrina est, apud eosdem ingẽtia etiam vitia æquè ac virtutes inueniri solent. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA

De Pop. Rom. in Camillũ

Virium Romanarum incrementum latissimum & tutela certissima Furius Camillus in vrbe incolumitatem suam tueri non valuit, cuius ipse salutem stabilierat, & felicitatem auxerat. A Lucio enim Apuleio Trib. plebis tanquam depeculator Veientanæ prædæ reus factus, duris atque (vt ita dicam) ferreis sententijs in exilium missus est: & quidem eo tempore, quo optimo iuuene filio spoliatus, solatiis magis alleuandus, quàm cladibus onerandus erat. sed immemor patria tanti viri maximorum meritorum, exequiis filij damnationem patris iunxit. At, inquit, ærario abesse Trib. pleb. querebatur quindecim millia æris (tanti namque pœna finita est) indignam summam, propter quam Pop. Rom. tali principe careret. Max. lib. 5.

In Scipionem Maiorem.

Priore adhuc querela vibrãte, alia deinceps exurgit, Africanus Superior non solùm contusam, & confractam belli Punici armis Rempublicam, sed penè iam exanguem, atque morientẽ Carthaginis dominã reddidit: cuius clarissima opera iniuriis pẽsando, ciuitatis ignobilis eum ac desertæ paludis accolam fecerunt, eiúsque voluntarij exilij acerbitatem non tacitus ad inferos tulit, sepulchro suo inscribit iubendo, Ingrata patria, ne ossa quidem mea habes. Quid ista aut necessitate indignius, aut querela iustius, aut vltione moderatius? Cineres ei suos negauit, quàm in cineres collabi non fuerat passus. Igitur hãc vnam Scipionis vindictam ingrati animi vrbs Roma sensit, maiorem mehercle Coriolani violentia: ille enim metu patriam pulsauit, hic verecundia, de qua ne queri quidem (tanta veræ pietatis constãtia) nisi post fata sustinuit. ibidem.

De Cneo Popilio Lenate.

M. Cicero Cneum Popilium Lenatem Picenæ regionis, rogatu Marci Cælij, no minore cura, quàm eloquentia defendit, eúmque causa admodum dubia fluctuantem, saluum ad penates suos remisit. Hic Popilius postea nec re, nec verbo à Cicerone læsus, vltro M. Antoniũ rogauit, vt ad illũ proscriptum persequendum, & iugulandum mitteretur, impetratisque detestabilis ministerij partibus, gaudio exultans, Caietam cucurrit, & virũ, omitto quòd amplissimæ dignitatis, certè salutis eius autorem, studio præstantis officij priuatim sibi venerandum, iugulum præbere iussit, ac protinus caput Romanæ eloquentiæ, & pacis clarissimam dextram per summum & securum otium amputauit, eáque sarcina tanquam opimis spoliis alacer in vrbem reuersus est, neque ei scelestum portanti onus succurrit illud se caput ferre, quod pro capite eius quondam perorauerat. Inualidæ ad hoc monstrum suggillandum literæ: quoniam qui talem Ciceronis casum satis dignè deplorare possit, alius Cicero non extat. ibid.

De Fuluij coniuge erga virum.

Sed quàm ingrata crudelis-

que Fuluij vxor in virum proscriptum fuit? Nã cùm ad eam Fuluius tanquam ad cõiugem, & propterea, vt rebatur, sui amantem & fidelem (seruam eius liberauerat, et coniugio dignatus erat) vt aliquo modo occultaretur, se recepisset, mutatam animo atque indignatam, quòd alterius fœminæ captum amore suspicabatur, pro coniuge hostẽ inuenit: ab ea enim Triuuiris accusatus, miserandum in modũ perijt. hinc enim quantæ sint Zelotypiæ vires, deprehendi potest: cùm tãtorum meritorum, quãta hæc à Fuluio de serua vxor facta acceperat, extincta recordatione, ad huius ingratitudinis scelus impietatémque progressa est. Bap. Fulg. lib. 5.

De C. Caligula Imperatore.

Vt omnibus aliis in rebus immania horrorisq; plena Caligulæ principis scelera fuerunt, ita ingratitudinis quoque crimine nõ alios modò mortales, verùm feras quoque ipsas immanitate insignes superauit. id in eo præcipuum erat, quòd omnes, à quibus amabatur, odio habebat: magis hoc patuit, cùm pro eius valetudine, quæ in discrimine erat, quidam se depugnaturum vouisset, morbo enim liberatus, vt votum solueret, exegit, neque abire campo nisi victorem passus est, omni arte enixus, vt qui pro eius seruanda salute discrimini vitam obtulerat, pro gratia mortem reportaret. ibid.

De eodem.

Alium, qui vitam pro eo vouerat, cùm intelligeret ad mortem soluendi gratia voti nequaquã properare, vinctum pueris tradidit, qui eum per vrbis vicos flagellatum, ab aggere demum præcipitaret. res profectò nõ solum Imperatore indigna, sed quæ ne à truculentissimo quidem carnifice commemorari, vt de homine debeat. ibid.

De eodem.

Idem si quis eum in testamẽto hæredem nominasset, & postea feliciore fato superuiuere ei contigisset, quæstus se ab eiusmodi homine contemptui haberi, percussores ei mittere consueuerat. ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Alexio erga Isaac fratrem Constantinopolitanum Imperatorem.

INsigni ingratitudine erga fratrem Isaac Imperatorem Constantinopolitanum, à quo vnicè diligebatur, Alexius vsus est. Nam quanquam à Turcis culpa sua captus, ab Isaac fratre statim magno auri pondere redẽptus, dominum suum nedum fratrem tanti muneris autorem vir perfidus ingratúsque oculis atque imperio simul priuauit. Bap. Fulg. lib. 5.

De Iustiniano I. Imperatore erga Bellissarium.

Quæ verba? cuiúsue eloquiũ satis vnquam pro rei dignitate Iustiniani I. Imperatoris erga Bellissarium, narrare ingratitudinem, atque pro merito scelus damnare possit? nullius profectò magis, quàm Bellissarij ipsius. nam cùm à Iustiniano per inuidiam, falsáque crimina erutis oculis, omnibus opibus stoliatus in publica via victum mendicaret, aiebat, Nummum pusillum Bellissario date, quem virtus extulit, atque in imum inuidia coniecit. his verbis prætergredientes omnes acerbè Iustiniani crudelitatis atque ingratitudinis commonebat. ibid.

De Friderico II. Imperatore.

Quis princeps vnquam quisque inter Augustos numeratus tantis & tam magnis à Rom. Ecclesia meritis cumulatus fuit, quàm Fridericus? huius pater Henricus V. Siciliæ regna à Cælestino III. assequutus est: dein imperij diademate insignis factus, moriens hunc Fridericum filium in prima ætate sub Rom. Ecclesiæ tutela reliquit. Eum Innocentius III. a-

manter vt filium aluit, ac post Innocētium Honorius III. Rom. imperij titulo decorauit. Tantorum meritorum immemor, Honoriū successoresque, ac demum vniuersam catholicam Ecclesiam hostili odio prosequutus, eius omnium temporum hostes crudelitatis acerbitate superauit: hócque in Rom. Ecclesiam animo vir ingratissimus animam egit. ibid.

De Philippo Maria Duce Mediolanensi.

Ingratitudine quoque Philippus dux Mediolanensis erga Beatricem coniugem nō caruit. nam cùm adolescens esset, & propter Ioannis fratris immanitatem magnapaterni imperij pte amissa, pars quæ superaret, magno in discrimine versaretur, omnium egens Beatricem Facini Canis militarium copiarum suarum ducis vxorem, ipsius Facini hortatu, qui paulò post decessit, in matrimonium duxit: quia & militum animos, qui ei assueuerant, & pecuniam, qua Facinus abundabat, cum nuptiis secum trahebat. Eius igitur ope compositis rebus, quia ætas longè dispar erat, neque Philippo coniux, sed auia superinducta videbatur, vt se graui matrimonio liberaret, Philippus turpitudinis insimulatam, clàm, vt aiunt, iudicio tamen antè facto, interimi iussit. ibid.

DE VERECVNDIA, Græcorum exempla.

De Spurina.

Excellētis pulchritudinis adolescēs nomine Spurina, cùm mira specie complurium fœminarum illustrium solicitaret oculos, ideóque viris ac parentibus earum se suspectum esse sentiret, oris decorem vulneribus confudit, deformitatémq; sanctitatis suæ fidem, quàm formā irritamentū alienæ libidinis esse maluit. Max. lib. 4.

De quodam sene Athenienſi.

Athenis quidam vltimæ senectutis, cùm spectatum ludos in theatrum venisset, eúmque nemo è ciuibus sessum receperet, ad Lacedæmoniorum legatos fortè peruenit, qui hominis ætate moti, canos eius & annos assurgēdi officio venerati sunt, sedémque ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt: quod vbi fieri populus aspexit, maximo plausu alienæ vrbis verecundiam comprobauit. Ferunt tunc vnum è Lacedæmoniis dixisse, Ergo Atheniēses quid rectum sit sciunt: sed id facere negligunt. ibid.

De Panthite Lacedæmonio.

Quantæ sint veri pudoris vires, Panthites quoque Lacedæmonius ostendit. Is cùm in trecētorum numero esset, qui, cum Leonida aduersus Persas Thermopilarum saltum insederant, à Leonida in Thessaliam cum literis missus, cum aliis, qui in Thermopilis pro patria pugnādo occubuerant, esse non potuit: cum postea eum cæteri ciues despectui haberent, arbitrati non in Thessaliam à Leonida missum, sed præ ignauia ex prælio fugisse, quanquam & verè & honestè excusari posset, tamen præ pudere, cùm dedecus sustinere non posset, vltro seipsum suspendit. Bap. Fulg. lib. 4.

De vxore Panthæi Lacedæmonij.

Coluisse se pudorem non sine magna laude ostendit Panthæi Lacedæmonij vxor. Nam virum sequuta in Ægyptum, quò is cum Cleomene se receperat, post viri mortem cùm Ptolemæus ipsam quoque cum cæteris Lacedæmoniis mulieribus, quæ illic erant, occidi iussisset, priusquam occideretur, vestem diligenter pedibus obuoluit, omnémque aliam corporis partem texit, nudo iugulo relicto, vt honestè cadēs pudorem, quem per omnem vitam seruauerat, inuiolatum relinqueret. ibid.

De Olympia Alexandri Magni matre.

Olympia quoque Alexan-

Universidad de Deusto Biblioteca

dri Magni mater, cùm eã Cassander interimi iussisset, diligẽter cauit, ne cadens in morte aliquam corporis partem detegeret, quæ celãda pro matronali pudore videretur. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Pop. Rom. verecundia.

A Condita vrbe vsque ad Africanum & Tiberiũ Longum Cõsules promiscuus Senatui, & populo spectandorum ludorum locus erat: nunquam tamen quisquam ex plebe in theatro ante P. C. spectare sustinuit, adeò circunspecta nostræ ciuitatis verecundia fuit. Max. lib. 4.

De eodem.

Quæ quidem certissimũ sui documentum etiam illo die exhibuit, quo L. Flaminius extrema in parte theatri constitit, qui à Marco Catone et L. Flacco Censoribus Senatu motus fuerat, consulatus iam honore defunctus: frater etiam T. Flaminij Macedoniæ Philippique victoris: omnes enim eum transire in locum dignitati suæ debitum coẽgerunt. ibidem.

De Terentio Varrone.

Confregit Remp. Terentius Varro Cannensis pugnæ temerario ingressu: idem delatam sibi ab vniuerso Senatu & populo dictaturam recipere non sustinendo, pudore culpam maximæ cladis redemit, effecitque, vt acres deorum iræ modestiæ ipsius moribus imputarẽtur. Itaque titulo imaginis eius speciosius non recepta dictatura, quàm aliorum gesta adscribi potest. ibidem.

De L. Crasso.

Consulatum petens L. Crassus cùm omnium cãdidatorum more circum forum supplex populo iræ cogeretur, nũquam adduci potuit, vt id præsente. Q. Scæuola grauissimo & sapientissimo viro socero suo faceret. Itaque rogabat eũ, vt à se dum ineptæ rei inseruiret, discederet: maiorem verecundiam dignitatis eius, quàm candidæ togæ suæ respectum agens. ibidem.

De Pompeio Magno.

Pompeius autem Magnus Pharsalica in acie victus à Cæsare, cùm postero die Larissam intraret, oppidique illius vniuersus populus obuiam ei processisset: Ite, inquit, & istud officium præstate victori. Dicerẽ, non dignus, qui vinceretur, nisi à Cæsare esset superatus: certè modestus in calamitate: nam quia dignitate sua vti iam nõ poterat, vsus est verecundia. ibidem.

De C. Iulio Cæsare.

Quam præcipuam in Caio quoque Cæsare fuisse, sæpenumero apparuit, & vltimus eius significauit dies: compluribus enim parricidarum violatus mucronibus, inter ipsum illud tempus, quo diuinus spiritus mortali secernebatur à corpore, ne tribus quidem & viginti vulneribus, quin verecundiæ obsequeretur, absterreri potuit: siquidem vtraque togam manu demisit, vt inferior pars corporis tecta collaberetur. In hunc modum non omnes expirant, sed dij immortales sedes suas repetunt. ibidem.

De Æmilio Consule ac Cornelio Lentulo.

Deletis Cannensi prælio Romanis exercitibus, vbi plusquã arma Romanos fuga defendit, inter eos, qui prælio viui excessêre, Cornelius Lentulus Æmilium Consulem vulnere confectum extra viam perspexit. Qui quanquã hostes insequerẽtur, plus pudore quàm mortis metu motus, prope Æmilium ab equo descendit, atque eum Æmilio obtulit, obtestatus multis verbis, ne morte sua Romano populo grauiorem eam cladẽ facere vellet. Etenim se iuuenẽ aiebat corporis robore adiutum. pedibus salutem inuenturum, quòd si alterutri moriendũ esset, referre ad Reipublicæ salutem, vt ipse potius, quàm Consul moreretur. O contentionem

verè Romanis animis dignam: puduit Æmilium alterius ciuis morte suam seruare vitam, prorsusque recusans equum, iuuenem, vt in tutum se locum reciperet hortatus, mãdata magni momenti, quæ ad Senatum populúmque Rom. perferret dedit: nec multò post ab hostibus oppressus fuit. Bapt. Fulgosus lib. 4.

De Romano equite.

Reginus à Triumuiris proscriptus, atque hostis iudicatus erat, capitale autem sine vlla veniæ spe habebatur, si quis proscriptũ hospitio iuuaret, aut cùm posset, non caperet: & contrà proscriptorum percussori ingens præmium propositum. Mutato habitu igitur fugam moliens, asinum frondosis fascibus onustũ agebat, idque ad Vrbis portas, vt egrederetur peruenerat, cùm illic à milite cognitus est, qui aliàs sub eo militauerat. In eum non modò militem puduit, manus iniicere, verùm vt ducẽ suum sicuti olim fuerat salutauit, fugiendique inde viam dedit. Plus enim apud militem sanctus pudor, quàm mortis metus aut præmiorum spes valuit. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Alexandrina virgine AEgyptia.

ALexandrina virgo Ægyptia, cùm aspectu decoro esset, veteri tumulo se inclusit, illicque duodecim continuos egit annos, per paruum foramen cibo cæterisque necessarijs acceptis: rogata autem quamobrem his tenebris se damnasset, respondit cognouisse se sui amore iuuenem exarsisse, & ne ei vltrà, aut alteri huiusmodi flammis animum incẽderet, tumuli carcerem pro remedio delegisse. Baptist. Fulgo. lib. 4.

De Abbate & Monachis in Ptolemaide.

Insigne illud pudoris argumentum, quod Abbas mulier cum virginibus suis in Ptolemaide (quæ nunc Acris aut

Acra dicitur) præbuit. Cùm salutis annoducentesimo nonagesimoprimo supra mille vrbe à Sarracenis capta, cùm plus Veneris vim sacræ mulieres, quàm mortem vererẽtur, ipsæ sibi nasos desecuerunt, arbitratæ fieri posse, vt hac deformitate ab iniuria tutæ forent. idque eas minimè fefellit: nam vt ita affectas Sarraceni perspexerũt, nulla redicta omnes interemerunt. ibidem.

De Michaële Imperatore Constantinopolitano.

Michaël Constantinopolitanus Imperator, cùm in bello victor semper extitisset, quia contigit, vt semel prælio à Bulgaris (qui veteri nomine inter Scythas censentur esse) vinceretur, præ pudore imperium deposuit, & quod vitæ superfuit, religiosè semper in solitudine transegit. ibidem.

De Gotthifredo Bollionio Lotharingiæ Duce.

Modestiæ laudisque immensæ plenus is pudor fuit, quo Gotthifredus vsus est, cùm à toto exercitu, qui ad Hierosolymitanam profectus erat expeditionem, Rex salutatus fuit: aureo enim diademate recusauit ornari, quòd iniquum esse diceret, seruum, mortalémque hominem, ac peccatorem auro gẽmísque confectam coronam in eo loco gestare, vbi Christus Dei filius, qui cælum & terram cõdidit, vt à nobis culpam auferret, accutissimis spinis ad contumeliam confectum diadema tulit. ibid.

De Ioanne Altauilla.

Cùm Ferdinandus Iunior Rex Neapolitanus apud Seminariam vicum in Lucania à Berardo Stuardo Albigniaci domino, qui Caroli VIII. Gallorum Regis vicarius inferiorẽ illius regni partẽ regebat, prælio superatus esset, fugienti Ferdinando ita lasso equo, vltrà eum vix ferret, Ioannes Altauilla, vteum conspexit, suum integris viribus obtulit: quem cùm

Universidad de Deusto Biblioteca

Ferdinandus præ pudore recusaret, enixè monuit Ioannes, vt acciperet, quòd sibi similes permulti essent: cæterùm ipsi, qui cum eo essent, Regem solum ipsum Ferdinandum haberent. Itaque Ferdinandus accepto equo, haud longè illinc profectus erat, cùm aduenientes Galli Ioannem interemerunt. ibidem.

DE TACITVRNITATE Sermonisque moderatione, Nostrorum exempla.

De Agathone Abbate.

AGathonem Abbatem lapillo assiduè ori indito, tacere didicisse ferunt: idque ab eo annos tres obseruatum, ne etiam cùm fari vellet, expeditum sibi foret. legerat quippe illud in Prouerbijs, Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autē inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Marullus lib. 4.

De Paulo Monacho.

Paulus monachus cognomento Simplex, cùm quæsisset essetne Christus prior Prophetis, insulsam interrogatiunculam silentio diluere iussus, per triennium nemini quicquam proloqui est ausus. Itaque quæ dictu digna indignáque habentur, tacendo didicit. ibidem.

De Pambone Abbate.

Pambo Abbas cùm etiam ipse discere prius, quàm loqui proposuisset, ad illum, qui trigesimum octauum Psalmum sibi legere cœperat, Dixi, Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea, Sat est, inquit, reliqua audiā cùm istud opere impleuero. Multo deinde tempore pòst reuersus, cùm interrogaretur, cur tantùm ad magistrum redire distulisset: nondum se illud, quod didicerat, perfecisse dixit, & Apostolicū esse præceptum, Estote factores verbi, & non auditores tantū. ibidem.

De Eodem.

Idem Theophilo Episcopo se aliquando adeunti, & aliquo sermone ab ipso spiritualiter reficiī petenti, respondit, Si taciturnitate mea nō refeceris, nec sermonibus reficī potes. Hinc quidem die vitæ suæ iam supremo audacter affirmauit, ex quo eremum incolere cœpisset, nullum se vnquàm protulisse verbum, quod prolatū nollet. Perfecit ergo quod initio promiserat, Dixi, Custodiā vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Quàm igitur lætus, quàm securus hinc decedebat, quem nullius propè culpæ conscium taciturnitas ipsa fecerat? ibidem.

De Beone Abbate.

Beonem quoque Abbatem in Thebaidis deserto habitantē in summo silentio vixisse accepimus: ita vt perquàm raro loqueretur, nec nisi quantum auditoris exigere videbatur necessitas, taciturnitatem eadem opera seruans, & simul officio fungens charitatis, ibidem.

De Theone.

Theonem etiam in cellula suā clausum, annos triginta silentij habuisse continentiam, perhibent: & quantum ea re profecisset, miraculis postea ostendisse, neminem non sanum dimittendo, qui æger ad se curationis gratia accessisset. ibidem.

De Tabernensis Monasterij more.

In illo Tabarnensi monasterio, quod in eremo Scythiotica positum erat, Amos Abbas mille quingentis monachis præfuisse dicitur. Et cùm tot essent, horis, quibus silentium indictū erat, sæpenumero aduenæ locum adeuntes, neminem ibi adesse putauerunt, donec interius ingressi, illos vnumquenque seorsum in suis cellulis orantes, aut aliquid aliud facientes conspicerent: adeo non strepitus aliquis, non susurrus, non saltem screatus audiebatur: denique multitudo solitudinem taciturnitate æquabat. ibidem.

De Ægyptiis Monachis.

Libet hoc loco apponere quanta diligentia, qualique circumspectione hoc idem ab Ægyptiis Monachis olim seruatum Ioannes Cassianus de cœnobiorum institutis tractans, dicat: Cùm solennitates, inquit, quas Synaxeis vocant, celebraturi cõueniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, vt cùm in vnũ tam innumerosa fratrum multitudo conueniat, præter illum, qui consurgens Psalmum decantat in medio, nullus hominum penitùs adesse credatur, ac præcipuè cùm consummatur oratio, in qua non sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta dissutis malis & hiantibus trahitur, nulli gemitus, nulla suspiria, etiam astantes impeditura promuntur, nulla vox absque sacerdotis voce precem concludentis auditur, nisi fortè hæc quæ per excessum mentis claustra oris effugerit, quæq; insensibiliter cordi obrepserit, immoderato scilicet atque intolerabili spiritus ardore succenso, dum ea quę ignita mens in semetipsa non præualet continere, per ineffabilem quendam gemitum ex intimis, atque abditissimis pectoris sui conclauibus euaporare conatur. ibidem.

De iisdem.

Post hæc qualiter se gerant, describit dicens, Finitis itaque Psalmis, & quotidiana congregatione (sicut superiùs commemorauimus) absoluta, nullus eorum vel ad modicum subsistere, aut sermocinari audet cũ altero: sed ne quidem per totum diei spatium à cella sua progredi, aut deserere opus, quod in ea solitus est exercere, præsumit, nisi fortè cùm fuerint ad officium necessarij cuiusquè operis euocati, quod ita explent foras egressi, vt nulla inter eos sermocinatio penitùs conferatur. sed sic vnusquisque opus exequitur iniunctum, vt Psalmum vel Scripturam quamlibet memoriter recensendo, non solùm conspirationi noxiæ, vel consiliis prauis, sed ne otiosis quidem colloquiis vllam copiam vel tempus impartiat: oris pariter & cordis officio in meditatione spiritali iugiter occupato: summa namq; obseruantia custoditur, ne quisquam cum alio, ac præcipuè iuniores, vel ad punctum temporis pariter substitisse, aut vspiam secessisse, vel manus suas inuicem tenuisse deprehẽdantur. Hinc discant qui soli Deo placere student, vel tacere, vel ea tantùm, quæ Dei sunt loqui, vt cum Propheta dicere possint. Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. ibidem.

De Seuero Sulpitio presbytero.

Seuerus Sulpitius presbyter, cùm multa catholicè scripsisset (vt Genadius presbyter tradit) in senectute sua à Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium vsque ad mortem tenuit, vt peccatũ, quod loquendo contraxerat, tacendo penitùs emendaret. ibid.

De Romualdo Abbate.

Romualdus Abbas ordinis Cæmalduensis autor, dum mortem solitarius incoleret, septenni silentio spiritalem Psalmorũ intelligentiam meruit percipere. Quos cùm argutè elegantérque exponeret, dicere videbatur, Dedit mihi Deus linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum. Post hæc etiam miraculis nobilitatus est, vt qui propter Deũ tandiu tacuerat, propter eũ signa loquerẽtur. ibi.

De Thoma Aquinate.

Thomam Aquinatem, dum inter scholasticos versaretur, naturáque taciturnus esset, & corporis habitu reliquis paulò obesiore, bouem mutum appellabant: magister verò, vbi ingenium illius disputatiunculis experiri cœpisset, deprehendens quorsum eius tenderent silentia, Bos iste mutus, inquit, talem mox edet mugitum, vt sonum eius totus admiraturus sit mundus. Et cùm omnium doctissimus euasisset, tunc sanè apparuit quantum docilis taciturnitas vanæ & arroganti loquacitati esset præferenda. ibi.

De quodam Monacho.

Cæterùm & in hac parte diaboli insidiæ vitandæ sunt. Cuidam ex fratribus perpetuum silentium seruanti pater Franciscus, vt semel saltem in hebdomada confessionem faceret, persuadere non potuit, & ille sibi de se magis quàm præposito suo credēs, excidit à sanctorum collegio, & ad vomitum est reuersus. Primùm irrationabile erat, tam obnixo obstinatóque animo tacere, vt confiteri nollet, quasi qui nihil vnquam deliquisset: deinde arrogans ac superbus, maiorum voluntati suam præponere, cùm Dominus dicat, Obedientiam volo, & non sacrificium: & Qui vult post me venire, abneget semetipsum. Profectò qui obedire negligit, subijci dedignatur: & qui subijci dedignatur, superbit: & qui superbit, nunquam proficiet. Igitur ipsum quoq; oris silentiū semper mentis humilitate niti debet, vt eò faciliùs obseruatori suo prodesse possit. ibidem.

Quis autem ipsam taciturnitatem perutilem esse ambigit, si præter iam dicta Sanctorum exempla etiam apostolicis propheticisq; præceptis ad eam colendam incitamur? Iacobus Apostolus, Sit, inquit, omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum. Et paulò post, Si quis autem putat se religiosum, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Et Paulus ad Timotheū, Prophana & vaniloquia deuita. Solomon in Prouerbiis, Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est. Et idem alibi, Tempus tacendi, tempus loquendi. & iterum in Prouerbiis, Lingua placabilis lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum. Sermo opportunus est optimus: mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Idem procacitatem garrulorum damnans, Os lubricum, inquit, operatur ruinas. Et vidisti hominem velocem ad loquendum, stultitia magis sperandā est, quàm illius correctio. In Ecclesiaste quoque, Stultus verba multiplicat. Et rursum in Prouerbiis, Mors & vita in manibus linguæ. Postremò ipse veritatis Magister & vitæ Dominus in Euangelio ait, De omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Ideo diuitem quoque in inferno positum, quoniam loquacitatis petulantia maximè deliquerat, linguæ ardorem sentire magis fecit, & ille linguam tantum refrigerari petiit, qui ardebat totus. Eadem hæc sanctæ taciturnitatis moderandæq; linguæ exempla atque præcepta etiam fœminas respiciunt: & quidem magis quàm viros. Paulus Apostolus, Mulieres, inquit, in Ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & Lex dicit: si quid autē volūt discere, domi viros suos interrogēt. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesiis. ibid.

Diuus etiam Hieronymus ad Celātiam scribens, Sit intentus ait, ac vigilans & aduersus peccata semper armatus animus tuus: sermo in omnibus moderatus, & parcus, & qui necessitatem magis loquēdi indicet, quàm voluntatem. ibid.

Idem eas, quæ in monasterio sacræ initiatæ sunt, instruens, etiam silentij tempora obseruare monet, sic dicens, Volo charissimæ, vt in conuentu vestro ter aut pluries in hebdomada, exceptis festiuitatibus, loqui omnino, nisi vrgente causa perutili & necessaria, nullatenus liceat, nec simul, nec cum aliis extrà: diebus verò omnibus, quibus & pro remedio & pro salute loqui conceditur, non singulis horis vacandum est verbis, quæ vix proferri sine peccato possunt: sed hæc inuiolabilis obseruatio vigeat quòd singulis noctibus post peractam horam completorij vsq; post Missam, & à Tertiis vsque ad Nonam sacra obseruentur silentia. Quatenus & linguæ Deum laudandi concedatur opportunitas, & inutilia verba penitùs abscindantur, in choro verò ecclesiæ ad diuinas laudes parato, dormitorio, cœnaculo, clau-

Universidad de Deusto Biblioteca

stro, ac Capitulo omni tempore loqui non deceat, nisi ea quæ ordinata sunt in laudibus Dei, vt iam & tempus & locus religionis vestræ prædicent sanctitatem & loquacibus compunctionem ingerant, & intrãdi ad societatem vestrã sancta desideria incitent, & affectus ad cælestia moueantur. ibidem.

DE HVMANITATE, Græcorum exempla.

De Alexandro.

ALexander dum omnes gentes infatigabili cursu lustrat, quodam loco niuali tempestate oppressus, senio iam confectum militẽ Macedonem nimio frigore obstupefactum, ipse sublimi, & propinqua igni sede sedens, animaduertit: factáque non fortunæ, sed ætatis vtriusque æstimatione, descendit: & illis manibus, quibus opes Darij afflixerat, corpus frigore duplicatum in suam sedem imposuit: id ei salutare futurum dicens, quod apud Persas capitale extitisset, solium Regium occupasse. Quid ergo mirum est, si sub eo duce tot annis militare iucundum ducebant, cui gregarij militis incolumitas proprio fastigio charior erat?

Idem non hominum vlli, sed naturæ fortunæq; cedens, quanquam violentia morbi dilabebatur, in cubitum tamen erectus, dextrã omnibus, qui eam contingere vellent, porrexit. Quis autem illam osculari non curaret, quæ iam fato oppressa maximi exercitus complexui, humanitate, quàm spiritu viuidiore suffecit? Max. lib. 5.

De Pisistrato.

Non tam robusti generis humanitas, sed & ipsa tamen memoria prosequenda Pisistrati Atheniensium Tyranni narrabitur. Qui cùm adolescens quidam amore filiæ eius virginis accensus, in publico obuiam sibi factam osculatus esset: hortante vxore, vt ab eo capitale

supplicium sumeret, respondit, Si eos, qui nos amant interficiemus, quid iis faciemus quibus odio sumus? Mimimè dignavox, cui adiiciatur, eam ex tyranni ore de humanitate manasse. In hunc modum filiæ iniuriam tulit, suam multò laudabilius. ibidem.

De eodem.

A Thrasippo amico iter cœnam sine sine conuitio laceratus, ita & animum & vocem ab ira cohibuit, vt putares satellitem à Tyranno malè audire: abeũtẽ quoque veritus ne ꝓpter metũ mãturius se cõuiuio subtraheret, inuitatione familiari cœpit retinere, Thrasippus concitatæ temulentiæ impetu euectus, os eius sputo respersit: nec tamen in vindictam sui valuit accendere. ille verò etiam filios suos violatæ patris maiestati subuenire cupientes retraxit. Postero quoque die Thrasippo supplicium à se voluntaria morte exigere volenti, venit ad eum, dataque fide in eodẽ gradu amicitiæ mansurum ab incœpto reuocauit. Si nihil aliud dignũ honore memoriæ gessisset, his tamen factis abundè se posteritati commendasset. ibid.

De Antigono Rege.

Cùm Pyrrhus Rex diris auspiciis Argiuorum inuasisset vrbem, abscissúmque caput eius Alcyoneus Antigoni Regis filius ad patrem propugnatione laborantem lætus velut aliquod felicissimum victoriæ opus attulisset, Antigonus correpto iuuene, quòd tanti viri subitæ ruinæ, immemor humanorum casuum, effuso gaudio insultaret, humo caput sublatũ causea, qua velatũ caput suum more Macedonum habebat, texit, corporíque Pyrrhi reditum honoratissimè cremandum curauit. Quin etiam filium eius Helenum captiuum ad se pertractum, et cultum et animum gerere regiũ iussit, ossáque Pyrrhi ei aurea inclusa vrna Epirum in patriam ad Alexandrum fratrem portanda dedit. ibidem.

De Annibale.

Annibal Æmilij Pauli apud Cãnas trucidati quæsitum corpus, quãtum in ipso fuit, inhumatum iacere passus nõ est. Annibal Tiberiũ Gracchum Lucanorum circumuẽtum insidiis, cum summo honore sepulturæ mandauit, & ossa eius in patriam portanda militibus nostris tradidit. Annibal Marcum Marcellum in agro Brutio, cùm conatus Pœnorum cupidius, quàm consideratius speculatur, interemptum legitimo iure extulit, Punico quoque sagulo, & corona donatum laurea rogo imposuit. ergo humanitatis dulcedo etiam in efferata Barbarorum ingenia penetrat, orbósque, et truces hostium mollit oculos, hæc victoriæ insolentissimos spiritus flectit, nec illi arduum, aut difficile est, inter arma contraria, inter districtos comminus mucrones placidũ iter reperire. Vincit iram, prosternit odium, hostilémque sanguinẽ hostilibus lachrymis permiscet, atque etiam admirabilem Annibalis vocem pro funeribus Romanorum ducum arbitria statuentis expressit: quia aliquantò ei plus gloriæ Paulus, & Gracchus, & Marcellus sepulti, quàm oppressi attulerunt. Si quidem illos Punico æstu decepit, Romana mansuetudine honorauit. Vósque fortes ac piæ vmbræ non pœnitendas sortitæ estis exequias. nã vt optabilius in patria, ita speciosius pro patria collapsæ, supremi officij decus infelicitate amissum virtute recuperastis. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Senatu Romano erga Carthaginenses.

Senatus Rom. cùm Carthaginensium legati ad captiuos redimendos in Vrbẽ venissent, protinus his nulla pecunia accepta, reddidit iuuenes, numerum duum millium, & septingẽtorum quadraginta triũ explentes. tantũ hostium exercitum dimissum, tantam pecuniam contemptam, tot Punicis iniuriis veniam datam, ipsos legatos obstupuisse arbitror, ac secum dixisse, O munificentiam gentis Romanæ, Deorum benignitati æquandam: ò etiam nostram legationem supra vota felicem! nam beneficium quod nunquàm dedissemus, accepimus. Max. lib. 5.

De eodẽ erga Siphacem.

Illud quoque nõ paruum humanitatis Senatus indicium est. Siphacem enim quondam opulentissimum Regem Numidiæ captiuum, in custodia Tiburti mortuum, publico funere censuit efferendum, vt vitæ dono honorẽ sepulturæ adiiceret. ibidem.

De eodem in filium Masinissæ.

Confecto Macedonico bello, Musicanes Masinissæ filius cũ equitibus, quos in præsidium Romanorum adduxerat, ab Imperatore Paulo ad patrem remissus, tempestate classe dispersa, Brundusium ager delatus est: quod vbi Senatus agnouit, continuò illò Quæstorem ire iussit, cuius cura, & hospitium adolescenti expediretur, & omnia, quæ ad valetudinem opus essent, præberentur, impensæq; liberaliter tum ipsi, tum toti comitatui præstarentur: naues etiam vt prospicerentur, quibus ipse bene ac tutò cum suis in Africam traiiceretur: equitibus singulas libras argenti, et quingenos sestertios dari imperauit. quæ tam prompta, et tam exquisita Patrum Conscriptorum humanitas efficere potuit, vt etiam si expirasset adolescẽs, æquiore animo desiderium eius pater toleraret. ibidem.

De eodem in Ptolemæum.

Nec Ægyptus quidem Romanæ humanitatis expers fuit. Rex enim Ptolemæus à minore fratre regno spoliatus, petendi auxilij gratia cum paucis admodum seruis squalore obsitus, Romam venerat, ac se in hospitium Alexãdrini pictoris con-

tulerat. id postquàm Senatui relatum est, accersito iuuene, quàm potuit accurata excusatione vsus est, quòd nec Quæstorem illi more maiorum obuiam misisset, nec publico hospitio eũ excepisset, eáque non sua negligentia, sed ipsius subito, et clandestino aduentu facta dixit: et illum è Curia subitò ad publicos penates deduxit, hortatúsque est, vt depositis sordibus adeundi ipsius diem peteret: quin etiã curæ habuit, vti munera ei per Quæstorem quotidie darentur. His gradibus officiorum iacentem ad regium fastigium euexit, effecitque, vt plus spei in auxilio pop. Rom. quàm metus in sua fortuna reponeret. ibidem.

De L. Cornelio.

L. Cornelius Cons. primo Punico bello cùm Olbiã oppidum cepisset, pro quo fortissimè pugnans Hanno dux Carthaginensium occiderat, corpus eius & tabernaculo suo amplo funere extulit, nec dubitauit, hostis exequias ipse celebrare. Eũ demum victoriam & apud Deos, & apud homines minimum inuidiæ habituram credens, quæ plurimum humanitatis habuisset. ibid.

De M. Marcello.

Agè M. Marcelli clementia, quàm clarum, quámque memorabile exemplum haberi debet, qui captis à se Syracusis in arce earum constitit, vt vrbis modò opulentissimæ tunc afflictæ fortunam ex alto cerneret? Cæterùm casum eius lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit: quem si quis ignarus vir aspexisset, alterius victoriam esse credidisset. Itaque Syracusana ciuitas maxima clade tua aliquid admistum gratulationis habuisti, quia si tibi incolumi stare fas non erat, leniter sub tam mansueto victore cecidisti. ibidem.

De Q. Metello.

Quintus verò Metellus Celtibericum in Hispania gerens bellum, cùm vrbem Centobricam obsideret, & iam admota

machina, partẽ muri, quæ sola conuelli poterat, desiecturus videretur, humanitatem propinquæ victoriæ prætulit. Nam cùm Rhethogenis filios, qui ad eum transierat, Centobricenses machinæ ictibus obiecissent, ne pueri in conspectu patris, crudelis genere mortis cõsumerẽtur, quanquam ipse Rhethogenes negabat esse impedimento, quominus etiam per exitum sanguinis sui expugnationem perageret, ab obsidione discessit. Quo quidem tam clementi facto, etsi nõ vnius ciuitatis mœnia, omnium tamen Celtiberarum vrbium animos cepit, effecitque, vt ad redigendas eas in ditionẽ populi Rom. non multis sibi obsidionibus opus esset. ibid.

De L. Paulo.

Lucij quoque Pauli in tali genere laudis memoria apprehendenda est, qui cùm Persen parui temporis momento captiuum ex Rege ad se adduci audisset, occurrit ei Romani imperij decoratus ornamentis, conatúmque ad genua procumbere, dextra manu alleuauit, sermonéque grato ad spem exhortatus est: introductum etiam in tabernaculum lateri suo proximum in consilio sedere fecit, nec honore mensæ indignum iudicauit. Proponatur in conspicuo acies, qua prostratus est Perses, & harum rerum, quas retuli, contextus, vtro magis spectaculo delectentur, homines dubitabunt. Nam si egregium est hostem abiicere, non minus tamẽ laudabile, infelicis scire misereri. ibidem.

De Cn. Pompeio.

Hæc Lucij Pauli humanitas admonet me, ne de Cn. Pompeij clementia taceam, Regem Armeniæ Tigranem, qui permagna cum P. R. bella gesserat, & infestissimum vrbi nostræ Mithridatem Ponto pulsum viribus suis protexerat, in conspectu suo diutius iacere supplicem passus non est: sed benignis verbis recreatũ, diadema, quod abiecerat, capiti reponere iussit, certísque rebus imperatis, in pristinum fortunæ habitum

restituit: æquè pulchrum esse iudicans, & vincere reges, & facere. Quàm præclarum tributæ humanitatis specimen Cneus Pompeius, quàm miserabile desideratæ idem euasit exẽplum? Nam qui tigranis tempora insigni regio texerat, eius caput tribus coronis triumphalibus spoliatum in summo terrarum orbe nusquam sepulturæ locum habuit: sed abscissum à corpore, inops rogi, nefarium Ægyptiæ perfidiæ portatum munus est, etiam ipsi victor miserabile: vt enim id Cæsar aspexit, oblitus hostis, soceri vultum induit, ac Pompeio tum proprias, tum etiam filiæ suæ lachrymas reddidit, caput enim pluribus & speciosissimis odoribus cremandum curauit: quod si non tam mansuetus animus diuini principis extitisset, paulò ante Romani imperij columen habitum (sic mortalium negotia fortuna versat) inhumatũ iacuisset. ibidem.

De M. Antonio, & M. Bruto.

M. autem Antonij animus talis humanitatis intellectu nõ caruit. M. enim Bruti corpus liberto suo sepeliendum tradidit, quóque honoratius cremaretur, inijci ei suum paludamentum iussit, iacentem non hostem, sed ciuem deposito existimans odio. Cúmque interceptum à liberto paludamentum comperisset, ira percitus, protinus in eum animaduertit, hac antè præfatione vsus, Quid? tu ignorasti cuius tibi viri sepulturam commiserim? Fortem piámque eius victoriam Philippicam libenter Dij viderunt: sed ne ista quidem generosissimæ indignationis verba inuiti audierunt. ibidem.

DE VLTIONE, GRÆCORVM exempla.

De Athenienſibus.

Samij modico quodam successu elati, Atheniensiũ captiuos noctuæ figura inusserunt, publicam, vt credere est, eius ciuitatis religionem aspernati. est enim ea volucris Mineruæ sacra: Athenienses contrà, (nam iniuria semper iniuriam parit) Samios bello captos non noctua, sed Samneæ nauis signo deformarunt. Sab. lib. 3.

De Alexandro Magno.

Vltus est Magnus Alexander læsam regum maiestatem, & memorabili quidem exemplo prodidit. Bessus Bactriæ præfectus Dariũ Regem post Persicas opes triplici prelio afflictus vinctum lethaliter cõfodit. hũc Cessum in potestatem redactũ Alexander, vt documento esset omni posteritati, duabus arboribus ex aduerso multa vt in se à vertice inflexit, religatum dissectisque repente vinculis atrociter laniauit, cacuminibus sua vi corpus in aduersa distrahẽtibus. Disphendonẽ Græci vocant id genus supplicij à duplici fundæ excussione. ibidem.

De Regina Tomyri & Beronice.

Claræ vltionis vtraque Regina, & Tomyris, quæ caput Cyri abscissum in vtrem humano sanguine repletum demitti iussit, exprobrans illi insatiabilem cruoris sitim, simúlque pœnas occisi ab eo filij sui exigens: & Beronice, quæ Laodices insidijs interceptum sibi filium grauiter ferens, armata currum conscendit, persequutáque satellitẽ Regum crudelis operis ministrum nomine Ceneum, quoniã hasta nequicquam petierat, saxo ictũ prostrauit, ac super eius corpus actis equis inter infesta contrariæ partis agmina, ad domum, in qua interfecti pueri corpus occultari arbitrabatur, perrexit. Max. lib. 9.

De morte Iasonis.

Taxillo enim Gymnasiarcho à quibusdam iuuenibus pulsatum se conquesto, Iason permisit vt aut tricenas ab his drachmas exigeret, aut denas plagas singulis imponeret, quo posterio-

re vindicta vso, qui vapulauerant, Iasonem interfecerunt: animi, non corporis dolore pœnæ modum æstimantes. Cæterùm paruo irritamento ingenui pudoris maximæ rei expectatio subruta est: quoniam opinione Græciæ tantum in spe Iasonis, quantum in effectu Alexandri reponebatur. ibidem.

De Thaide Athenienſi meretrice.

Thais Athenis nata euntem Alexandrum cum exercitu in Orientem sequuta, antequam à Ptolemæo in delicijs haberetur, cum nonnullis etiam fœminis ac principibus, vt cum Alexandro in Persepoli vrbe in Xersis ipsius palatio cœnaret, inuitata (forma enim atque eloquio insignis erat) post cœnam cum Alexandro iocans, tunc se dixit ex castrensibus laboribus Asia peragrata, quod cupiuerat præmium accepisse, posteaquam Alexãder ei, vt in Darij Persarum Regis palatio cũ ipso cœnaret, indulserat: quod munus longè maius, imò æternum existimatura esset, sivt incendere quoque palatiũ posset, concederetur, vt ipsa quæ muliercula erat, tantum Regem, quantus fuerat Xerxes, vlciscereturr, cuius olim exercitus patriam suam Athenas incenderat. Eius igitur animi magnitudine motus Alexander, cum ei quod cuperet, agendi facultatem permisisset, ipsa palatio ignem iniecit, patriæ suæ iniurias, quo poterat modo, vlta. Bap. Ful lib. 9.

De Mithridate Ponti Rege.

Mithridates Ponticus Rex ex crimine ipso haud incõgruè Marium Attilium Romanum legatum vltus est, cuius auaritia bellum in Mithridatem populus Romanus mouisse putabatur. nam cùm astu eum cepisset, inaurato ore, vt eius auaritia detegeretur, per regnũ auersum asino insidentem ducebat. ibidem.

De eodem.

Cùm Mithridates per Pontũ Pompeij arma fugeret, accepit, à Stratonica coniuge arcem, cui ipsa cum ingentibus thesauris præsidebat, Romanis ea conditione tradidisse, vt si Xipharem suum ac Mithridatis filiũ cepissent, sine alio pretio ab eis dimitteretur. Nam ea re grauiter Mithridates indignatus, atque vltionis cupiditas adeò eum à recto sensu abstulit, vt captum Xipharem filium in loco vbi à matre conspiceretur, crudeliter occiderit. ibidem.

De Erixona Cyrenarum Regina.

Learchus ab Archelao Cyrenarum Rege in amicorũ numero præcipuus habebatur: cũ autem ipsum Regẽ veneno sustulisset, ac simul regnũ occupasset, Erixonam Reginam Archelai coniugem, vt matrimonio secum iungeretur, tentauit, pollicitus si id Erixona egisset, se Archelai filium adoptaturum esse. Cùm autẽ non imprudens fœmina conditionem non displicere ostendisset: sed fratres duros admodum obsistere posse, ad hanc rem, aliquam dixit rationem iniri, si ad se noctu in colloquium vno tantùm comitatus veniret. Nihil insidiarũ inesse putans Learchus, qui præ amoris magnitudine cæcus erat, noctu in Erixonæ ædes serecepit, vbi eum Erixona à duobus, quos domi occultos habebat, interimi iussit, ac corpus de fenestris deijci per hunc modũ, cũ aliter nequiret, mariti mortem vlta est. ibidem.

De Camma Galata.

Audax atque amoris plena in mariti Sinati vlciscẽda morte Cãma Galata fuit aduersus Sinorigem, qui ob id solùm Sinatum interemerat, vt Camma potiretur. nam cũ nec precibus nec donis placari posset, postremò veritatẽ precibus vim Sinatus adderet, matrimonio assentiri cum eo se finxit, atque vocatum eum in Dianæ templum, cuius ipsa sacerdos erat, in numinis conspectu ostendit, desponsationem celebrare velle: quòd autem mos erat, vt eodẽ in desponsatione poculo vir vxórque biberent, ipsa prius per-

actis solennibus verbis, post iusiurandum aureo poculo delibatam à se venenatam potionem Sinorigi propinauit, qui fraudē nullam inesse ratus, ex eodem vase ipse quoque venenum hausit. quod ipsa conspicata, præ letitia contentam se mori exclamauit, posteaquam ita virum vlta fuerat: nec multò post ambo perierunt. ibidem.

De Nicomede Bithyniæ Rege.

Haud scio iustámne, an sceleratam appellem eam vltionem, qua Nicomedes aduersus patrē Prusiam Bithyniæ Regem vsus est: fortasse enim plerique iudicauerint, quæcūque sit patris in filium iniuria, filij tamen esse non aliter se, quàm vel latendo, vel fugiendo tueri, patientiáque paternam iram sustinere oportere. Hic patri suspectus, quod à populis nimium diligeretur, ab eo Romam missus est, et quia illic eū Romani quoque in honore habebant, patri suspicio atque odium simul creuit. Itaque cùm tentaret, vt Romæ occideretur, re ab eo detecta, quò vt cædem perageret, missus fuerat, Nicomedes in Bithyniam profectus cùm populi à Prusia patre rebellassent, fugientem eū interfici iussit. Prusias igitur qui suspicionis plus haberet, quàm oportebat, vt persæpe euenit, sibiipsi eius mali causam attulit, quod sine ratione futurum metuebat. ibidem.

De Albaga Can, id est Rege Tartatorum.

Fera nimis, nedum barbara fuit vltio Albagæ Can, id est Regis Tartarorū aduersus Paruanam: quòd ab eo Turciæ præfectus (eius enim imperiū Tartari anno salutis ducentesimo atque octuagesimo supra mille sibi pepererant) pretio eam regionem Ægyptio Sulthano vēdiderat. Albagas enim cum postea armis Turciæ regnum recuperasset, captum proditorem, vt Scytarum mos est, medium desecuit: deinde corpus inter alias epulas coxit, ex eoque ipse & proceres eius epulati sunt: neque ita adhuc pro iniuria sa-

tis factum arbitrabatur. ibid.

De Carthaginensibus.

Hāno Amilcaris Carthaginensium ducis filius ob claram apud suos originem diuitiarum abundantissimus, in regni Carthaginensis malam cupiditatem incidit: ad quod occupandum cùm artes cæteræ deessent, scelestum satis facinus excogitauit. desponderat enim filiam suo egregio iuueni, cuius insignes nuptias celebraturus, vrbis toti plebi sub porticibus opiparū epulum præparari iussit: Senatum verò omnem in domo propria collocauit, infectáque veneno pocula cōuiuij ministris, vt sitientibus Senatoribus porrigerent, tradidit, arbitratus, amoto Senatu, rempublicam consilio destitutam occupari posse facillimè. Sanè cùm esset fraus per ministros Senatui detecta, & cùm minus tutum Reipublicæ videretur, in tantū virum aliquid attentare, nil aliud in eum præter legem vnicam, quæ sumptus nuptiales arceret, pro tunc actum est. Attamen Hanno dum in se nihil audētes Patres audiuit, impulsus acriori rabie, quod veneno nequiuerat explere, id agendū ferro proposuit, cuius ausui temerario cùm exitus non satis responderet, à ciuibus capitur, captus nudatur, nudatus virgis inclementer cæditur: dehinc eruuntur oculi, manus abscinduntur, demum confringuntur crura: sed cùm hos immanissimos cruciatus omnes viuens adhuc Hanno vicisset, fessi carnifices obstinatum spiritū abire ferro coēgerunt, cuius lacerum cadauer, & mille vulneribus deforme, in spectaculum cruci cunctis intuentibus affixū altissimè sublatum est. Nec adhuc ciuium contenta sæuitia, huius filios cognatósque alios etiam innoxiosquoscunque supplicio tradidit, ne vel ad imitādum tale scelus, aut vlciscendū Hannonis necem aliquis superesset. Guido Exempl. lib.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Sertorio.

Universidad de Deusto Biblioteca

NVlla suorum temporum nouitate Romana ciuitas maiora tulit scelerum monstra, quàm cùm inter Syllam & Marium est de summa rei in vrbe & foris dimicatum. Nec in tantis malis viderunt indignius quicquam miseri ciues, quàm quòd Marij permissu seruitia (adeò creuerat eorum licentia, quibus ille septus in vrbem ab exilio redierat) ad libitum grassarentur in ingenua Romanorum corpora: quam Sertorius iniuriã haud ferendam ratus, etsi vnus Marianarum partium, facto in seruos impetu, ad quatuor millia eius generis in campo trucidauit. Sab. lib. 8.

De tribu Pollia.

Trib. plebis M. Fuluius ad populum de Tusculanis retulit, quòd eorum consilio Veliternos Priuernatésque rebellaturos diceret, qui cum coniugibus ac liberis squalore obsiti, cùm supplices Romam venissent, accidit vt reliquis tribubus salutarem sententiam sequuti, sola Pollia iudicaret oportere publicè eos verberatos securi percuti, imbellem multitudinem sub corona venire. quam ob causam Popilia tribus, in qua plurimũ postea Tusculani in ciuitatem recepti potuerũt, neminem vnquam candidatum Polliæ tribus fecit magistratum, ne ad eam vllus honor suis suffragiis perueniret, quæ illis vitam ac libertatem, quantũ in ipsa fuit, ademerat: illam verò vltionem & Senatus & consensus omnium approbauit. Max. lib. 9.

De vltione Romanorum in Adrianum.

Cùm Adrianus ciues Romanos, qui Vticæ consistebant, sordido imperio vexasset, idcircóque ab his viuus esset exustus, nec quæstio vlla in vrbe hac de re habita, nec querela versata est. ibidem.

De Senatu ac populo Romano.

Insignis atque sine sanguine, & propterea ingenti eorum animo digna fuit ea vltio, qua Romani in Brutios vsi fuerunt. Nam Italorum primi se Annibali coniunxerant, & postremò ab eo discesserunt. igitur ab Italia depulso Annibale, & superatis in Africa Carthagmensibus, Senatus populúsque Romanus ad perpetuam Brutiorum facinoris ignominiam, atque vltionem sanxit, ne in posterum Brutiorum vllus militia dignus fieret: sed cum magistratibus inter ministros atque apparitores Brutij semper mitterentur, qui tunc Brutij dicti, postea, vt fit temporis successu corrupto nomine, Birri nuncupati sunt. Baptist. Fulg. lib. 9.

De morte C. Fabij

Cùm inter Marium Syllámque ciuili bello decertaretur, C. Fabius Africæ proconsul, quia crudelem se auarúmque nimis præstabat, compulsis ad arma populis, viuus in palatio combustus est. ibidem.

De Aulo Vitellio Imperatore.

Aulus Vitellius Cæsar apertè ostendit, quàm suauis vltio his videatur, qui rationis immemores esse volunt. Nam statim vt Imperator creatus fuit, dicens pascere se oculos velle, præsente se, interimi publicanũ quendam iussit, quòd ipse cùm priuatus esset, parum modestè, imò contumeliosè quædam erga eum egerat. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Cheldiberto Francorum Rege.

CHeldibertus Francorum Rex vt materni aui cædẽ vlciscereturBurgũdiis bellum intulit, Sigismundúmque eius gentis Regem cum liberis & vxore captum in profundissimum puteum præcipitauit: interfecit & Almaricum Visogotthorũ Regem, qui in Hispania latè imperitabat, quòd soror illi connubio iuncta, ab eo

indigna pateretur. Sabel.lib.8.

De Constantinopolitanis

Nulla ciuitas in se vlciscenda magis suo dolori, quàm Constantinopolitana indulsit ciuitas, quæ Andronico Imperatori, (quia cum sorore stuprum patrasset, Alexióque pupillo interfecto, imperium aggressus, omnem propemodũ nobilitatem alios alia iniuria afflixisset) abrogauit primò imperium: in ordinem inde redactum altero priuauit oculo, asinæque auersum imposuit, bestiæ caudam pro sceptro habentem, pro diademate aliorum restem, per vrbem inde circumuehitur, viris fœminísque in eum probra iaciẽtibus, lutúmq; & alia fœdiora dictu in prætereũtem congerentibus: postremò laqueo pendens, vncis & harpagonibus est laniatus: multi particulam corporis vnco adeptam non solùm attrectare, sed mandere etiam ausi sunt. ibidem.

De Helmige equite Longobardo.

Cùm Rosimunda Longobardorum Regina viro suo Alboino necem per Helmigem equitem suum procurasset, regno populorum indignatione pulsa, Rauennam homicida atque eodem adultero fugæ comite profugit: illic, vt fœminei moris est, cùm Helmigis eam satietas cepisset, dum ambo balneis egrederentur, ipsa Helmigi venenatum poculum propinauit: idque quod erat Helmiges cùm bibendo præsensisset, stricto gladio eam coëgit, vt quod in poculo superfuerat, ipsa hauriret. qui quanquam eo haustu antè moreretur, viuus tamen Rosimundam vltus est: quandoquidem haud diu post Helmigem ipsa quoque decessit. Bap.Fulg.lib.9.

De Sanctio Castulonensi Comite.

Sanctius Castulonensis Comes, cùm à materna ancilla accepisset, à matre principẽ quendam Arabem amari: & vt commodiùs Veneri cum eo operam dare posset, ab ea ipsius vitæ veneno insidias esse paratas, quo tempore poculum, in quo venenum miscuerat, mater porrexit: iusta ira Sanctius ad vltionẽ impulsus, ipsam, vt prius biberet, coëgit: & ita, vt digna erat, mater confestim mortua est. ibidem.

De Ioanne Stanarola Veronensi.

Mortem quoque suam Ioannes Stanarola Veronensis vltus est, cùm detecta coniuratione inductæ ei compedes essent, & ita ad Henricum Dugnam ab Ecelino Veronensi vrbi præfectum perductus esset. Nam cùm se ad nominandos coniurationis conscios cogi videret, neque ob id tamen salutem obtinere posset, vt poterat saltu Henrico ap propinquauit, atq; paruulo gladio, quem veste abdiderat, ter punctim in caput eum percussit, ita vt quanquam ipse illic statim occideretur, breui tamen etiam Henricus periret. ibid.

De Iustiniano II. Imperatore.

Iustinianus quoque Imperator post recuperatũ imperium, quo eum nasóque simul Leontius Patritius priuauerat, acerbissimè iniuriã vltus est. Nam quoties nasum emungeret, hostium suorum vnũ capite mulctabat, quorum in vinculis magnum numerum habebat. ibid.

De Eruoia Spaletij Duce.

Eruoia Spaletij Dux, cùm à Sigismundo Imperatore, qui etiam Hungariæ, atque Bohemiæ regna possidebat, rebellasset, atque vno prælio multos è Sigismundi ducibus ac præfectis cepisset, omnes sine pretio humanè dimisit, vno Paulo Cuphoro excepto, cui nudo statim assui bouis pellem iussit. Nam cùm Eruoia adhuc in officio cũ Sigismundo maneret, atque in eius aula versaretur, quia ipsius aspectus moréſq; rusticum hominem preferebant, nũquam à Paulo aliter quàm expresso bouis mugitu salutabatur. Ei enim capto, cùm ita, vt dictum est, ipsum haberet, hoc impope-

rauit dicens, velle se vt voci illi personæ quoque imago responderet. ibidem

DE NECESSITATE, Græcorum exempla.

De Cretensibus.

Cretenses obsidione Metelli ad vltimã vsq; penuriam compulsi, sua iumentorũmque suorum vrina sitim torserũt, iustiùs dixerim, quàm sustentauerunt: quia dum vinci timent, id paßi sunt, quod eos ne victor quidem pati coëgisset. Max. lib. 7.

De Numantinis.

Numantini autem à Scipione vallo & aggere circundati, cùm omnia, quæ famem eorum trahere poterãt, consumpsissent, ad vltimum humanorum corporum dapibus vsi sunt. Quapropter capta iam vrbe, complures inuenti sunt, artus, & membra trucidatorum corporum sinu suo gestantes. Nulla est in his necessitatis excusatio: nam quibus mori licuit, sic viuere necesse non fuit. ibid.

De Caliguritanis.

Horum trucem pertinaciam in consimili facinore Caliguritanorum execrabilis impietas supergressa est, qui quò perseuerantius interempti Sertorij cineribus obsidionem Cnei Pompeij frustrantes, fidem præstarent, quia nullum iam aliud in vrbe eorum supererat animal, vxores suas natósque ad vsum nefariæ dapis verterunt. Quoque diutiùs armata iuuentus viscera sua visceribus suis aleret, infelices cadauerum reliquias salire non dubitauit. ibid.

De Babyloniis.

Babyloniorum vrbem Darius Persarum Rex obsidebat, à quo desciuerant, quod insitum eis à natura in ipsum erat odium: vt autem commeatus, quos in vrbe habebant, Babylonij diutiùs extenderent, ex toto fœmineo sexu cùm singulas viris omnibus delegissent, reliquas ne eis alendis illorum nutrimenta, per quos vrbs defendebatur, cõsumerent, strangulauerunt. Baptista Fulg. lib. 7.

De Cambysis Persarum Regis exercitu.

Non minor illa quoque necessitas fuit, qua Cambysis Persarum Regis exercitus, suscepta aduersus Æthiopes expeditione, deficientibus aliis omnibus humano generi consuetis alimentis, milites decimabat, quorum carnibus in aliorum alimenta vteretur. Miserandum profectò, atque atrox vitæ genus, comitis adempta vita vitam suam prorogare velle: cùm tamen qui eiusmodi aleretur cibo, longè eo qui decimatus fuerat, infelicior dici posset. ibi.

De Athenienſibus.

Athenienses à Demetrio Syriæ Rege obsessi, tanta necessitate laborabant, vt delapso mure à tecto, pater cum filio, vt eum sibi quisque caperet, non verbis, verùm etiam pugnis decertauit, fame ita vrgente, vt non modò immunda bestia vesci non abhorrerent, verùm etiam insitum à natura affectum, atque reuerentiam obliuiscerentur. ibidem.

De Samaritanis.

Omnem hactenus scriptam necessitatem illa superauit, quæ Samaritanos circumuenit, quo tempore Ioram Hierosolymarum Rex rerum potiebatur, & arcta obsidione à Benadab Syriæ Rege premebatur, & qui alio nomine Ædadus & Adager nuncupatur: fames enim adeò apud eos inualuerat, vt asini caput octoginta argenteis nummis veniret. itaque cùm Ioram vereretur, ne fame oppressi deditionem Samaritani facerent, ipse vrbem circuendo, murorum custodiam obibat, fretus ipsius præsentia motum populum sibi à rebellione temperaturum. Cùm igitur hoc munere fungeretur, audiuit in propinqua domo tumultuãtiũ simul hominũ fieri strepitũ: cuius rei causã cùm quæreret, egressa mulier acerbè queri

cœpit, quòd cùm ipsa cum socia muliere pepegisset, vt ambæ filiorum carne præsentem fortunam superarent, ipsáque suum interemisset, cuius cibo ipsa, comésque mulier in eam horam vixissent, nunc comitem fœminam filium abdidisse, atque ini tam pactionem seruare nolle. O sæuam profectò nimis miserandámque necessitatem! Quid enim aliud de te dicam, cùm nul lis cohibita frænis maternũ affectum, vt vsque ad filiorum cædem atque vescẽdas eorum carnes progrederetur, sui immemorem reddidisti? ibidem.

De Carthaginensibus.

Quàm ingẽs etiam necessitas fuit, ad quam Carthaginenses redacti fuerunt, cùm postremò Romanorum armis à Mancino Consule deuicti, euersam Carthaginem viderunt? Nam ad instruendam classem cùm obsessis, materia decesset, trabibus tabulisq; priuatarũ ædium vsi sunt. Et cùm Romanis antè arma tradidissent, vt alia conficerent, omni quod in priuato vsu erat, ferramento consumpto, ad noua conflanda arma, alia insuper ex auro argentóque, vbi ferrum deerat, confecere, atque vt in arcus funes compararent, cùm alia deesset ratio, fœminæ comas suas in eum vsum tradiderunt: ad tantam Carthaginenses necessitatem, atque industriam Romana arma atque ipsorum, vt liberi morerentur, propositum redegerunt. ib.

De Hierosolymitana fame.

Hierosolymitani exilij tempore cùm Iudæi arctius à Romanis obsiderentur, reperta sunt à militibus omnia ob inediam discutiẽtibus, in priuatæ mulierculæ domo puerilia membra, quibus infelix mater occultè vescebatur. Sabel. lib. 10.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Ciuitate Romana.

ALiquod aduersis prœliis secundo bello Punico exhausta militari iuuentute Romana Senatus autore Tib. Gracho Consule censuit, vti publicè serui aduersus propulsandorum hostium impetum emerentur: eáque de re per Tribunos Plebis apud populum lata rogatione, tres creati sunt viri, qui quatuor & viginti millia seruorum comparauerunt, adactósque iureiurando, strenuam se fortémque operã daturos, quoad Pœni essent in Italia, datis armis, in castra miserunt. Ex Apulia etiam & à Fidiculis septuaginta atque ducẽti ad supplementum equitatus sunt empti. Quanta violentia est casus acerbi? Quæ ciuitas ad id tempus ingenuæ quoque originis capite censos habere milites fastidierat, eadem è cellis seruilibus extracta corpora, & à pastoralibus casis collecta mancipia, velut præcipuum firmamẽtum exercitui suo adiecit. Cedit ergo interdum generosus spiritus vtilitati, & fortunæ viribus succumbit, vbi nisi tutiora consilia legeris speciosa sequenti concedendum est. Max. lib. 7.

De eadem Ciuitate Romana.

Cannensis autem clades adeò Vrbem nostram vehementer contudit, vt opera M. Iunij Dictaturam Reipublicæ administrantis spolia hostium affixa templis, Deorum numini consecrata instrumenta militiæ futura conuellerentur, ac Prætextati pueri arma induerent: adiudicatorum etiam, & capitali crimine damnatorum sex millia conscriberentur: quæ si per se aspiciatur, aliquid ruboris habeant: sin autem admotis necessitatis viribus ponderentur, sæuitiæ temporis cõuenientia præsidia videantur. ibid.

De eadem.

Propter eandem cladem Senatus Octacilio, qui Siciliam, Cornelio Mammulæ, qui Sardiniam Propretores obtinebãt, querentibus, quòd neque stipendium, neque frumentum classibus eorum & exercitibus socij præberent, affirmantibus etiam ne habere quidem eos vnde id

præstare possent, rescripsit, ærarium longinquis expensis non sufficere: proinde quo pacto tantæ inopiæ succurrendum esset ipsi viderent. His literis quid aliud quàm imperij sui gubernacula è manibus abiecit? Siciliámque et Sardiniam benignissimas vrbis nostræ nutrices gradus & stabilimenta bellorum, tam multo sudore & sanguine in potestatem redactas, paucis verbis, ita scilicet necessitate iubente dimisit? ibidem.

De Casilinatibus.

Eadem Casilinates obsidione Annibalis clausos alimentorúmque facultate defectos, lora necessariis vinculorum vsibus subducta, éque scutis detractas pelles feruenti resolutas aqua mandere voluisti. Quid illis si acerbitatem casus intueare, miserius? si constantiam respicias, fidelius? qui, ne à Romanis desciscerent, tali vti cibi genere sustinuerunt, cùm pinguissima arua sua, fertilissimósque cãpos mœnibus suis subiectos intuerentur. Itaque Campanæ vrbis, quæ Punicã feritatẽ deliciis suis cupida fouit, in propinquo sitũ Casilinum moderatum virtute clarum perseuerantis amicitiæ pignore, impios oculos verberauit. ibidem.

De Prænestinis.

In illa obsidione & fide cùm trecenti Prænestini permanerẽt, euenit, vt ex his quidam murem captum ducẽtis potius denariis vẽdere, quàm ipse lenien dæ famis gratia cõsumere mallet: sed credo Deorum prouidentia effectũ, vt et venditori & emptori, quem vterque merebatur, exitum attribuerit. auaro enim fame consumpto, manubiis sordium suarum frui nõ licuit: æqui animi vir ad salutarem impensam faciendam, carè quidem, verùm necessariè comparato cibo vixit. ibid.

De Ciuitate Romana.

C. autem Mario & Cn. Carbone Cõsulibus bello ciuili cum L. Sylla dissidentibus, quo tempore non Reipublicæ victoria

quærebatur, sed præmium victoriæ, res erat publica, Senatusconsulto aurea atque argentea templorum ornamenta, ne militibus stipẽdia deessent, conflata sunt. digna enim causa erat, hinc, an illi crudelitatem suam proscriptione ciuium satiarent, vt dij immortales spoliarentur. non ergo Patr. Conscriptorum voluntas, sed teterrimæ necessitatis truculenta manus illi consultò stylum suum impressit.

De D. Iulio.

Diui Iulij exercitus, id est inuicti ducis inuicta dextera, cùm armis Mũdam claussisset, aggerique extruendo materia deficeret, congerie hostilium cadauerum, quam desiderauerat, altitudinem instruxit, eámque tragulis & pilis, quia roboreæ sudes deerant, magistra nouæ molitionis necessitate vsus, vallauit. ibidem.

De L. Antonio Consule.

L. Antonius Consul Antonij Triumuiri frater ab Augusto Perusiæ obsessus, in eas commeatum angustias deductus est, vt cùm in seruos quod alimenti habebat, non consumere decreuisset, è quorum numero propterea quotidie nonnulli fame conficiebantur: ne ad hostes transirent, & Lucij necessitatem detegerent, aut desperatione acti hostes in vrbem inducerent, seruis carceres impleuit, atque illic fame eos confecit. B. Fulg. lib. 7.

De Nerone Imperatore.

Quod L. Antonium, vt in alios ageret, necessitas compulit, eadem Nerone, vt in se pateretur, coëgit. Nam ab immensis deliciis, quibus ante vtebatur, in omni re sua immodicus omnium odio eum premente, in seruii sui domum profugit, atque illic vrgente siti, qui aureis gemmatisque vasis assueuerat, veluti nouus Diogenes, quia alter non poterat, è caua manu poculum sibi fecit: & cùm calcei deessent, atque ipsi nudis pedibus per cannetum nuperrimè desectum transeundum esset, vt occultè locum peteret, in quo

Universidad de Deusto Biblioteca

latere posset, magna ex parte pronus per terram in quadrupedis speciem perrexit: atque ne acuti cannarum stipites læderent, vestem subdidit. ad hanc necessitatem redactus est, qui olim vrbes, prouincias, ac regna dare consueuerat, vt calceos in pedes non habuerit, manúque pro pedibus vteretur, & deficiente vase manum pro poculo adhiberet. ibid.

De Aquileiensibus.

Cùm Maximinus Augustus crudelitatis magnitudine diu ferendo defessum iam Senatum populúmque Romanum ad defectionem compulisset, atque is ad vrbem armatus tenderet, Aquileiam vrbẽ in itinere, quòd Senatui parêret, obsessam in eam necessitatem redegit, vt cùm in arcus chordas non haberent, fœminarum suarum comis ad illud opus vterẽtur: quemadmodum Romanos quoque fecisse legimus, cùm à Gallis in Capitolio obsiderentur, qui ob eam rem postea Venerem caluam consecrarũt. hoc idẽ Massilienses quoque aduersus C. Cæsarem peregerunt. ibi.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De duabus Ariminensibus fœminis.

IMperante Iustiniano, cùm Gotthi Bellissarium in vrbe Roma inclusissent, et per totam Italiam fames valida esset, Procopius Græcus scribit, duas mulieres, quæ apud Ariminum hospitatoriam Cauponam exercebant, fame coactas, decem & septem homines diuersis temporibus interemisse, qui forte seorsum apud eas hospitatum iuerant, quo tẽpore cubitum profecti, iã alto somno indormiebant, atque eorum carnibus sibi alimẽta parasse. Quod postea vnus detexit, qui ipsis cædem peragẽtibus, inuigilabat, à quo ambæ interfectæ fuerũt. Bap. Ful. li. 7.

De Balduino Cõstantinopolitano imperatore.

Balduinus II. Constantinopolitanus Imperator cùm bello pre-

premeretur, quod Græci rebelles intulerant, atque pecuniæ defectu laboraret, Venetis permultas Sãctorum reliquias vẽdidit, nec eo contentus filium Philippum accepta pecunia, à priuatis mercatoribus pignori obligauit, atque eum ad ipsos Venetias misit, ipsa quoque tẽpla plumbo, quo tecta erant, spoliauit, ac vendidit, vt inde pecuniam ad se tuendum conficeret. ibidem.

De Italica fame.

Arctissima frugum inopia vniuersa Italia laborante, vt Darius Antistes Mediolanensis prodidit, cui in literas mittere fuit curæ, suæ diœceseos fœminam obscuri nominis, inedia subactam, filij à se interfecti carnes esitasse. Sabel. lib. 10.

De fame Barulana.

Obsesso à Gallis Consaluo Agidario intra Barulum (est id Apuliæ celebre satis oppidum) tam ingenti fame laboratum constat, vt miles detractas scutis pelles, emollitas aqua manderet, nec ab herbis radicúmque alio genere abstinuerit. ibidem.

DE VARIETATE casuum, Græcorum. exempla.

De Polemone Atheniensi Philosopho.

PErditæ luxuriæ Athenis adolescens Polemon, neque illecebris eius tãtummodo, sed etiam ipsa infamia gaudens, cùm è conuiuio non post occasum solis, sed post ortum surrexisset, domúmque rediens, Xenocratis Philosophi patentem ianuam vidisset, vino grauis, vnguentis delibutus, sertis capite redimito, pellucida veste amictus, refertam turba doctorum hominum scholã eius intrauit: nec contentus tam deformi introitu, consedit etiam, vt clarissimum eloquium & prudentissima præcepta temulentiæ lasciuijs eleuaret: orta deinde, vt par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum

in eodem habitu cõtinuit, omissáque re, quã disserebat, de modestia ac temperantia loqui cœpit: cuius grauitate sermonis resipiscere coactus Polemon, primũm coronam capite detractã proiecit, paulò post brachium intra pallium reduxit, procedẽte tempore oris conuiualis hilaritatem deposuit: ad vltimum totam luxuriam exuit, vnúsque orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone maximus Philosophus euasit: peregrinatus est huius animus in nequitia, non habitauit. Max. libro. 6.

De Themistocle.

Piget Themistoclis adolescentiam attingere, siue patre aspiciam abdicationis inuingẽtem notam, siue matrem suspendio finire vitam, propter filij turpitudinem coactam, cùm omniũ postea Graij sanguinis virorum clarissimus extiterit, mediúmq; Europæ, & Asiæ vel spei, vel desperationis pignus fuerit: hæc enim salutis suæ patronum habuit, illa vadem victoriæ assumpsit. ibidem.

De Alcibiade.

Nanque Alcibiadem quasi duæ fortunæ partitæ sunt: altera, quæ ei nobilitatem eximiã, abundantes diuitias, formam præstantissimam, fauorem ciuium propensum, summáque imperia, præcipuas potentiæ vires, flagrantissimum ingenium assignaret: altera, quæ damnationem, exilium, venditionem bonorum, inopiam, odium patriæ, violentam mortem infligeret: nec aut hæc, aut illa vniuersa, sed varia perplexa freto atque æstui simillima. ibidem.

De Polycrate Tyranno Samiorum.

Ad inuidiam vsque Polycratis Samiorum Tyranni abũdãtissimis bonis conspicuus vitæ fulgor excessit, nec sine causa: omnes enim conatus eius placido excipiebantur itinere, spes certum cupitæ rei fructum apprehendebat: vota nuncupabãtur simul, & soluebantur: velle ac posse in æquo positum erat:

semel duntaxat vultum mutauit, perquàm breui tristitiæ salebra succussum, tunc cùm admodum gratum sibi annulum de industria in profundum, ne omnis incommodi expers esset, abiecit: quem tamen continuò recuperauit, capto pisce, qui eum deuorauerat: sed hũc, cuius felicitas semper plenis velis prosperum cursum tenuit, Orontes Darij Regis præfectus, in excelsissimo Micalensis montis vertice cruci affixit, ex qua putres eius artus, & tabido cruore manãtia membra, atque illam læuam, cui Neptunus annulum piscatoris manu restituerat, situ marcidam Samos amara seruitute aliquandiu pressa liberis ac lætis oculis aspexit. ibidem.

De Dionysio Tyranno.

Dionysius autem cùm hæreditatis nomine à patre Syracusanorum ac penè totius Siciliæ tyrannidem accepisset, maximarum opum dominus, exercituum dux, rector classium, equitus potens, propter inopiam literas puerulos Corinthi docuit, eodémque tempore tanta mutatione maiores natu, ne quis nimis fortunæ crederet, magister ludi factus ex Tyrãno monuit. ibidem.

De Siphace Rege.

Sequitur hunc Siphax Rex consimilem fortunæ iniquitatẽ expertus, quem amicum hinc Roma per Scipionẽ, illinc Carthago per Asdrubalem vltro petitũ ad penates deos eius venerat. Cæterùm eò claritatis euectus, vt validissimorum populorum non tantùm arbiter, sed & victor victoriæ existeret, parui tẽporis interiecta mora, catenatus à Lælio legato ad Scipionem imperatorem pertractus est, cuiúsque dexteram regio insidens solio arroganti manu attigerat, eius genibus supplex procubuit: caduca nimirũ & fragilia puerilibúsque consentanea crepundiis sunt ista, quæ vires, atque opes humanæ vocantur. Affluunt subitò, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus ni-

xa radicibus consistunt: sed incertissimo statu fortunæ huc atque illuc acta, quos in sublime extulerũt, improuiso recursu destitutos in profundo cladium miserabiliter immergũt. Itaque neque debent existimari, neque dici bona, quæ inflictorum malorum amaritudinem desiderio sui duplicant. ibid.

De Zenobia Armeniæ Regina.

Zenobia Rhadamisti Armeniæ Regis vxor propter populorum rebellionem cùm vnà cum viro fugeret, & in via pariendi dolore capta esset, ita vt vltrà progredi non posset, virum rogauit, vt eam occideret, neque in hostium manus venire pateretur: vir post multas lachrymas vxorem amplexus, ne dedecus pateretur, apud hostes ferro iugulum eius petijt, & mortuam esse arbitratus, in Araxem fluuiũ, qui prope erat, proiecit, ne corpore hostes potirentur. Sed postea à quibusdam inuenta pastoribus, cùm adhuc viuere perspiceretur, ad Tiridatem mariti hostem perlata fuit. Bapt. Fulg. lib. 6.

De Perseo Macedoniæ Rege.

Infelicissimo exitu vitam fortunámq; terminauit Rex Perseus, qui amisso regno, simúlque ingentibus thesauris, à Paulo Æmilio ductus in triumphũ, perpetuo carceri damnatus est, Cuius cùm vigiles tæderet, somno ab eis prohibitus, eo tormento perijt. Nec verò his malis ipsius fortuna contenta fuit, sed filium eius Alexandrum in eam coniecit miseriam, vt notarium professus, scribendo vitam duceret. ibidem.

De Calir Bassa.

Calir Bassa cùm domi bellique consilio armísque polleret, omnia penes Mahumetem patrémque eius moderamine suo gerebat: & tamen nulla legitima declarata causa, siue quod eius magnitudo Mahumeti suspecta esset, siue quod eius thesauris, qui ingentes erant, inhiaret, Mahumetes, manè vnius diei Calir strangulari iussit. ibi.

De Argo Can.

Haud dissimili fortuna Argon Tartarus, cùm arma in patruum cepisset, Tangodor Can, id est, Tartatorum in Perside atque Armenia regem (qui alio nomine Mahumetes dicebatur) prælio superatus, ac captus, cùm, ad mortem damnatus, Taurisium in Armeniam perduceretur, incidit in principem Tartarum olim Argi patris ministrum, à quo nocte proxima vi facta liberatus est, & Tartatorum princeps salutatus, Taurisiúmque, vbi morti designatus erat, vt princeps est deductus: coactis autem illic copijs, in Mahumetem inuectus, eum interemit, atque per hunc modum in ipso Tartarorum regnum firmatum fuit anno Salutis ducentesimo octuagesimo quinto supra mille. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Cn. Cornelio Scipione Asina.

CN. Cornelius Scipio Asina Consul à Pœnis apud Liparas captus, cùm belli iure omnia perdidisset, lætiore subinde vultu eius adiutus, cuncta recuperauit: Consul etiam iterum creatus. Quis crederet illũ à duodecim securibus ad Carthaginensium peruenire catenas? quis rursus existimaret, à Punicis vinculis ad summa imperij peruenturum fastigia? sed tamen ex Consule captiuus, & ex captiuo Consul factus est. Max. lib. 6.

De Crasso dicto Diuite.

Quid? Crasso nónne pecuniæ magnitudo Lucupletis nomen dedit? sed eidem postea inopia turpẽ decoctoris superlationem immisit: siquidem bona eius à creditoribus, quia solidum præstare non poterat, venierũt. Itaque amara suggillatione non caruit, cùm egens ambularet, Diues ab occurrentibus salutabatur. ibidem.

De Q. Cepione.

Crassum casus acerbitate Q.

Cepio præcurrit. is nanque Præturæ splendore, triumphi claritate, consulatus decore, Maximi pontificis Sacerdotio, vt Senatus patronus diceretur, assequutus, in publicis vinculis spiritum deposuit, corpúsque eius funesti carnificis manibus laceratum, in scalis Gemoniis iacens, magno cum horrore totius fori Romani conspectum est. ibidem.

De C. Cæsare.

C. autem Cæsar, cuius virtutes aditum sibi in cælum struxerunt, inter primæ iuuentutis initia priuatus Asiam petens, à maritimis prædonibus circa insulam Pharmacussam exceptus, quinquaginta se talentis redemit. Parua igitur summa clarissimum mundi sydus in piratico myoparone rependi fortuna voluit. Quid est ergo, quòd amplius de ea re queramur, si ne consortibus quidem diuinitatis suæ parcit? sed cæleste numen se ab iniuria vindicauit. continuò enim captos prædones crucibus affixit. ibidem.

De Mãlio Torquato filio Lucij Manlij Torquati.

Manlius autem Torquatus adeò hebetis atque obtusi cordis inter initia iuuentutis existimatus, vt à patre Manlio amplissimo viro, quia & domesticis & Reipublicæ vsibus inutilis videbatur, rus relegatus, agresti opera fatigaretur: postmodum patrem reum iudiciali periculo liberauit: filium victorem, quòd aduersus imperiũ suum cum hoste manum conseruerat, securi percussit: patriã Latino tumultu fessam speciosissimo triumpho recreauit. In hoc, credo, fortunæ nubilo contemptu adolescentiæ perfusum, quo senectutis eius decus lucidius emitesceret. idem lib. 6. c. 9

De Scipione Africano Superiore.

Scipio Africanus Superior, quem dij immortales nasci voluerunt, vt esset, in quo virtus se per omnes numeros hominibus efficaciter ostenderet, solutioris vitæ primos adolescentiæ

annos egisse fertur, remotos quidem à luxuriæ crimine: sed tamen Punicis trophæis, deuictæ Carthaginis ceruicibus imposito iugo, teneriores. ibidem.

De Caio Valerio Flacco.

Caius quoque Valerius Flaccus secundi Punici belli temporibus luxu perditam adolescentiam inchoauit. cæterùm à P. Licinio Flamen factus, quò facilius à vitiis recederet, ad curam sacrorum & cæremoniarum conuerso animo, vsus duce frugalitatis religione, quantum prius luxuriæ fuerat exemplũ, tantum postea modestiæ & sanctitatis specimen euasit. ibid.

De Q. Fabio Maximo.

Nihil Q. Fabio Maximo, qui Gallica victoria cognomẽ Allobrogi sibimet, ac posteris peperit, adolescẽte magis infame, nihil eodem sene ornatius, aut speciosius illo seculo nostra ciuitas habuit. ibidem.

De L. Sylla.

Lucius verò Sylla vsque ad quæsturæ suæ comitia vitam libidine, vino, ludicræ artis amore, perinquinatam perduxit. Quapropter C. Marium Consulem molestè tulisse traditur, quòd sibi asperrimum in Africa bellum gerenti, tam delicatus Quæstor sorte obuenisset: eiusdem virtus quasi perruptis & disiectis nequitiæ, qua obsidebatur, claustris, catenas Iugurthæ manibus iniecit: Mithridatem compescuit: socialis belli luctus repressit: Cinnæ dominationem fregit: eúmque in Africa, qui se Quæstorem fastidierat, ipsam illam prouinciam proscriptum, & exulem petere coëgit: quæ tam diuersa, támque inter se contraria, si quis animum suum attentiore comparatione expendere velit, duos in vno homine Syllas fuisse crediderit: turpem adolescentulum, & virum dicerem fortem, nisi ipse se felicem appellari maluisset. ibidem.

De Tito Aufidio.

Titus Aufidius cùm Asiatici publicani exiguã admodũ

Universidad de Sevilla Biblioteca

particulam habuisset, postea totam Asiam Proconsulari imperio obtinuit, nec indignati sunt socij eius parere fascibus, quem aliena tribunalia adulantem viderat: gessit se etiam integerrimè, ac splendidissimè, miroque id modo demonstrauit, pristinum quæstum suæ fortunæ, præsens verò dignitatis incrementum moribus suis imputari debere. ibid.

De Marco & Barbula.

Marcus Prætor cùm in Bruti partibus præturam gessisset, hostis iudicatus est, & postea acie in Philippicis campis superato Bruto, vt plerique alij captus fuit: astu verò cùm seruũ se fingeret, à Barbula coëmptus est: qui cùm in eo & ingenium & prudentiam animaduerteret esse, aliis eum seruis, ac simul domui gubernandæ præfecit. Sed cùm in dies reipsa videret modestiæ atque veræ vrbanitatis plus in eo, quàm communiter in seruis soleat esse, secreto compellatum efficacibus verbis vrgere cœpit, vt si in rebellium numero esset, illud ne occultaret. quoniã eius liberandi rationem initurus esset. sed Marcus risu discutere rẽ quærebat, negans ex eo numero se, sed vere seruũ esse, eos quoque, quibus antè seruierat, tempúsque, quo venundatus fuerat, ceu rem veram appositè narrabat. Verùm Barbula vt certiora hac de re argumenta eliceret, dixit velle se Marcum Romam secum ducere, ratus si inter rebelles haberetur, præ timore Romam ire recusaturum: Marcus autem nihilominus q̃ Barbula ingeniosus, affirmat libenter sequuturum. Profectus igitur ad vrbem cum Barbula, dum ad Consulis valuas dominum moratur, à ciue Romano agnitus est, qui Barbulæ ceu amico eum detexit. Is nulla mentione de hoc cum Marco facta, statim ad Agrippam profectus, per eum ab Augusto impetrat, vt Marco ignosceretur, atque eum postea ad Augustũ deduxit, à quo in amicorum numero acceptus est. Non multò post Barbula inter Antonij amicos post Actiacã pugnam captus est, atque incognitus à Marco emptus: sed cùm Marcus paulò post Barbulam esse cognouisset, ab Augusto salutem eius impetrauit. Horum casibus fortuna satis varietatem suam expressisse videtur, cùm eum, qui Prætor fuerat, seruum fecit: nec multò post egit, vt dominum, cui Prætor seruierat Marcus, seruum haberet. Bapt. Fulg. lib. 6.

De Proscripto Appio.

Cùm Appius proscriptũ se à Triumuiris nosset, opes, quas habebat, seruis suis diuisit, & cum eis nauem conscendit, vt in Siciliam traijceret: orta ingenti tempestate serui eum in lembum demiserunt, monentes, illic à tempestate tutiorem fore, & ipsi cum naui atque opibus abiere: sed ita pro iustitia agente Deo, qui tutius se in naui futuros duxerunt, paulo post cum naui demersi sunt: Appius autem, quem serui in lembum demiserant, vt mergeretur, in Siciliam ventorum vi incolumis perlatus est. ibid.

De Vitellio Imperatore.

Varij quoque ac graues Auli Vitellij casus fuerunt. A. Galba enim in Germaniam ad regendos exercitus missus, in viaticum pecuniarũ rationem nullam habebat, nisi vxoris margaritas vendidisset: quæ postea cum socru in parte alienarum ædium habitauit, ipse quoq; dum ab vrbe discederet, vix explicare à creditoribus se potuit: is tamen ex tam humili fortuna ab exercitu in Germanica creatus Imperator, Romã venit Augusti nomine salutatus: cæterum fortuna, quæ ijs iniuriis tam feliciter arridere visa est, breui tamen tantam felicitatem in miseriã luctúmque conuertit: captum ac vinctum Vespasiani militares duces per vrbem traxerunt, apposito gladij mucrone sub mentũ, ne vultum obtegere ab iniuria posset, cùm cœno sordibúsq; eum pueri incesserent, cæsus per hũc modũ, & ad scalas Gemonias coniectus, ad quas aliorum cor-

pora proijciebantur, quibus sepeliendi ius negatũ erat. Tam variam vim fortunæ habuit, vt qui tam paruo tempore vtriusque fortunæ casus tam varie, tam grauiter tulerint, perpaucos fuisse arbitrer. ibidem.

De Maximiano Herculeio

Quàm varia quoque Maximiani Herculei fortuna fuit? Is Diocletiani opera iussuque è priuato homine Augustus factus, non multò pòst Diocletiani suasu imperium deposuit, atque ad pristinum vitæ gradum reuersus est: cùm autem breui postea huius facti eum pœnituisset, Diocletiani filium Maxentiũ spoliare regno (quòd eum Maxentius exercitui præfecerat) conatus, vix militum effugere impetum potuit: in Gallia quoque, quò se ad Constantinum generum cõtulerat, cùm deprehensus esset pares tendisse insidias, in fuga comprehensus, miserè suspendio vitam finiuit. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Romano Cõstantinopol. Imperatore.

Romanus II. qui Diogenes dictus fuit, Constantinopolitanus Imper. in bello à Belfech Turca Persarum captus, deinde auro redemptus, cùm se tutiore putauit esse loco, contemptus à suis, ceu iners, & excors luminibus simul atque imperio priuatus est. Bap. Fulg. lib. 6

De Iustiniano II. Imperatore.

Iam decimum annum Iustinianus imperabat, cùm eo ipse tempore, quo se in imperio firmiorem arbitrabatur, à Leontino patritio captus, & imperiũ & nasum simul amisit, atque in exilium Chersonesum, quæ in Ponto est, missus fuit. Leontinus tertio anno post malè adeptum imperium pari sorte, qua Iustinianus, & naso & imperio priuatus, à Tiberio Absmiaro, quem Punici exercitus per seditionem ad occupandum imperium iuuerant, in carcere, ita vt erat, asseruatus est, deiecto Leontino Tiberius imperium occupauit. ibid.

De Audronico Imperatore.

Pulsus in exilium Andronicus à patruele fratre Emanuele II. Imperatore, ortis seditionibus, ad Turcas profugit: cæterùm postea reuocatus, ab eodem prouinciæ Ponticę præfectus est. Interim cùm Emanuele defuncto, filium impuberem, qui successerat, Alexius patruus regeret, auaritia atque crudelitate insignis, vt eius, administratione, quæ omnibus inuisa erat, remedium daretur, Andronicus à populo vocatus est, qui Cõstantinopolim profectus, & pupillum & patruum occidit cum ipsorum stirpe, ita vt vnus Isacius eã vim effugeret. Per hũc modum Andronicus imperio potitus, dum acerbè Isacium insequitur, quia fuga parare sibi salutẽ desperaret, coëgit vt impar præter omnem rationem arma tẽtaret. Quamobrẽ id quod omnium minimè Andronicus verebatur, & propterea paratos milites in vrbe nullos habebat, nocte Isacius Constantinopolim ingressus, populum ad arma exciuit, obsessóque in palatio Blaquerna Andronico, paruo tempore locum expugnauit, atque Andronico manus iniecit, quem primùm effosso oculo, nudum in asino auersum constituit, asini cauda pro imperatorio sceptro data, cùm caput illi reste tanquàm diademate cinxisset: deductus autẽ per totam vrbem Andronicus, cùm in hoc statu esset, tandem furcis suspensus fœdissimè vitam amisit. ibidem.

De Adaleda Augusta.

Varia nimis Adaledæ fortuna fuit. Nam mortuo eius viro Lothario Italiæ Rege, à Berengario, qui imperium occupauerat, in carcere habita est in Gardensi arce, in qua aliquot tempus tam angustè vixit, vt rerum omnium inopia premeretur. Inde cùm clàm Veronam profugisset in Leardi Episcopi domum, atque ab eo in villa sua occultata, eius opera Ottoni primo nupsit, recupera-

Universidad de Deusto Biblioteca

tàque libertate, simul cum imperio, cùm ex viro Ottonem II. genuisset, ab eo Berengarios euerti, & cæteris sui graues pœnas sumi vidit. ibid.

De Ottone II. Imperatore.

Matris exemplum filius sequetur Otto II. qui ex Germania in Italiam profectus, cùm in Calabria aduersus Græcos bellum gereret, ab Alexio, atque Constantino Imperatoribus prælio superatus est: fugiens autem cùm in paruam nauem conscendisset, incognitus, à piratis est captus, atque in Siciliam perductus: illic pretio redemptus, cùm Romam rediisset, intra paucos dies captos ipsos piratas, qui eum ceperant, omnes suspendit. ibidem.

De Radagaso Gotthorum Rege.

Radagasus Gotthorum Rex cùm in Italiam aduersus Honorium cum ducentis equitum millibus venisset, à Stilicone Cõsule inter Fesulanos montes obsessus, cùm eius fugeret exercitus, ipse in Stiliconis potestatem venit, à quo catenis vinctus, & per omnem Italiam deductus, turpiter interijt, omnibus admiratione captis, cùm eum captiuum atque vinctum cernerent, ad cuius famam paulò antè omnes præ formidine cõtremuerant. ibidem.

De Frãcisco Iuniore Carrariensi Patauino Principe.

Franciscus Carrariensis Iunior à Galeatio Vicecomite Patauino principatu deiectus, patre eius in vinculis posito, cùm in Germania aliena ope victum quæreret, mutatis rebus, vt sæpe, Venetorum, Florentinorumque armis adiutus, Patauinum Principatũ recepit, atque etiam Veronam addidit: qua felicitate non contentus, cùm pro more humani ingenij maiora etiam parare cuperet, molitus Vincentiam Venetis adimere, prælio superatus & captus, vniuersa quæ possidebat, amisit, deductúsque Venetias cùm duobus

ex liberis, quos habebat, vnà cum eis miserãdum in modum strangulatus est, Salutis anno 406. supra mille. ibidem.

De Petro Hungariæ Rege.

Vt Italicis exemplis egrediamur, minuendi fastidij gratia, ad Pannonios redibimus: illic Petrus, qui Rex erat, cùm à proceribus pulsus esset, Aba in regno sufficitur: Petrus Henrici Imperatoris ope adiutus Aba interempto, regnum recuperauit. Sed quo tempore firmiorem se in regno esse putauit, noua eũ grauíque calamitate fortuna circumuenit: nam à principibus Hungaricis clàm vocato Andrea, qui Stephani Regis stirpe ortus, ab Hungaria pulsus, per orbem terrarum inops errabat, captus atque oculis priuatus, in carcere haud diu post miserandum in modum perijt. Sed ne Andreæ quidem felix hæc, vt videbatur, fortuna perpetuam se præbuit: nam cùm filium admodum puerum diademate imposito regni successorem, imò præsentem possessorem facerevellet, Bela eius frater, qui mortuo Andrea ad regnum aspirabat, adeò grauiter rem tulit, vt illato bello, eum prælio vicerit, atque interemerit. Itaque partũ post exilium Pãnonium regnũ, ei acerbæ mortis causa extitit, satísque apertè ostensum est, in occulto manere ea, quæ meliora sunt, persæpéque ab hominibus mala sua optari. ibidem.

De Cazimiro Poloniæ Rege.

Cazimirus alio nomine Carolus appellatus, adhuc puer post mortem Mesti Regis Poloniæ patris sui à Regno in exilium pulsus, in abbatia Cluniaca monachali habitu sumpto, septimo exilij sui anno, cùm minimè amplius se in regnum putaret reuersurũ, tunc apertam in regnum viam inuenit. Nam cùm sine duce regnum discordiis esset agitatum, & propterea dilaniaretur vicinorũ præda: cùm tantis malis vnius ipsius reditu occurri posse videretur, à populis in regnum voca-

tus fuit, atque à Benedicto IX. Pontifice ei concessum, vt monachali habitu deposito, regnũ suscipere atque vxorem ducere posset: quod cùm egisset, liberos procreauit, & regni successores reliquit. ibid.

De Ferdinando Castulonensi Rege.

Ferdinandus Castulonensis, item Siciliæ atque Aragoniæ Rex, qui Beticæ partem (nunc Granatam nuncupatam) octingentos annos à Mauris possessam perdomuit, cùm Barchinonem velut in speciem triumphi venisset, felicissimus ab omnibus habebatur: & tamen illic variãte res humanas Fortuna, parum abfuit, quin vitam regnúmque simul amitteret. quidam enim Cannemas nomine Cathelanus, qui iamdiu atrabili laborare videbatur, gladio eum confodere conatus, collum ingenti vulnere petijt. neque eius facti per omne tormẽtorum genus alia elici causa potuit, nisi quòd interẽpto Ferdinãdo, Regem se futurum sperabat. id quod sibi sæpius ab Angelo nũtiatum dicebat. adeò paruo momento regna consistunt, vt sæpe in vesani hominis manu ea posuisse Fortuna videatur. Quod idcirco contigit, vt Fortunæ, aut potius Dei, cui hoc Fortunæ nomen seruit, vires immensæ cognoscantur esse, & nihil humana superbia vanius, atque incertius haberi. ibidem.

De Ioanne XIII. Pont.

Ad sacerdotalem quoque ordinem conuertere orationem oportet, vt eorum status quem multi à varietate tutum arbitrantur, intelligatur non minus quàm cæteras humanas res in fortunæ arbitrio esse. experimento ita esse Ioãnes XIII. Pontifex docuit, qui populo Rom. ad arma per seditionem compulso, in vinculis habitus, miserrimè diẽ obijt, vt quidam tradidere, fame confectus. ibidem.

De Ioanne XXIII. Pontifice.

Magis varia quidem fuit: sed non tam sæuum exitum Ioannis XXIII. Fortuna habuit, qui post quartum adepti pontificatus annum, cùm esset in Cõstantiensi Concilio damnationem suam confirmare, deinde pontificatum deponere coactus, cùm fugã tentaret, insula Rheni, cui sancti Marci nomen est, in carcere asseruatus est, atque ab eo loco ad Bauariæ ducem transmissus in vrbem Heidelbergam, illinc Manheitam castrum deportatus, triennium per ignominiam in rerum omnium necessitate peregit. coẽmpta demum, ab occultis amicis adiutus, magno auri pondere fuga, Florentiam petiit, vbi Martinus V. erat, eius in pontificatu successor: illic non sine omnium admiratione ac simul commiseratione, quia in fugitiui hominis forma lachrymabundus humi genu nixus supplicare aliis cernebatur, cui principes, Reges, Imperatórque ipse non modò paruerant, verum etiam pedes venerabundi, consueuerãt deosculari, qui præterea multos ad cardinalatus honorẽ euexerat, qui tunc in eo consilio põtifici assidebant, pontificatu priuatus ingentis muneris loco cardinalatum accepit. ibidem.

De Ioanne Vitellio Cardinale.

Ioannes Vitellius paruo loco Corneti ciuitate Hethruscæ ortus, à prima ætate literis operam dedit: postea mutatis animi studiis, libros armis atque equis mutauit, stipendia cum Tartalia (militaris insignis dux fuit) prima fecit: eius quoque precibus à Martino V. pontifice Protonotariatus honorem adeptus est: deinde ab Eugenio IIII. in Cardinaliũ numerum receptus, Ecclesiastico equitatui præerat: atque per hanc potentiam aut vi, aut alia arte Eugenio successurus putabatur, aut fortasse viuẽtem etiam pontificatu deiecturus: sed Fortuna, que ad eam diem vehementer arriserat ei, quem in tam sublimẽ locum extulerat, terga dare cœpit. Nam cùm armatus ecclesiasticũ equitatum trãs amnem Tyberim duceret,

Per pontem, qui arci sancti Angeli adhæret, repente tensis catenis ad pontis portam, ita vt vltrà, progredi prohiberetur, cerneutibus suis vulneratus, ac captus, intra arcē tractus est, eáque nocte, vt emori posset, adiutus: tum nudus in publicum elatus est, vt per ludibrium à populo Romano spectaretur. Exēplum profectò memorabile, ne nimium se homines lætæ Fortunæ credant: sed ea, tāquàm quæ mutari in horas possit, fruātur. ibidem.

De Aluaro Luna.

Aluarus Luna Aragonius, quanquàm nobili ortus genere: tamen quia minimè legitimus erat, in magna rerum inopia versabatur: cæterum vir erat magna industria, maiorique animo præditus. His virtutibus apud Ioannem Castulonensem Regem in eam gratiam conscendit, vt non contētus Rex etiam eum ad maius sancti Iacobi magisterium atque ad Castulonēsem Connestabulatum euexisse, ab eo & se & regnum regi paterctur: vnus pecuniam publicam, vnus arma tractabat, vni etiam secreta omnia credebantur. Propter hæc tantum sibi contraxit inuidiæ, vt eum patrueles Regij, Regina ipsa, filius quoque Regius graui odio insectarentur. Itaque ob eam rem per factionem diuisum regnum grauiter laborabat: sed tandem mutata fortuna, Rex Ioannes, qui ad eam diē immobilis erga Aluarum manserat, expugnari se delatorum scelere permisit, tulitque, vt Aluarus comprehenderetur, atque publicè in valle Olithana bonis publicatis, interficeretur, ad tantā miseriam ex ingenti felicitate deiectus. ibidem.

DE MORVM ET fortunæ mutatione, Græcorum exempla.

De Diogene Cynico Philosopho.

Magna fuit morū mutatio, quā Diogenes Cynicus Philosophus fecit, qui Sinope ortus, vrbe Pōtica, adulterinæ monetæ īfamia notat' à Patria pulsus fuit. Is postea Athenis data Philosophiæ opera, in tāto opes habuit odio, vt nudus degeret, atque nautico dolio pro domo vsus, à nullo vel pecuniam vel aliam rem acciperet. Bapt. Fulg. lib. 6.

De Alcibiade.

Alcibiades Atheniensis in illud sibi & patriæ intempestiuum exilium compulsus, Lacedæmonem se contulit, vbi suprà quàm dici possit, celeriter ad Laconicum morem transijt, vt Spartiatarū vnus, non Atticorum crederetur. Sed in hoc minus mirū: fuit enim (vt fertur) vario ingenio, nec ad rem vnam tantùm idoneo, in quo Chamæleontis natura imitatrix omniū propè colorum, exprimeretur. Sab. lib. 8.

De Dionysio Iuniore.

Sæuus & immanis in regno Iunior Dionysius, multúmque paternæ crudelitatis referens: regio tamen solio deiectus, Corinthúmque ablegatus, omnem prioris vitæ fastum adeò exuit, ciuilem & remissiorem vitam complexus, vt tam subita in homine mutatio non immeritò esset hominibus suspecta, tanquā ad tempus simulata. Sed verissimū illud, quod est in ore multorum, omnium malorum nullum esse efficacius remedium obliuione. ibidem.

De Cimone Atheniensi.

In Cimone puero nihil simulati aut ficti fuit: stultus & insolens à primis annis fuisse traditur: creuit ætas, infamiāq; pueritiæ in laudem vertit, Atheniensiúmque longè princeps liberalitate, omnibúsque ciuilibus disciplinis factus, adeò vt in ea parte vitæ sit Themistocli, qui Græciam seruauit, omnium iudicio prælatus. ibidem.

De Alexandri Magni successoribus.

Antigonus, Lysimachus, Ptolemæus, & cæteri Alexandri successores, quandiu nomine &

insignibus regijs abstinuere, benignè, clementèrque imperium exercuisse dicuntur: cæterùm diademate & Regis appellatione recepta, vis pro iustitia placere cœpta est, pro æquitate libido, fastus & superbia pro clementia, & humanitate: postremò prioris fortunæ obliti, ausi sunt histriones imitari, qui vitam & mores cum vestibus vno die sæpius mutant. ibid.

De Demetrio & Antonio Triumuiro.

Demetrium & Antonium Triumuirum nemo abstinentia, labore, fortitudine, & solertia vicit in re bellica: in otio verò nemo luxuria, temulentia, et libidine æquauit. ibidem.

De Abarthomio Sidoniæ Rege.

Abarthomius cùm irrigare hortos Alexandro magno cõsueuisset, ab eo Sidoniæ Rex cõstitutus est, vt facto Alexandri magnitudo testata maneret. Bapt. Ful. lib. 6.

De Seleuco Syriæ atque Asiæ Rege.

Seleucus, qui inter Alexandri successores annumeratus est, Asia Syriáque, ac multis alijs rebus potitus, cum obequitanti Alexandro pedibus officium præstare consueuisset, virtute in tam excellentem fortunam cõscendit. ibidem.

De Hermia eunucho.

Hermia eunuchus Trapezũtij ciuis seruus Athenas profectus est, vt studijs operam daret. Audito igitur aliquot tẽpus Platone, doctus euasit. Itaque Asiam, quæ patria erat, cum domino reuersus, virtute sua patriæ vrbis imperium sibi peperit. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Cæsare Augusto & Caligula.

EST Roma Augustũ multò mitiorem experta ciuilibus bellis defunctum, quàm ab initio habuisset: Caligulam ex humili sæuum postea & truculẽtum, vt non infacetè sit de eo dictum, nullum vnquam hominẽ humilius seruiuisse, crudeliùs imperasse neminem. Sabel. libro 8.

De Fabio Gurgite.

Fabius in vrbe Roma nobilissimo genere ortus, à prima ætate, quà multis infecerat notis, absumptis perditè paternis opibus, Gurgitis cognomen sibi cõparauit. Cæterùm postea relictis primæ ætatis libidinibus, in eam temperantiam peruenit, vt dignus haberetur, cui populus Romanus morum cẽsuram crederet. Senex enim insigne virtutis ac modestiæ exemplum se patriæ præbuit, cui iuuenis in venere guláque nimius atram nubem obtenderat. Bapt. Fulg. lib. 6.

De Tiberio Cæsare.

Longè magis varia fuit Tiberij Cæsaris vita, atque fortuna, qui ab Augusto socero, atque eodem vitrico non sine vitæ periculo Rhodum relegatus, haud multò post ad imperium conscendit, humanum se ab initio atque ciuilis bonitatis studiosum ostendens, omnem rerũ administrationem consulibus permisit, ad id patiẽtiæ perductus, vt palàm in Senatu etiam perexiguæ existimationis Senatores ei contradicerent. Cæterũ cùm ætate mutatis etiam moribus, adeò crudelis, superbus, atque immanis fuit, vt mortuũ populus Romanus exclamauerit, in Tyberim proijciendũ esse. hic igitur & fortunã & mores tam varios habuit, vt ab extremo nulla mediocritatis ratione seruata, ad aliud extremũ transilierit. ibidem.

De Nerone Imperatore.

Quis Nerone in morum mutatione magis varius fuit? qui à prima ætate matris obseruãtissimus, vt quà bonitate esset, clarius appareret, perlatis ad eũ literis, quibus damnati hominis supplicium mandabatur, vt eis

è more subscriberet, dixit, Quã vellem nescire literas, ne cuiusquam mortem mandasse viderer. Vectigalia, aliáque grauia populis imposita onera diminuit, Senatoribus fortunæ casibus nulla sua culpa ad inopiam vergentibus, de publico salaria constituit. Sed posteaquam ætas inualuit, in matrẽ impius, mortem eius procurauit, Senatores claróque alios permultos viros leuissimis de rebus interemit: nec eo contentus, tormentis interesse voluit, multas in se tanquàm factæ essent, coniurationes finxit, vt sæuiendi materiã haberet. Cùm autem in prouincias procuratores mitteret, præter generalem normam augendorum vectigalium, monebat seorsum, scire ipsos, quæ ipsius necessitas esset: tandémque in diuites omnes, ceu in hostes inuectus est, virtutibus, quas adolescens præ se ferebat, in contraria longéque maiora vitia conuersis, vt non homo, sed infandum monstrum inter homines emersisse videretur. ibidem.

De M. Ottone Siluio Imperatore.

Illi, de quibus dictũ est, semel tantũ mores mutarunt, at Otto, de quo sumus dicturi sæpius. nam à prima ætate impudicitiæ nota laborauit, & præterea iniustus habebatur. A Nerone in Lusitaniam missus, eam singulari iustitiæ laude, vt omnibus mirum videretur, rexit. factus postea Imperator, ad primas libidines conuersus est: denique moriens, adeò ab eo, qui antè videbatur, diuersum se ostendit, vt animi fortitudine Catonem Brutúmque superaret, breui vitæ suæ cursu sæpius morum mutatione facta ibidem.

De Domitiano Imperatore.

Domitianus primis Imperij initijs non abhorrere modò videbatur, vt humanus spargeretur sanguis, verùm etiã ea loca tanquam molesta deuitabat, in quibus cæsis ad vescendum animalibus, eorum cruor manabat, relictáque hæreditates repudiabat: sed vt alij, de quibus diximus, ex bono in pessimum conuersus, leuissimis de rebus nobilissimos viros permultos occidit, bonáque eorum publicauit: mortuorum bona inuasit, qui vel vno teste probarentur, dixisse, velle bonorum suorum hæredem principem esse. prorsus igitur à bonitate, atque abstinentia, quã primis initijs ostenderat, ad ingentem immanitatem atque rapacitatem se trãstulit. ibidem.

De Antonino Caracalla Imperatore.

Huic persimilis Antonius Caracalla fuit, qui in prima iuuenta, si quem ad supplicium deduci vidisset, oculos in aliam partem manantibus lachrymis auertebat. Is postea mortuo patre, immanis factus sine causa Antoninum Getam fratrem, item Senatores, permultósque alios crudeliter interemit. ibidem.

De Maximino.

Maximinus Micæa Gotthi & Ababæ Alanæ filius in prima ætate sub parentibus pecora pauit, arma postea sequutus, à Romano exercitu ad Augustale culmen euectus est. ibidem.

De Martiano Tyranno.

Ad hunc honorem à seditiosis exercitibus in Germania aduersus Galienum promotus est Martianus, quanquam triduũ tantùm post creationem vixerit. Is in prima iuuenta ferrarius faber fuit, quod ei contumeliam à percussore, qui eum interemit, obiectum est, cùm diceret, Martianum ipsum ensem excudisse, quo occidebatur. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Augustino Aurelio Episcopo Hipponensi.

AVrelius Augustinus Manichææ hæresis sectator ca

catholicā fidem acerbè impugnauit, modica ortus fortuna, sed ingenio tāto, vt ei nec antè, nec postea vllus videatur posse præferri. Is posteaq̄ Ambrosij opera ad catholicæ fidei gremiū se conuertit, mutatis moribus, Manichæorum, cæterorúmque hæreticorum dogmata impugnauit, infregitque, ac tantùm in Christiana eruditione profecit, vt è quatuor (quorum scripta ad alios in catholica fide erudiendos recepta sunt) vnus, nec is quidē nisi clarissimus, habeatur, nulla re minus, quàm Hipponensi episcopatu notus. Bapt. Fulg. lib. 6.

De Mutio latrone.

Mutius latro Ægyptius alienis opibus inhians, vias obsidebat, atque in eos, qui iter facerent, grassabatur: postea autem quàm cor eius de cælo tactum fuit, & is viuendi studia mutauit, ad eremum profectus, nō modò per virtutem plurimùm profecit, verùm Sancti quoque nomen consequutus est. ibidem.

De Dauide latrone Ægyptio & Moyse Æthiope.

Dauid quoque Ægyptius æquè vt Mutius latrocinium exercuit, atque insuper latronum dux fuit, in Thebaida superiore apud Hermopolim. hic immutata, similiter vita monachalē ordinem professus, ad singularē morū sanctitatē peruenit. Idem quoq; Moyses Æthiops egit, cùm monasticam vitam latrocinio permutauit. ibidem.

De Ptolemæo & Herone Eremitis.

Ptolemæus Ægyptius quindecim annos in eremo commoratus est, ac vitam solo pane ac rore ducens, orando tempora sua transigebat: sed postea ad priorem scelestam vitam reuersus, apostatauit. Hero quoq; Alexandrinus cùm magnam temporis partem austerè atque cum virtute egisset, religione cū virtute relicta, ad secularem vitam, vt inter scorta viueret, conuersus est. cæterùm illius etiam vitæ pœnitentia ductus,

ad eremū denuò se recepit. ibid.

De Gulielmo Guienæ Duce, & Comite Pictonēsi.

Gulielmus Dux (ita enim in Aquitanis vrbs nunc dicitur) cùm in prima ætate sæuus esset, & multipliciter catholicā impugnaret Ecclesiam, tandem vitam moresq; mutauit. Nam cùm seculo renuntiasset, eremiticam egit vitam, thoracémque, quem olim aduersus Ecclesiam induerat, super nudo indutus macerandi corporis apud se instrumentum esse voluit: congregationem quoque religiosorum hominum, salutis anno centesimo ac quinquagesimo quinto supra mille, instituit, qui ab eo Gulielmitæ appellati sunt. ibid.

De Maria Ægyptia.

Maria mulier Ægyptia primam ætatem vulgato corpore, vt fœdissimum scortum egit, vino etiam plus æquo vsa: sed posteaquam petitis Hierosolymis, anteactæ vitæ eam pœnituit, & alios mores induit: profecta trās amnem Iordanem in deserta Syriæ loca, ætate sua singulare virtutis, ac præsertim abstinentiæ atq; honestatis exemplum extitit: libidinū, quibus adolescentiam maculauerat, post mutationem hostis tā sæua, quàm antè per petulantiā ad alios in Venerem rapiendos pronam se præbuerat. ibid.

De Pelagia Mima Antiochena.

Huic similis Antiochena Mima non modò corpus vulgauerat, verum Antiochiæ quoque scenæ ac theatro operam suam locabat: hæc postea mutato viuendi genere, cùm in deserta loca se contulisset, libidines deliciásq; in vitæ rigiditatem, solidámque virtutem commutauit: ita vt abstinentia, aliísque virtutibus permultos Monachos, atque Eremitas superaret, editísque, & dum vixit, & postquā mortem obijt, miraculis, in Sanctarum numerum referri meruit. ibid.

De Narsete Eunucho.

Narsetes Eunuchus à Iustiniano Imperatore ex muliebri

seruitio sumptus, secretis ac regiæ gazæ præfectus: deinde cùm exarchatus honore in Italiam missus, magna industria multisque præclare gestis Gotthicam barbariem penitùs Italia depulit, quam septendecim annos tanta prudentia, iustitiáque rexit, vt cùm à Sophia Augusta Valerij Iustini II. (qui Iustiniano successerat) coniuge per inuidiam reuocatus esset, Italia ab Augusta rebellare potiùs decreuerat, quam illi parendo, perpeti, vt Narsetes exarchatu cederet. Ioannis autem III. Pontificis operâ postea Iustino recõciliatus, Consul creatus fuit, per id tempus & Romæ & Venetijs de manubiis atque hostium præda permulta templa condidit. Itaque qui eius victorias cõsideraverit, ac simul tempus, quo diu Italiam ad consulares fasces, atque Italicum exarchatum ex tam infima fortuna naturáque euectus rexit, longè maiori ad ea gerenda ætate, quàm illa, qua vixit, opus esse dicet, fortasséque si Scipione superior non videbitur, illi eũ æquando nõ errauerit. ibid.

De Eurithrio eunucho.

Idem Eurithrio eunucho contigit, qui à Leone Imperatore exarchus in Italiam missus, vt semuir, qui paulò antè culmæ seruiuerat, tot tantósque regeret populos. ibidem.

De L. Val. Iustino.

Ex humili fortuna post Athanasium ad Imperium prosiliyt Iustinus primus, nepotémque Iustinianũ reliquit. Thrax enim ignobili loco ortus, bubulcus ob inopiam fuit, inde Bubulcus factus, postremò operam suã fabro lignario locauit. ibid.

De Mauritio & Theodosio III. Imperatoribus.

Mauritius, qui ab initio notarius fuit, deinde vigilum præfecturam sub Iustino II. gessit, in Oriente Imperator creatus, Tiberio socero successit, viginti-que annos imperium rexit. A simili officio ad imperium Theodosius III. in Oriente conscendit, publicanorum enim scriba fuit. ibidem.

De Basilio Imperatore.

Basilius, qui olim Abbati minister fuerat, à Michaële Cõstantinopolitano imperatore in eam fortunæ magnitudinem euectus est, vt post Imperatorem primus haberetur. Is demum domino per scelus occiso, ad imperium in eius ascendit locum, nõ minus infamiæ propter proditionem, quam honoris propter Augustale nomen assequutus. In eo enim verum est inuẽtum vetus adagium, quo ferunt, homines ab infimo ad summum gradum raro, nisi per magnam virtutem, aut grande nefas cõscendere. ibid.

De Ioanne Balua Cardinale.

Ioannes Balua Cardinalis in Pictonibus caligarij Sartoris filius, astu felicitatéque simul in eam fortunam cum Ludouico Gallorum Rege peruenit, vt Regem vnus pro arbitrio regeret, & per eum se ad cardinalatũ euexit. ibid.

De Ludouico Patauino Patriarcha.

Simili fortuna Ludouicus Patauinus vsus est, qui chirurgus erat, cùm ab Eugenio IIII. in Cardinalium numerum receptus fuit, & Aquileiensis patriarchatus honores, factus insignis opũ magnitudine, & apparatus magnificentia excedere, nedum multos æquare Reges putatus est. ibid.

De Iacheo Corde Bituricensi.

Iacheus Cordis Bituricensis inops minora mercimonia per propinquam patriæ regionem venditabat, idémque ob rerum tenuitatem mercibus suis non institoris modò nomen, sed iumenti quoque officium præstabat. Verùm is postea apud Carolum VII. in eam peruenit gratiam, vt principes ipsos opum magnitudine superaret: & quod maius putari debet, per eum Carolus regnum totũ administraret. ibidem.

DE FELICITATE, Græcorum exempla.

De Alexandro.

MAgna Alexandri felicitas, imò omniũ maxima in re bellica, qui penè puer in domanda Græcia adèo Philippum patrem iuuit, vt Macedonum primus in sacram, Thebanorum opibus fractis, omnem Græciam ad imperium retraxit: Asiam transgressus, triplici prælio Persarum regnũ, quod tamen maximum fuit, euertit, ac penè plura perpetuo victoriæ cursu subegit regna, quàm cæteri duces, vrbes: & quod omnium prosperrimũ fuit, trium propè annorum spatio ab Europæ limite ad Gangem Macedonica promouit arma. Sab.lib.6.

De Gyge.

Cùm enim Gyges regno Lydiæ armis, & diuitiis abundantissimo inflatus animo, Apollinem Pythium sciscitatum venisset, an aliquis mortalium se esset felicior, Deus ex abdito Sacrarij specu voce missa Aglaũ Psophidium ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus: sed ætate iam senior terminos agelli sui nunquam excesserat, parauuli ruris fructibus, ac voluptatibus contentus. Verùm profecto beatæ vitæ finem Apollo non adumbratum Oraculi sagacitate complexus est. Quocirca insolenter fulgore fortunæ suæ glorianti respondit, magis se probare securitate ridens tugurium, quàm tristem curis & solicitudinibus aulam: paucásque glebas pauoris expertes, quàm pinguissima Lydiæ arua metu referta: & vnum aut alterum iugum boũm facilis tutelæ, quàm exercitus, & arma, & equitatum voracibus impensis onerosum, & vsus necessarij horreolum nulli nimis appetendum, quam thesauros omnium insidiis, & cupiditatibus expositos. Ita Gyges dum ad stipulatorem vanæ opinionis Deum habere concupiscit, vbinam solida & sincera esset felicitas, didicit. Max.lib.6.

ROMANORVM EXEMPLA

De M.Tullio.

SI linguæ vis & dicendi facultas spectanda est, cui fando vnquam contigit, vt non homo, sed eloquentia loqui crederetur? non hoc Pericli, tametsi fulgurare, & ciere tonitrua sit dictus, non Hyperidi, qui Pericli proximus eloquentia floruit, non demum ipsi Demosthenì, quem dicendi nullus potuit æquare. vnus M. Cicero felicitate quadam adeptus est, vt eius nomen pro eloquẽtia in ora hominum abierit. Idem Catilinam Vrbe expulit, Antonium proscripsit, Agrariam legem abrogauit: & quod omnium felicissimè illi contrgit, Latinum sermonem non auxit solùm, sed longè etiam latéque propagauit. quod multò pulchrius fuit, quàm si Romanum auxisset imperium. Sab.lib.7.

De C.Cæsare.

Summa felicitas contigisset Cæsari Dictatori, nisi ciuilis belli nefas, decus alibi partum ad extremum deturpasset. Nullus Imperatorum sæpius collatis signis dimicauit, nullus prosperius ad centum millibus perduellionum bis vna die cæsis, nullus ferociores vicit gentes, Europam cæde domuit, Africam consilio, Asiam celeritate. ibidem.

De Scipione Affricano.

Scipio Africanus cùm per ætatem adhuc magistratum capere nõ posset, extraordinarium imperiũ adeptus, quatuor Carthaginẽsium duces, & totidem exercitus Hispania expulit: omne Hibericum nomen, quod Punico cesserat imperio, ad Romani nominis obsequium retraxit: mox Africam adeptus, nocte vna bina castra, binósque deleuit exercitus: Siphacem Regem Romani nominis hostem cepit, Carthagini castra admouit, Annibalem ex Italia reuocatum, & ad Zamam ingenti prælio victum, ad eam desperationem compulit, vt qui fax belli, dúxque ab initio fuerat, petendæ pacis suis ciuibus impulsor verius, quàm autor factus. ibidem.

De Q. Metello.

Videamus ergo quot gradibus beneficiorum Q. Metellum à primo originis die ad vltimũ vsque fati tempus nunquam cessante indulgentia, ad summum beatæ vitæ cumulũ perduxerit. Nasci enim in Vrbe terrarum principe voluit, parentes ei nobilissimos dedit, adiecit animi rarissimas dotes, & corporis vires, vt sufficere laboribus posset: vxorem pudicitia & fœcunditate conspicuam cõciliauit. Consulatus decus, imperatoriam potestatem, speciosissimi triumphi prætextã largita est. fecit vt eodem tempore tres filios consulares, vnum etiam censorium, duos triumphales, & quartum prætorium videret: vt tres filias nuptui daret, earúmque sobolem sinu suo exciperet: tot partus, tot incunabula, tot viriles togę, tam multæ nuptiales faces, honorum, imperiorum, omnis denique gratulationis summa abundantia, cùm interim nullũ funus, nullus gemitus, nulla causa tristitiæ Cælũ cõtemplare: vix tamẽ talem statũ reperies: quoniam quidem luctus et dolores Deorum quoque pectoribus à maximis vatibus assignari videmus: hũc autem vitæ actum eius consentaneus finis excepit. Nam Q. Metellum vltimæ senectutis spatio defunctum, lenique genere mortis inter oscula cõplexúsque charissimorum pignorum extinctum, filij & generi humeris suis per vrbem latum rogo imposuerunt. Max. lib. 7.

De Augusto Cæsare.

Augustus Cæsar vnus omniũ felicissimus visus est, quòd diuturnam pacem, vitæ longæuitatem, ac finẽ suauissimum, quódque reliqua superat, moriũ & animi tranquillitatem perpetuã habuerit. Guid Exẽp. li.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Theodorico Gotthorum Rege.

Contigit Theodorico Regi non vulgaris felicitas: fuerunt hi Christiani nominis, etsi Arriana labe infecti. is Italiæ imperio potitus vix tam feliciter est terram ipsam adeptus, quàm pacatè postea annos LX. & amplius possedit. Sab. lib. 7.

De Nicolao Romano Põtifice.

Est etiamnum recens exemplum, quod patrum memoria accidit. Nicolaus Pontifex Maximus Serzanæ in Hetruscis ortus, vnius anni spatio per tres supremos dignitatis gradus, magno fortunæ, sed verius prouidentiæ suffragio, ad pontificatus maximi fastigium euectus est. ibid.

DE INFELICITATE, Græcorum exempla.

De Dionysio.

Dionysius Philippo interroganti, quomodo tãtum regnum à patre acceptum non defendisset, conseruassétque, respondit, Nõ mirum: pater enim cùm cætera mihi reliquisset, fortunam, qua omnia parauerat, et tutatus fuerat relinquere nõ potuit. Ælianus lib. 2.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Seruio Tullo.

Seruius Tullus, cui regnum incidit in ipso vrbis primordio, nulli Deorum tulit acceptum, præterquã fortunæ, quòd ex seruo regnum esset adeptus. Sed cui potius acceptum referre potuit homo in Cimmeriis ortus tenebris? ex seruo seruus natus, diadema tulit. excussit id insigne illi subita fortunæ mutatio solio deiectus, præceps ex Curia agitur, crudeliter interficitur: & quod omnium atrocissimum fuit, filia per iacentis corpus egit currum. Sab. li. 7

De Lucio Metello.

Lucius Metellus, qui Quindecimuir fuit, Magister equitum, bis Consul, Pontifex maximus, primus elephantos in triumpho

duxit, cui decem illa ornamenta affuerunt, quæ felicissimo cui in ciuitate felicissima possunt contingere. fuit enim strenuus bellator, orator optimus, Imperator felicissimus, maximas res suis auspiciis gessit, summis honoribus vsus, insigniter sapiens, Senator ornatissimus, pecuniã honesta ratione quæsiuit ingentem, plures liberos reliquit, clarissimus fuit in clarissima ciuitate. Cæterùm ne fortuna cum vno semper eadem esset, hunc felicitatis cursum subito reflatu damnauit, priuauitque hominem luminibus, ne non his tantùm, quæ in eum indulgenter contulerat, bonis frui nõ posset, sed etiam vt luce illa & splendore, in quo viuebat, priuaretur. ibidem.

De P. Ventidio.

Lusit in P. Ventidio fortuna. lusitque ad derisum vsque mortalium & viæ huius ludibrium Ventidius, his puer ductus in triumpho est, idémque primus Romanorum ducum de Parthis triumphauit: & qui multo fuit à principio, mox inopem iuuentam in caliga egit: dux factus eam gentem bello fregit, quæ vna omnium ad Orientem solem Romanos fregerat conatus. ibidem.

De altero Metello.

Metellus, qui fuit eius Metelli nepos, de quo insignis fuit capitis huius relatio, à Catinio Labeone Tribuno plebis violenter ad supplicium raptus, periisset, haud dubiè, et ignominiosè admodum eo consilio à Tribuno ereptus, vt ex Tarpeia rupe præcipitaretur, nisi filiorum occursu Tribunorum intercessione egrè impetrata, periculo subtractus esset. Cæterùm hic, qui tam atrociter tunc periclitatus est, ex victoria non ignobili Macedonici cognomen tulit, ac vita defunctus, à quatuor filiis est rogo illatus, vno Prætore, tribus Consularibus, duobus triumphalibus, & vno Censorio: sed vix in hoc tantum boni, quantum iniuria illa contumeliæ: quanquam si paria sint, compa-

rentúrque bona malis, nũquam tamen hæc cum illis æquilibriũ facient. ibidem.

De Augusto Principe.

Quàm indulgenter, & in quàm multis sors hæc cũ Augusto principe egerit, popularis illa Romanæ ciuitatis acclamatio indicio est, in noua principũ creatione: vbi in bonum omen sæpe est repetitum, felicior Augusto, Traiano melior: sed in hoc quoque magna censentur fortunæ volumina: nondum viginti natus annos, Consul fuit, Imperator ductauit exercitum, maioris auunculi cædem vltus est ad satietatem, grauissima bella, Mutinense, Pharsalicum, Siculum, Perusinum, Ambracium, Ægyptiacum, & Cantabricum, ex sententia confecit. Ianum tertiò clausit, terrarum orbis Regimen ad se receptum, ad extremũ vitæ pacatissimè rexit: & hæc blandientis fortunæ. Cæterùm hæc eadem tam sæpe est & atrociter aduersis interpolata, vt difficile sit iudicare, an mortalium quisquam fuerit illam volubiliorem expertus. vicit ille ad extremum omnibus bellis, sed sæpe interim exagitatus est. bis maris sæuitia classibus exutus. Italiæ fames vni imputata, inimicorum coniurationes, filiæ, & neptis publicata adulteria, legionum cædes, amicorum suspitiones, infelicitatis argumenta tã multa præter hæc & magna, vt difficile sit iudicare, fuerítne alternatio rerum & inconstantia subscribentis fortunæ, an blandientis, quæ lęua dulcissimos fauos manu fert, dextra absynthium. ibidem.

De populo Romano.

Tot vndique huiusmodi sese ingerunt exempla, vt nisi modus adhibeatur, difficile sit exitum inuenire: sit itaque satis ex domesticis hæc posuisse, quibus contenti esse potuimus, nisi vnum superesset dignissimum relatu, quia sit publicum. Etenim quando vnquam magis variè lusit cæca, & improba Fortuna, quàm secundo Punico bello in rem Ro-

manam? quam ad Ticinium perculit, ad Trebiam fregit, prostrauit ad Trasimenum, ad Cãnas afflixit, iacentem & proculcatam ad Nolam suscitauit, in Hispania erexit, ad Metaurum restituit, ad Zamam victricẽ declarauit. accidit sanè, quòd nullo vnquam bello propiores fuerint periculo, qui demum vicere. ibid.

De Valeriano Imperatore.

Valerianus Imperator Romanus in potestatem Regis Persarum euenticulè decidit: apud quem ignominiosa seruitute cõsentit. Nam ipse senex accliuus humi Regẽ equum ascẽsurum non manu, sed dorso semper attolebat. Quod etiam vitæ reliquum fuit, diebus nostris peregit. Guido Exemplorum lib.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Gregorio VII.

Gregorius VII. qui ita fregit Henricum III. vt brumali tempore nudis pedibus ad se ire coẽgerit, in Adriani molem metu perculsus Romã vidit à Normanis incensam, et Clementem aduersus se Pontificem creatum. Postremò ne in vrbe quidem, vbi dignitatis fastigium fuerat adeptus, cõtigit mori. nullus Romanorum Pontificum maioribus est Fortunæ fluctibus iactatus, nullus suſque déque magis vtranque vicem pertulit, vt prouidentia factum videri possit, quòd ad humanæ vitæ exemplum Fortuna & virtus in vno componerentur. Sab. lib. 7.

De Sarra Columnio.

Erat Sarra Columnius facilè Princeps Romanæ ciuitatis, autoritate, opibus, sobolis præstantia, quippe cui duo erant filij in supremo Antistitum ordine collocati, gestabant punicem galerum, quod vix duobus aliis datum facilè reperias: & cùm is ita opibus & dignitate floreret, subito Fortunæ reflatu, verius quàm Bonifacij

facij insectatione (fuit is Romanorum Pontifex huius nominis octauus) repente afflictus, filios dignitate priuatos, & in ordinem redactos vidit, castella circa vrbem suæ ditionis direpta, & incensa. Ipse hostis iudicatus & à prædonibus captus, dissimulata persona seruitutem maluit seruire, quàm fateri quis esset. Reuisit eum Fortuna, ac Massiliæ agnitus, redemptúsque à piratis, cum modica manu in Italiã reuersus Pontificem incautum opprimit, in vincula conijcit, cõiectum luctu & pedore carceris confecit, Princeps loco recipitur, restituũtur filij, opes ampliantur, maiorẽne Fortunæ ludibrio, ab obsequio, ne ipse quidem expedire potuerit, qui per hæc exercitus est. ibidem.

De Ludouico Sfortia.

Vno victus prælio Ludouicus Sfortia florentissimo excidit principatu: sed vix tam celeriter desperatione cessit, quanta paucis inde mensibus virtute & indole Mediolanũ & circuniectas vrbes recepit, exercitum instaurauit, Gallos perculit: erátque iam victor, cùm recentior vis multò priore infestior, in hostium potestatem deiecit, subita militum defectione proditum, vt in tam breui successu ampliatus à Fortuna dici possit, non adiutus. ibidem.

DE IMMODERATO sumptu & luxu, Græcorum exempla.

De Lydis.

Primaquædã luxuriæ elemẽta à Lydis profecta sunt, qui non contenti natiuo lanæ candore, eam primi omnium infecerunt: tanquam si id vtilius fuerit, aut magis necessarium natura omnium parens nõ potuerit in re tam parua humano generi gratificari, aut (quod stultum sit credere) noluerit. Sabel. lib. 8.

De Tyriis & aliis gentibus.

Sed Tyrij magis detestabiles, qui hanc Lydorum insaniã studiosius tractarunt: detestabilior & Asia, quæ aurum prima intexuit: Babylonia, quæ vestem varijs coloribus acu distinxit: Hethruria, quæ purpuram vestibus prætexit. Sed hæc parum insignia, quia huic vel illi communia sunt genti. Quæ sequuntur magis conspicua: minus enim venia dignum creditur quod in vno, quam quod in multis delinquitur. ibidem.

De Alcibiade Atheniensi.

Fuisset (quis ignorat?) Alcibiadi Atheniensi minus inuidiosum, si priorũ ducum exemplo potius, quã purpureis in prætoria naui vsus esset velis: tanquàm concharũ sanies, quia marinæ sint, magis ad naualem expediret cursum, quàm candens linum. ibidem.

De Ptolemæo Rege.

Ptolemæus vir delicatissimus olim mille conuiuas totidem aureis poculis saginasse fertur. Guido Exemplorum. lib.

De Agrigentinis.

Plato filius Aristonis, cùm videret Agrigentinos magnis impẽsis ædificare, & sumptuosas cœnas apparare, Agrigentini, inquit, ædificant, quasi semper victuri: & cœnant, quasi semper morituri. Ælianus lib. 12.

De Timotheo.

Timotheus prodigalitatem reprehendens, dicere solebat, Cui nihil satis est, eidem nihil turpe. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De L. Lucullo.

INsanæ L. Luculli substructiones in causa fuerunt, cur à suis appellatus sit Xerxes togatus: sed illa maior luxuria, quòd triclinijs omnibus suum nomẽ, & sumptus modum inscripsit, vt quanti paranda esset cœna, ex cœnationis apparatu famuli intelligerent. instrueba-

tur conuiuium quinquaginta millibus, cùm in Apolline cœnabatur: qua voce ludificatus est Pompeium, & M. Tullium, quibus famosam illam conditione adposuit cœnam, vt de domestico apparatu nihil mutaretur. Sabel. lib. 8.

De eodem Lucullo.

Pro miraculo abijt in aures, & ora hominum (neque enim modicæ ciuilisue supellectilis fuit) quòd cùm Prætor Romæ in ludorum apparatu ab eodẽ vestes petijsset, ad scenã istruẽdam ducentas detulit, atque omnes purpureas. Per hæc ille consecutus est, vt inter rara luxuriæ exempla tempestatis illius censeretur. notum est illud in ore Quiritum celebre, Loquitur vt Cato, viuit vt Lucullus. ibidem.

De Nerone, & L. Ælio Vero.

Parua hæc & frugalitatis plena, si Neronis domus intẽpestiuæq; eius epulæ referantur, aut Ælij Veri cœna, qua nulla hominum memoria fuit portentosior, sexagies centum millibus sextertijs instructa est, si integra scriptorum fide sunt hæc in literas missa: duodecim, qui cum eo accubuerũt, singulis abeuntibus cõgesta dona sunt vasa argentea, aurea, crystallina, & myrrhina: tot enim generibus poculorũ fuerãt in cœna vsi. sua cuique data est mula pretiosissimè instrata, qua domum veheretur. Quærere quibus epulis admoti sint qui ita donati abierint, potius eius est, qui mauult monstra discere, quàm luxuriæ argumenta. ibidem.

De Heliogabalo.

Vix (quod ad hoc pertinet) fidem inueniũt quæ de Heliogabali insania verius, quàm luxuria prodita sunt memoriæ: piscinas rosea impleuit aqua, balsamum infudit lucernis, gemmas nobilissimorum artificum manu sculptas apposuit calceis, croco triclinium strauit, porticum scobe auri. Nunquam iterum cũ aliqua est fœmina con-

Universidad de Deusto Biblioteca

greſſus, præterquàm vxore, nũquam iterum aurea veſte vſus eſt, aut holoſerica. Eleuant hæc veterem Demetrij Regis infamiam: is quia auratis vteretur calceis, penè prodigioſum Macedonia exiſtimauit. ibidem.

De Cleopatra Ægypti Regina.

Cleopatra Ægypti Regina ab irato Antonio in iudicium vocata, cùm ex Ægypto in Ciliciam nauigaret, flumen Cydnum incredibili prompta ſubiuit, nauis eius purpurea habuit vela, ſericeoſque rudentes, argento quoque remos exornatos, vt remigando tibiarum ſonum per dimenſa temporis ſpatia percuſsis vndis imitaretur, ipſa ſub aurea vmbella in media naui in Veneris ſpeciem ornata, ſublimior ſedebat, circunfuſa virginum choris in Nimpharum formam auro amictarum: ad extrema nauis latera puellæ permultæ aliæ inſignes aureis thuribulis ad fluminis ripas odoramenta perfundebãt. Itaque haud iniuria tunc diſſeminatum fuit, Venerem ad Bacchum profectam eſſe. Egreſſa poſtea naui, cùm pro iudicio res in conuiuiorum certamen deducta eſſet, inter cætera, quæ nimis profuſè delicatéque egit, cùm pepegiſſet cum M. Antonio, ſe plus impenſæ vno bolo, quàm Antonium magno conuiuio abſumpturam, ingentem vnionem, cui ſimilis magnitudine ſpeciéque nunquam viſus erat, ab aure detraxit, atque aceto maceratum abſorpſit: & cùm iam manum ad alterius auris vnionem appoſuiſſet, ab Antonio, cùm viciſſe eam declaraſſet, prohibita abſtinuit: quæ quanquàm ingenti regno potiretur, non erubuit, cũ vxor eſſe Antonij non poſſet, ſuperſtite Octauia eius vxore, quæ Romæ erat, cum eo amicæ atque impudicæ nomen ſuſtinere. Baptiſta Fulgoſus lib. 9.

De C. Caligula Imperatore.

C. Caligula Imperator laſciuia Veneréque perditus, nunquam niſi in odoribus lauabatur, citréoque ligno naues ædificabat, ornatis auro gemmiſque earum puppibus, in eis quoque odoratas arbores, atque herbas plãtabat, & viridaria porticibus atque triclinijs auratis circumſepta conſtruebat: quibus nauibus circum Campaniæ littora inter ſonos cantúſque ac ſcorta nauigabat, in conuiuijs aureo pane, aureiſque piſcibus in verorum ſimilitudinem expreſsis, menſas inſtruebat, pulmenta, quibus excitari ſtomachus ſolet, detritis maceratiſque margaritis, conficiebat, tãquam alia nulla Romani conſumendi imperij ratio offerretur: qui denique ne intactum aliquid relinqueret, ſororibus ſe commiſcuit. ibidem.

De Ælio Vero Cæſare.

Delicijs præter modum Ælius quoque Verus deditus fuit: is quem, Adrianus adoptauit, ac Cæſarem creauit, lectos roſis violiſque ſternebat: fortaſſe arbitratus, Fabricios, Scipiones, Brutos, Publicolas, Cincinnatos, atque alios priſcos, quorum ſudore ſanguinéque partum fuit imperium, ita lectos cùm bella gererent, ſtatuiſſe. ibidem.

De L. Vero Imperatore.

Eijſdem delicijs L. Verus vtebatur, qui vnà cum M. Antonio imperauit. Nam cũ ad Perſicum bellum proficiſceretur, conuiuium fecit, in quo conuiuæ omnes cryſtallinis gemmatiſque ijſdem vaſis, aut murinis, quæ recentiores Alexandrina nũcupant, biberunt: omnibus autẽ ferculis pocula, ſeruíque mutabantur, qui miniſtrabant, quos omnes conuiuis donabat, cum argenteis curribus, quibus omnes ad domos ſuas deducerentur. conuiuij autem illius impenſa circiter centum atque ſexaginta ſeſtertiorum nũmũm millibus conſtitit. vt verò is fulgentiore capillo vteretur, auri limatura comam perfundebat. ibidem.

De C. Sergio Orata.

C. Sergius Orata pẽſilia balnea primus facere inſtituit, quæ

impensa leuibus initiis cœpta ad suspensa calidæ aquæ tantùm non æquora penetrauit.

Idem videlicet, ne gulam Neptuni arbitrio subiectam haberet, peculiaria sibi maria excogitauit, æstuariis intercipiendo fluctus, pisciumque diuersos greges separatis molibus includendo, vt nulla tam sæua tempestas incideret, qua non oneratæ mensæ varietate pisciculorum abundarent. Ædificiis etiam spatiosis & excelsis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressit, quo recentiore vsu conchyliorum frueretur: vbi dũ se publicæ aquæ cupidius immergit, Cõsidij publicani iudicium nactus est, in quo Lucius Crassus aduersus illum causam agens, errare amicum suum Cõsidium dixit, quòd putaret Oratam remotum à lacu, cariturum ostreis: namque ea si inde petere non licuisset, in tegulis reperturum. Max. lib. 9.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Alphonso Rege.

Alphonsus, qui ex Arragonij gente primus Neapoli regnauit, in alendis ad venatum canibus, & aucupium alitibus mille circiter pondo auri in portentosum illum apparatum quotãnis (vt sæpè fando audiui) insumpsit. maior in hoc luxus (vt videre est) quàm quòd in Federici Cæsaris aduẽtu pluribus diebus in regia vrbe nobilissima vina in speciem aquæ ex temporariis fontibus vbertim fluxere. sed hoc hospitij datũ, illud voluptati, & ob id vitio propinquius. Sab. lib. 8.

De magno quodam Antistite.

Tolerabilius tamen in Rege numerosos canũ greges ad venationem aluisse, quàm in vno aliquo sacrorum Antistitum: vidit tamẽ ætas nostra hæc portenta. Vir huius ordinis genere & fortunis præstantissimus, tantam venandi studio canum multitudinem aluit, vt ceu pecorum greges inter se distincti sub magistris agerentur. ibid.

De luxu conuiuiorum.

Sed venetur potiùs hic ordo, quàm prodigiosæ luxuriæ instruat cœnas, qualis fuit Federico Arragonio apposita, atque in biduum (vt fertur) extracta: nullũ vnquam triclinium maiora vidit epularum portenta: nullum tam portentosa obruit luxuria. sed nostrorũ temporum mores magis deplorari possunt, quàm honestè memorari. nam inuidiam conflare possunt insectantibus, in melius mutari non possunt. ibidem.

De Cœna Venetiis data.

Famosa & illa fuit cœna cẽtum conuiuiis recenti adhuc memoria à priuato homine: cæterùm patritij ordinis Venetijs instructa, à prima hora noctis inita per omnia luxuriæ instrumenta, vsque ad solis ortum extensa, variantibus, per noctem dapibus, nouo semper concentu præcinente. Et vt cætera dissimulentur (quæ tanta fuêre, vt nescias maiorinę admirationi fuerit varietas, an nouus & sumptuosus apparatus) illud portẽto similius fuit, quàm edulio, quod ex Gobiorũ lactibus centena fercula (tot enim conuiuæ accubuerũt) sunt t riclinio illata. ibidem.

De Petro Riario ordinis Minorum, ac Cardinalis tituli sancti Sixti.

Vidit ætas nostra Petrũ Riarium Sauonensem ordinem Minorum fratrum profitentem, quem Sixtus IIII. Pontifex ad Cardinalatum extulit, inter domesticos aureis vestibus vtentem: neque verò lectos aureis stragulis integere satis habuit, sed lectorum etiam ipsorum culcitras, & sericeis, & aureis pannis confecit: argenteis quoque vasis onus ventris excepit. Is Heleonoræ Aragoniæ, cùm Ferrariam Herculi Estensi duci nupta proficisceretur, conuiuium Romæ fecit, quod propter ferculorum numerum, quę pretiosis, atque delicatissimis cibis constabant, inter quæ ludi insignes pluribus interuallis

edebantur, horas septem perdurauit, architriclinique in eo, atque ministri omnes sæpiùs, vt conuiuij magnitudini respondérent, amictũ pro ferculorum genere mutauêre, populóque ea ex cibis spargebantur, quæ de mensis auferri contingebat: quorum particularis commemoratio longiora spatia, quàm præsens patiatur locus, occuparet. Et ne quid deesset, in quo ordinis sui seueritatem non contempsisse videretur, amicam Tiresiam non palàm solùm, sed tanto etiam sumptu alebat, quantus ex eo intelligi potest, quòd calceis margaritarum tegmento insignibus vtebatur. temporis meliore parte inter scorta atque exoletos adolescentes consumpta, carnibus toto anno etiã parte ea, cui carnium vsum Religio interdixit, vescebatur: arbitratus fortasse ita facilius ad cælestia peruenìri regna posse, quàm per castitatem, atque ieunia, quibus is operam dabat, cuius ab initio habitum sumpsit, & sequi vitam voluit, & ante eum Apostoli vtebantur: quorum in cardinalatu factus postea successor, ita vt dictum est, eorum imitari debebat vitam. Baptist. Fulg. lib. 9.

DE INVIDIA, Græcorum exempla.

De Cambyse Rege.

Ccidit Cambyses Rex Pesarum nõ regni æmulatione, quippe quæ nulla esse poterat, vno fratrum imperante, altero ad obsequium parato, sed inuidia: attraxerat frater Æthiopicum arcum ipso Rege & Regis comitatu aliquantò validius, peperit iuueni fortissimo lacertorum robur inuidiam: ea verò inuidia non multò post exitium. ademit ea vis vitam fratri, illi cuius iussu interfectus est, regnum, & vitam omni regno chariorem. Sabel. lib. 9.

De multorum inuidia.

Est hoc ciuitatum peculiare malum, vnde discordiæ, seditiones, intestina bella sæpè orta, assectatur inuidia felicitatem, nùncque euntis vestigio hæret, nunc ex obliquo assilit, occursátque à fronte, nec patitur solidum esse fructũ, qui ex rerum successu percipiendus est. idem sanè affectus aut solus, aut præcipuus Cimonem tam infestum reddidit Pericli, Anytum Alciabiadi, Epaminundam Pelopidæ, Hannonem Annibali, Fabium Maximum Scipioni, Marcellum Cæsari. prætexuit (scio) alius aliam causam suo odio, sed dissidij origo aut ex odij fonte orta est, aut liuentibus fuit aquis respersa. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Publicolæ propinquis

INuiderũt & Publicolæ propinqui (nam de absentis affectu non habeo quid dicam) Capitolini templi dedicationem Puluillo consuli. cui præsenti cæremoniæ intento, tam atrocem, quàm falsum de morte filij nũtium incusserunt. sed ille siue non credidit, siue religionem priuato luctui prætulit, reiecto omine, quod inchoauerat, peregit opus. Sabel. lib. 9.

DE GLORIÆ CVpiditate, Græcorum exempla.

De Themistocle.

Themistoclẽ virtutum stimulis agitatum inquietas noctes exigere solitum ferunt, quærentibusque quid ita eo tempore in publico versaretur, respõdisse, Quia me trophæa Miltiadis de somno excitant. Marathon nimirum animum eius, & Artemisiũ, & Salamis naualis gloriæ fertilia nomina illustranda tacitis facibus incitabant. Idem theatrũ petens, cùm interrogaretur, cuius vox auditu illi futura esset gratissima, dixit, Eius, à quo artes meæ optimè canerentur. Dulcedini gloriæ penè adiecit gloriam. Max. lib. 8.

De Alexandro Magno.

Nam Alexandri pectus in-

Satiabile laudis, qui Anaxarcho comiti suo ex autoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referenti, Heu me, inquit, miserum, quod nec vno quidem adhuc sum potitus, Angusta homini possessio gloriæ fuit, quæ Deorum omnium domicilio sufficit. ibid.

De Aristotele Philosopho

Regis & iuuenis flagrantissimæ cupiditati similem Aristotelis in capessenda laude sitim subnectam. Is namq; Theodecti discipulo oratoriæ artis libros, quos ederet, donauerat, molestéque postea ferens, titulum eorum sic aliy cessisse, proprio volumine quibusdam rebus insistens, planiùs sibi de his in Theodectis libris dictum esse adiecit. Nisi me tanta & tam latè patentis scientiæ verecundia teneret, dicerem dignum philosophum, cuius stabiliendi mores altioris animi philosopho traderentur. Cæterùm gloria ne ab ijs quidem, qui contemptum eius introducere conantur, negligitur: quoniã quidem ipsis voluminibus nomina sua diligenter adyciunt, vt quod professione eleuant, vsurpatione memoriæ consequantur. Sed qualiscunque horum dissimulatio, proposito illorum longè tolerabilior est, qui dum æternam memoriam assequerẽtur, etiam sceleribus innotescere non dubitarunt. ibidem.

De Pausania.

Quorum è numero nescio an imprimis debeat referri Pausanias: nam cùm Hermoclem percũctatus esset quonam modo subitò clarus posset euadere, atq; is respondisset, si illustrem aliquem virum occidisset, futurũ, vt gloria eius ad ipsum redundaret: continuò Philippum interemit, & quidem quod petierat, assequutus est: tam enim se parricidio, quàm Philippus virtute notum posteris reddidit. ibidem.

De quodam, qui propter gloriam incendere voluit templum Dianæ.

Illa verò gloriæ cupiditas sacrilega: inuentus est enim, qui Dianæ Ephesiæ templum incendere vellet, vt opere pulcherrimo consumpto, nomen eius per totum terrarum orbem diffunderetur: quem quidem mentis furorem eculeo impositus detexit. ac bene consuluerant Ephesii decreto memoriam teterrimi hominis abolendo, nisi Theopompi magnæ facundiæ ingenium in historiis cum suis comprehendisset. ibidem.

De Lysandro Lacedęmonio.

Lysander Lacedæmonius ductus & ipse gloriæ desiderio, Chærilum poëtam secum semper habebat, vt carminibus ea celebraret, quæ ipse armis atque virtute gessisset. Bap. Fulg. lib. 8.

De Rhodope meretrice.

Rhodope Græcum in Ægypto scortum, parto turpi quæstu ingenti thesauro, quãquàm ipsa humili fortuna orta esset (seruia enim fuerat) tamen famæ desiderio incensa, minorem, quæ cernitur, pyramidem extruxit: quæ quantò molis magnitudine ab aliis vincitur, tanto alias ipsa operis excellentia superauit, cum meretrix ac liberta ciũtãtis Regibus magno operis impendio contendere ausa esset: nec minus se in lupanari, quàm illi in palatiis famæ cupidã nomini ac gloriæ dare operã velle ostendit: quæ tanto Reges ipsos in nominis ac famæ desiderio superauit, quanto imperij atque opum magnitudine Reges eam anteibant. ibid.

De Empedocle.

Haud meliore ratione, neque minus ridẽda, quin prorsus insana Empedocles philosophus famam sibi comparare studuit, nam cum Panthiam Agrigentinam in graui morbo curasset, atque ob id se penè pro numine coli animaduerteret, immortalitatis atque famæ studio incensus, Aethnam insiluit, atque medios ipsius in ignes se contecit. ibidem.

De quodam Indo.

Cùm Alexandro magno di-

stum esset, Indum quendam sagitta arcu emissa, singulis ictibus medium annulum petere, ad se accersitũ iussit, vt se præsente id ageret: is autem adeò obstinatum, ne id ageret, se præbuit, vt iratus Alexãder morte eum damnaret: cùm autem traduceretur, à multis interrogatus, quamobrem non sagittasset, dixit, eã fuisse causam, quòd cùm iam diu eius rei, in qua excellere plurimùm putabatur, periculum non fecisset, errare verebatur: adeò magna eum vrgebat cura, vt excellens sagittarius haberetur: quam rem cùm Alexãder accepisset, eum periculo liberauit, atque insuper ingentia munera addidit. ibid.

De Hannone Carthaginensi.

Hannon Carthaginensis eò vecordiæ processit, vt pro Deo inter mortales haberi nouo commento tentauerit: complures enim aues humanarum vocum imitatrices, in obscuro loco conclusas sonare docuit, Hannon est Deus: quas postea libere ire permisit, existimans se hoc modo immortalitatem assequuturum, sed auiculæ ad consuetum cantum redeuntes, stultam nimis Hannonis cupiditatem, & spem irritam fecere. Ælianus lib. 12.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Superiore Africano.

SVperior Africanus Ennij poëtæ effigiem in monumentis Corneliæ gentis collocari voluit, quòd ingenio eius opera sua illustrata iudicaret: non quidem ignarus, quandiu Romanum imperium floreret & Africa Italiæ pedibus esset subiecta, totiúsque terrarum orbis summum culmen ars Capitolina possideret, eorum extingui memoriam non posse: si tamen illis literarum quoque lumen accessisset, magni æstimãs: vir Homerico quàm rudi atque impolito præconio dignior, Max. lib. 8.

De Pompeio Magno.

Ne Pompeius quidem Magnus ab hoc affectu gloriæ auersus, qui Theophanem Mitylenæum scriptorem rerum suarum in concione militum ciuitate donauit: beneficium per se amplum, accurata etiam, & testata oratione prosequutus. Quò effectum est, ne quis dubitaret, quin referret potius gratiam, quàm inchoaret. ibidem.

De Scipione, & quodam equite.

Scipionem dona militaria iis, qui strenuam operam ediderãt, diuidentem, T. Labienus, vt forti equiti aureas armillas tribueret, admonuit, eóque se negante id facturum, ne castrensis honos in eo, qui paulò antè seruisset, violaretur: ipse ex præda Gallica aurum equiti, largitus est: nec tacitè id Scipio tulit: nam equiti, Habebis, inquit, donũ viri diuitis: quod vbi ille accepit, proiecto ante pedes Labieni auro, vultum demisit. Idem, vt audiuit Scipionem dicentem, Imperator te argenteis armillis donat: alacer gaudio abiit. Nulla est ergo tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur: illa verò, & à claris viris interdum ex humillimis rebus petita est. ibidem.

De Q. Fabio.

Nam quid sibi voluit Q. Fabius nobilissimus ciuis, qui cùm in æde salutis, quam C. Iunius bubulcus dedicauerat, parietes pinxisset, nomẽ his suũ inscripsit. Id enim demum ornamenti familiæ consulatibus, & sacerdotiis, & triumphis celeberrimæ deerat: cæterùm sordido studio deditum ingenium, qualemcunque illum laborem suum silentio obliterari noluit: videlicet Phidiæ sequutus exemplum, qui clypeo Mineruæ effigiem suam inclusit, qua conuulsa, tota operis colligatio solueretur. ibidem.

De C. Iulio Cæsare.

Alexandro par animo atque gloriæ cupiditate Iulius Cęsar, cùm in Hispania Quæstor

Gadibus Alexãdri imaginem conspexisset, grauiter suspirauit, cogitans, ea ætate, qua Alexander Asiam penè totam subegerat, se nõdum gerere præclaram rem vllam cœpisse. Ba. Fulg. lib. 8.

De Adriano Seuero Imperatore.

Ælius Adrianus magna diligentia rerum suarum historiam scripsit, & ne ei nominis sui inscriptio fidem adimeret, sub liberorum suorum nomine edidit. Septimius quoque Seuerus non alterius, sed suum imposuit nomen. ibidem.

De M. Tullio Cicerone.

Huius gloriæ desiderio incensus M. quoque Tullius Cicero longa epistola à L. Luceio ciue Romano enixè petiit, vt Catilinariæ coniurationis historiam seorsim ab aliis rebus, ad propagandam nominis sui famam scribere vellet: neque abstinuit illud quoque deposcere, vt in ea etiam aliquid amicitiæ daret, ipsoque viuente eam ederet, vt viuens gloria sua perfrui posset. Adeò enim magna est in plerisque hæc gloriæ sitis, vt quanquam Cicero per eloquentiam æternum sibi comparasset nomen, eam quoque, quæ ex sapienter ac præclare gestis in Reip, administratione sequi solet, vendicare sibi cuperet. ibid.

De L. Sylla Dictatore.

L. Sylla, cùm hastam spectaret, vbi publica quorundam ciuium bona vendebatur, & ei quædam carmina in ipsius laudem scripta nõ bonus poëta dedisset, famæ desiderio motus, ex his, quæ subhastabantur, nonnulla munus poëtæ dare iussit ea lege, ne in posterũ de se scriberet: tanta enim famæ suæ cura tenebat. ibidem.

De C. Caligula.

Caligula princeps amẽs prorsus, atque omni scelere imbutus, cùm per virtutem sciret, se nominis diuturnitatem non assequuturum, tẽporibus suis palàm optare se aiebat, vt ingens

aliquod malum contingeret, de quo diu homines loquerentur: quẽadmodum imperante Augusto primo, Variana clades fuerat, & sub Tiberio Fidenis ruina theatri, in qua vinginti duo millia hominum oppressa fuerunt. ibidem.

De Nerone, item de Adriano Imperatore, & Lucano poëta.

Nero quoque Imperator, cùm nomen suum præclaris facinoribus aut virtute, cuius erat hostis, celebrare non posset, inter musicos principatum appetiit, sublatis omnium statuis, quæ temporibus suis Olympionicis victoribus, cantoribus, aut tragœdis positæ fuissent, & pro eis poni suas iussit: Lucanum quoque poëtam prohibuit, ne carmen, quod scribebat, ederet, vt solus in poëtica excelluisse videretur. quare non minus, quàm Nero nominis ac famæ vanitate cõpulsus Lucanus, cùm eam contumeliam immoderatè nimis ferret, cum Pisone coniurauit, atque ob id à Nerone damnatus est. Nero etiam præter aliã desiderio torquebatur, vrbem Romanam de nomine suo Neropolim appellandi: quemadmodum antè Aprilem mensem Neronem nominari iusserat. Adrianus quoque Augustus præter modum cupidus, vt in omni arte, atque disciplina supereminere alios putaretur, cùm & Augusti nominis magnitudo, item historiæ à seipso de rebus suis gestis scriptæ satis non viderentur, si multarũ artium ac disciplinarum, in quibus ipse reuera multùm excellebat, quenquam inuenisset scientiam habere talem, vt imminere periculũ putaret, ne aliquando ab eo superaretur inuidia pressus eum occidebat: inter quos Apollodorus architectus in ea arte vir admirandus fuit: quod cùm ad eum Adrianus inspiciendam misisset magni operis formulam, quam ipse designarat, is efficacibus rationibus ostenderat, quibusdam in locis corrigendam esse, quemadmodum Dion Græcus in historia scribit. ibidem.

De Commodo Imperatore.

Non melioribus, quàm ij, de quibus scriptum est, artibus Commodus Imperator: cùm fama extendere nomen suum cuperet, Carthaginem à nomine suo Commodianam appellauit: sublatóque de Neronis colosso capite suum pro Neroniano imposuit: item menses quosdam à se compellauit. Cæterùm horum desiderio, qui obliquè præter virtutem famam quæsierunt, fortuna obstitit, ne quod cuperent, assequerentur. Nam quemadmodum Alexandri, Cæsaris, Augusti, & aliorum bonorum principum imposita vrbibus atque mensibus nomina firma reliquit: ita in Caligula, atque cæteris ei similibus, vt spem adimeret in posterum retinendæ bonæ famæ, vbi eam per virtutem non quæsiuissent, post eorum mortem statim illa omnia extinxit, per quæ nominis sui æternitati consulisse se arbitrabantur. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Bellissario patricio Romano.

Meliorem rationē, quàm multi à superioribus inter recentiores ad seruandam nominis sui famam Bellissarius innuit, postquā in Italia sæpius Gotthos deuicit, Regémque eorum Vitigē cepit, atque in Africa Vandalorum Regem Gilismerem, Africámque atque Siciliam recepit, & de Persis quoque triūphauit: cruci enim aureæ gemmis contextæ cētum pondo Græcis Latinísque literis victorias suas inscripsit, atque eam Romæ sancto Petro Apostolo munus dedit: ratus ob religionem perpetuam fore, atque insigne omnibus seculis magnitudinis militaris virtutis suæ monumētum fore. Bap. Fulg. lib. 8.

De Leone IIII. Pontifice Maximo.

Leo quoque IIII. Pontifex Maximus, dum vrbis Romæ partem, quæ cis Tyberim est, muro cingeret, ipse etiam famæ ac nominis cupidus, à nomine suo Leoninam vrbem appellauit. ibidem.

De Sixto IIII. Pontifice Maximo.

Sixtus IIII. Pōtifex in porticu, quam à fundamentis, instaurata sancti Spiritus hospitatoria domo, Romæ condidit, vitā suā, résque à se gestas pingi iussit, pontémque, qui in Tyberi dirutus erat, instauratum à suo nomine Sixtum appellauit. ibidem.

De Ioanne Capistrano ordinis Minorum, & quibusdam aliis.

Gloria, quæ propria sanctorū hominū pestis dici potest, clàm persæpe ceu fulgenti amictu virtutis tecta, eorū pectora subit, quemadmodum in Ioanne Capistrano ostensum est: qui quanquam ex eo numero esset, qui Minorum ordinem profitētur, quæ professio nullius rei magis, quàm humilitatis studiosa esse debet, cùm prælium scriberet, quo Mahumetes Turcarum Rex apud Belgradum vrbem à Ioanne Vniado eius Mæsiæ partis, quæ nunc Transsluania dicitur, Vaiuoda (hoc quoque honoris nomen est) superatus ac fusus fuit, nulla penè de eo atque de apostolico Legato mentione facta, de se tantùm loquutus est, ceu ipsius vnius virtute, aut miraculo parta tam insignis victoria foret: & qui alijs prædicabat ambitionem atque mundanam gloriam fugiendam esse, doctrinæ suæ penè immemor, pleno cursu insequutus alienam, occultata eorum virtute, ac robore, qui verè res gesserant, sibi vsurpabat: quēadmodum in historia Pius testatur. Sed minus fortasse mirum videatur, huius sancti viri pectus honestum hoc famæ desiderium inuasisse, cùm austeritate vitæ insignem atque secularium honorum contemptorem Hieronymum legamus in libro, quem de viris illustribus scripsit, in eorum catalogo seipsum quoque connumerasse,

diligentique etiam cura omnibus voluminibus, quæ vsque ad eam diem scripserat, titulos ac nomina sua reddidisse. Augustinum quoque in Confessionibus propriã vitam doctrinámque luculenter, cùm aliud agere videretur, non sine magna dexteritate videamus expressisse. Adeo enim honestæ huius gloriæ auidum natura humanum fecit ingenium, vt aliorũ doctrinam, stylúmque ad celebrandas ipsorum laudes expectare homines nequeant: sed in ijs haud iniquè ferendum est, si in tantis virtutibus, cùm nõdum mortalitatem exuissent, in re præsertim, in qua à vero non aberrarunt, aliquid offenderũt. Illud quidem & mirum & permolestum videri debet, cùm qui in ignauia atque omni scelerum genere à virtute alieni totam vitam delituerunt, pretio sibi comparare laudatores non erubuerunt: & qui corruptis moribus, quibus tenebras omni studio obtendere debebãt, falsarum virtutum fulgorem præferre contenderunt, vt pro ignauis industrij, liberales pro prodigis, pro stupidis prudentes compellentur: atque impudicitiæ, venerisque studium comitatis appellationibus leniatur. ac similiter ignorantiæ culpam modestiæ velamine celare contendant, peruersè vitijs, sceleribúsque in contrarias virtutes, quas nunquam agnouerũt, permutatis. In eiusmodi enim hominibus audacia satis culpari non potest, non eorum modò, qui ex eo laudem sibi apud posteros quæsierunt, in quo vt elaborarent, adduci nunquam potuerunt: verùm illorum quoque, qui per imprudentiam, quæ falsa esse norant, pecunia adducti, tãquam vera essent, literis mãdauerunt. ibidem.

De Hieronymo Olgiato.

Vix adduci possem, vt hac ætate nostra, in qua vnà cũ virtutibus non pauci solùm sit, verùm etiam penè despectui habetur fama, aliquem fuisse crederem, qui famæ desiderio morti se obiecisset, nisi ego ipse libellũ legissem, Hieronymo Olgiato dictante, cùm torqueretur, scriptum: qui vnus è quatuor fuerat, qui Galeatium Sfortiã Mediolanensem ducem confoderunt. In eo enim libro fassus est, ad id facinus se adductum solo gloriæ ac magni nominis desiderio, quo incensum se dicebat, cùm priscorum hominũ res præclarè gestas puer adhuc in literario ludo legeret: adeò autẽ eo is fuit animo, vt notarius, qui morienti astabat, scripserit, cùm extremam penè animam Hieronymus ageret, Latinè hæc verba sub carnifice effudisse, cùm iam cultro non admodum acuto pectus illi incideretur, commemorato tam acerbæ mortis optato præmio, Collige te Hieronyme: stabit vetus memoria facti, mors acerba, fama perpetua. ibidem.

DE CONTEMPTV gloriæ, Græcorum exempla.

De Diogene Cynico.

IN nulla humanæ vitæ parte pauciora reperire est ethnicorum exempla, quàm in hac, quæ ad gloriæ cõtemptum pertinet: quippe qui Chium Aristonem sequuti, ad studium laudis omnia potius, quàm pietatis retulere. fuerũt tamen in his nonnulli, qui virtute contenti, famam & laudem omnem cõtempsere: enimuero Diogenes ille Sinopeus nũquam se tantùm abiecisset, vt pueris contemptui esset, si ex vana vulgi opinione, & multitudinis plausu pepẽdisset, maluit ille esse vir bonus, quàm prædicari: magis naturæ æmulus, quã gloriæ cupidus, estq; propterea post mortẽ assequutus, quod viuus repudiauit. Sabel. lib. 10.

De Heracleto Ephesio, & Timone Athenienſi.

Hoc scilicet nec alio affectu Heracletus Ephesius, & Timõ Atheniensis tam diuersi abierunt ab hominum opinione, vt

hic omnium commercium fugeret, ille vellet à nullo sua inscripta intelligi. ibidem.

De Timoleonte Corinthio.

Timoleon Corinthius tãtum abfuit ab huiusmodi vitio, vt euerso Dionysij principatu, & libertate Syracusanis parta, è medio sua sponte cesserit, maluitque priuatus, & in prædiorum secessu solus vagari, quàm officiorum frequentia septus, in vrbe conspici. ibid.

De Phocione.

Fuit in Phocione exemplum id genus vnum in raris habẽdum: cuius virtutem mirati ij, qui aurum ab Alexandro illi dono tulerant (nam ille regium aurum pertinaciter recusauerat) vbi eius domum subierunt, vxorem panem pinsentem intuiti, ipsumque aquam sibi hauritentem, qua pedes lauarentur, multò efficacius poscere occœperunt, vt aurum acciperet, cuius esset, vt facile ex ijs, quæ fiebant, poterat intelligi, valde indigus, negare Phocion id esse, ac simul senem quendam mendicum, atque eundem pauperem intuitus: Vtrum, inquit, meliorem arbitramini, me, an quem prætereuntem videtis? precantibus illis, vt meliora loqueretur: At ille, inquit, multò paucioribus contentus agit, quàm Phociõ: in diem enim sibi quærit, vnde viuat. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Fabio Maximo.

Fabius Maximus ne Cunctatoris quidem nomen repudiauit, modò cunctatio illa patriæ profutura esset: nec prætulit ille rumores hominum publicæ vtilitati. maluit dux vtilis esse, quàm vana & stulta prædicatione nobilitari. Sabel. lib. 10.

De Cincinnato.

Extant ciuilitatis & modestiæ exempla adhuc eorum qui Fabij ætatem præcessere. Nam quid Cincinnato ciuilius, qui

deposita dictatura, cõfestim ad aratrum vnde fuerat accitus, recurrit? ibidem.

De Curio Dentato & Catone maiore.

Aut quis hominum minus ostentator quàm Curius? qui Consul & Imperator hostium legatis spectantibus in fictilibus rapa esitauit. vel quis Catone, qui postea Censorius est dictus magis popularis? qui Sardiniã Prætor sortitus sine rheda circuiuit ciuitates, vno duntaxat comite qui vestem ferebat & thuribulum. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Ioanne Zebedæi filio.

Fuit Ioannes Zebedæi filius huius vani affectus longè expers. id cùm omnis eius vita facilè demonstrat, tum quòd bis septenos annos de suo in cælum raptu pertinaciter mortales celauit omnes: nec prius id arcanum retexit, quàm Corinthios commonefacere coactus est, ne sibi non veros Apostolos præferrent, praua opinione decepti. Sabel. lib. 10.

De Ioanne Monacho.

Mittebat salutare oleum circa domos Ioannes Monachus Ægyptius, ne qui curationis causa ad se vehebantur, citrò vltróque præteruehentes à pluribus obseruarentur. ibidem.

De Antonio Abbate.

At ne oleum quidem misit Antonius Abbas: quin Martiano præfecto militum opem filiæ, quæ à dæmonio vexabatur, implorãte negauit à se, quia peccator esset, oportere auxiliũ sperari: iret, & salutem puellæ à Christo, qui Deus esset, precaretur: precatus ille est, & confestim puella immundo spiritu est soluta. Magna Antonij demissio: sed præfecti militum fides maior, curatio præsentissima. ibidem.

De Gregorio Pontifice.

Laudabatur à quodam impẽsius Gregorius Romanorum Põtifex, visúsque est sibi ea laudatione non ornari, sed grauiter onerari. Precare, inquit, hospes Deum, vt fiam aliquando ijs dignus, vt opinio ista implorari non possit. ibidem.

De Francisco Asisiate.

Operæpretiũ est audire, quid Franciscus Asisias commentus sit aduersus gliscentem sanctitatis suæ famam: quæ cùm in horas maior ferretur, ne qua voluptas subiret animum, negotium dedit dicacissimo cuidam, vt vitam & mores suos omni verborum petulantia incesseret: vrgere ille immaniter volentem, rusticum vocans, indoctum, stigmaticum: probare id conuitium Franciscus, ac testari multo verius de se illa dici, quàm laudes ab vllo prædicari. ibidem.

DE VENERATIONE Scientiæ, Græcorum exempla.

De Syracusanis.

Dederunt Syracusani non parum Euripidi Poëtæ, in cuius gratiam plerosque Athenienſium, qui apud se seruitutem seruiebant, libertate donatos, domum incolumes dimisere, quòd aliqua ipsius Poëtæ carmina memoriæ tenerent. quantò plus ipsi carminum autori demum daturi, si ijs, quibus curæ fuit illa dicere, tantum tribuere? Sabel. lib. 7.

De Dionysio Tyranno.

Vulgatiore fama est illud Iunioris Dionysij. sed is, cui honos ille est exhibitus, non patitur rem silentio præteriri. Ex Athenis in Siciliam à Tyranno accersitus Plato, naui, qua veheretur, ad id in Atticam missa, ad insulam delatus, egressúsque, vittata naui, in littus, albis est quadrigis à Dionysio exceptus, ac triumphantis more ante nobilissimæ ciuitatis oculos præteruectus. ibid.

De Alexandro Macedone

Adeptus Alexander Macedo post Darium prælio victũ, ferinium in regia præda ex auro & gemmis fabrè factum: sciscitatus ab his, qui Persicæ erant luxuriæ non ignari, ecquisnam esset tam pretiosi operis vsus, vbi regia audiuit in eo vnguenta seruari solita, Quin, inquit, rei magis pretiosæ sit posthac custos, Homerúmq; in loculo clausit: dignus ipse, qui præconem, quem Æacidæ inuidit, esset aliquando sortitus. ibidem.

De eodem Alexandro.

Nec Pindaro vati parum est ab eodem Rege datum, qui Thebis bello captis, cùm vrbis excidio immineret, edixit vt Pindari penatibus, & eius familia omnis vis bellica abstineretur. ibidem.

De Ptolemæo Philadelpho.

Ptolemæus Philadelphus septuaginta senes bibliacæ historiæ scientissimos ab Iudæa vsque in Ægyptũ vocauit, quos regia vrbe acceptos hospitaliter, & benignè coluit, eorúmque interpretationẽ cupidè complexus, magnis à se muneribus donatos honorificè dimisit: neque id genti datũ magis, quàm doctrinæ credere est, cùm nulla tum gens esset in terris, inuisior omnibus, aut despicatior quàm Iudæi. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Pompeio Magno.

Cneus Pompeius, qui cum maior Augusti auunculus C. Cæsar de summa rei armis disceptauit, cùm clarissimam ex Oriente victoriam reportaret, omnes liberalium artium professores Rhodi auduiit, auditos amplis muneribus donauit, Possidonij ædibus Stoicæ disciplinæ viri tum fortè ægrotantis, eos submisit fasces, quibus se totus Oriens submiserat. Sabel. lib. 7.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Marco Antonino.

Marcus Antoninus, cùm non ambitione, sed meritis ad imperium ascendisset, vetus Philosophiæ cognomen tenuit, nouum spreuit, aliquantò maius existimans Philosophũ esse, quàm principem. Guido Exemplorum lib.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Ioanne Campegio.

SVnt nostri temporis exempla non vulgaria. Ioanne Campegio Bononiensi publico decreto in Patauinum gymnasiũ accersito, posteaquàm eius accessus appropinquare dictus est, ob excellẽtem eruditionem, nominisq; celebritatem, à magistratibus vrbis (quod non nisi Regibus, aut summis Principibus dari consueuerat) à gymnasiarchis & omnifariam professoribus, ingentique Officiariorum frequentia itum est obuiam, vt nulla hominum memoria professorem honorificentius acceptum viderit Patauina ciuitas. Sabel. lib. 7.

De Vicetina ciuitate.

Audiuit Vicetina ciuitas ex rhetoribus nostræ ætatis Sabellicum obscuri adhuc nominis peregrè transeuntem: cæterùm dicendi facultatem in eo admirata, argentea patera magni pōderis: & quod plus fuit, ciuitate donauit. ibidem.

DE ELOQVENtia, Græcorum exempla.

De Pericle Athenienſi, & Demosthene.

MIrata est vetus comedia in Pericle Athenienſi eloquentiam: atque adeo mirata, vt eum fulgura & tonitrua ciere, non loqui dixerit: sed maius ex ea re nomen Demosthenes reportauit totius Græciæ astipulatu, quæ eo loquente pacem & bella suscepit, scepta deposuit, fœdera cũ Regibus iunxit, iuncta dissoluit. Sabel. lib. 1.

De Pisistrato.

Pisistratus dicendo tantum valuisse traditus est, vt ei Atheniẽses regium imperium oratione capti permitterent: cùm præsertim ex contraria parte amantissimus patriæ Solon niteretur. Sed alterius salubriores erãt conciones, alterius disertiores: quo euenit, vt alioquin prudentissima ciuitas libertati seruitutem præferret. Maxi. lib. 8.

De Hegesia philosopho.

Quantùm eloquentia valuisse Hegesiam Philosophum arbitramur, qui sic mala vitæ repræsentabat, vt eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariæ mortis appetendæ cupiditatem ingeneraret? ideóque à Rege Ptolemæo vlterius hac de re disserere prohibitus est. ibidem.

De Epaminũda Thebano

Magnas eloquentiæ inesse vires Epaminundas Thebanus ostendit, cùm in totius Græciæ consilio Lacedæmoniorum tyrannicam superbiam tanta facundia lacerauit, vt Græcia, cui Lacedæmones multos annos præfuerant, eámque in sententiam suam semper traxerant, Epaminũdæ oratione mota, tota eos deseruit. Itaque non iniuria quidam dixerunt, plus mali Epaminundam verbis atq; oratione Lacedæmoniis, quàm cùm eos armis apud Leuctram deuicit, intulisse. Bap. Fulg. lib. 8.

De Themistocle Athenienſi.

Quòd permulti, licet perperã, pluris pecuniã, quàm patriam facere solent, forsitan non minus Themistoclis eloquentia, quàm quorumuis aliorum, de quibus est dictum, valuisse videbitur. Atheniensibus enim persuasit, vt argẽti fodinarum annuos reditus, qui quotannis populo viritim diuidebantur, ad ædificandam classem trans-

ferrent: neque enim parui fuit laboris, auarissimo populo persuadere, priuatis commodis suis publicam vtilitatem anteuertere. ibidem.

De Carneade Philosopho

Romam missus legatus Carneades ab Atheniensibus fuit, quo audito Censorius Cato Senatui suasit, vt citò ea, quorum causa venerat Carneades, expediret, eúmque à se demitteret, periculosam enim diuturniorem ipsius in vrbe Roma moram arbitrabatur: tanta linguæ ac dicendi vis in eo erat, vt ipso disputante, à vero discerni falsum non posset.

De Cynea philosopho.

De Cynea Philosopho dicere Pyrrhus solebat, plus sibi vrbiũ illius lingua, quàm armis suis partum esse. O eloquentiæ vires immensas, cui Pyrrhi vigor, virtúsque, Annibali, Scipioníque ipsorum confessione, anteferendus, Pyrrhi ipsius testimonio cessit. ibidem.

De Tyrtheo Poëta Atheniensi.

Illaturi arma Messeniis propter violatas virgines suas Lacedæmonij, ab Oraculo Apollinis moniti, opem ab Atheniensibus petierunt, à quibus irrisi, nil aliud quàm Tyrtheum Poëtam ischiade debilitatum, sénémque retulerunt: Lacedæmones autem, vt Oraculo parerẽt, exercitui Tyrtheũ ducem præfecerunt: illatis autem armis, cùm repulsi essent, domúmque reuerti Rex decreuisset, Tyrtheus carminibus quibusdam recitatis, quibus ad constãtiam virtutémque Lacedæmones hortabatur, atque consilia, quibus bellum gereretur, proponebat, adeò omnium commouit animos, vt mutata sententia, vel vincere, vel in acie occumbere decreuerint. Itaque aliis abiectis, vnius sepulturæ cura suscepta, omnes lacertis suis inscripta sua atque parentum nomina alligarũt: vt si mori in prælio contigisset, nominis inscriptio deformata vulneribus & tabo corpora distingueret, vt à cognatis sepulturæ mandarentur. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Catone Maiore.

EST Cato Maior populi Romani iudicio prudens appellatus (id enim eius nomen arguit) cæterùm nemo vnquàm in ea ciuitate maioribus est odiis exercitus: quadragies sexies causam dixit, éstque semper absolutus: valuit scilicet plus eloquentia, quæ humanis rebus dominatur, & innocentia, quàm omnes inimicorum validissimi conatus. Sab. lib. 1.

De M. Tullio.

Par laus apud Romanos M. Tullio contigit. Expulit hic Catilinam ex Vrbe, expulsum oppressit: Antonium proscripsit, leges & plebiscita, vt sancirentur hæc: ille vt sancitæ abrogarẽtur, fando tenuit. et quod omnium maximum in eo fuit, maximéque laudabile, tantùm vnius ingenio Romanus creuit sermo, quantùm ductu & auspiciis omnium, quos Romana vnquam ciuitas habuit, ducũ, creuerat imperium. ibidem.

De Valerio.

Regibus exactis, plebs discedens à Patribus, iuxta ripam fluminis Anienis in colle, qui sacer appellatur, armata consedit, erátque nõ solùm deformis, sed etiam miserrimus Reip. status, à capite eius cætera parte corporis pestifera seditione diuisa: ac ni Valerij subuenisset eloquentia, spes tanti imperij in ipso pènè ortu suo corruisset. Is nanque populum noua & insolita libertate temerè gaudentem oratione ad meliora & saniora consilia reuocatum, Senatui subiecit, id est vrbẽ vrbi iũxit. verbis ergo facundis ira, cõsternatio, arma cesserunt. Max. lib. 8.

De M. Antonio.

Quæ etiam Marianos Cinnanosque mucrones ciuilis fundẽdi sanguinis cupiditate furẽ-

res, inhibuerunt. Missi enim à sæuissimis ducibus milites ad M. Antonium obtruncãdum, sermone eius obstupefacti, districtos iam & vibratos gladios cruore vacuos vaginis reddiderunt: quibus digressis P. Antonius (is enim solus in ambitu expers Antonianæ facundiæ steterat) crudele imperium truculento ministerio peregit. Quàm disertum igitur eũ fuisse putemus, quẽ ne hostiũ quidẽ quisquam occidere sustinuit, qui modò vocem eius ad aures suas voluit admittere? ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Zacharia Pontifice.

CVm Rachisius Longobardorum Rex magnis viribus Perusiam vrbem obsideret, ad eũ in castra Zacharias cum paucis profectus, verbis assecutus est illud, quod maximo exercitu efficere difficillimum erat. nam non solùm eum impulit, vt vrbis obsidionem solueret, verùm etiam dicendo, ita præsentis vitæ vanitatem, præmia, pœnásque futuras eius animo impressit, vt tradito Aistulpho fratri regno, ipse monachalem ordinem Romæ profiteretur. O eloquentiæ ingentẽ vim, de barbari Regis manu arma conuellere, atque vt regno cederet, persuadere! pro quo parando multi non solùm mille discrimi nibus vitam obiiciunt, verùm etiam Deum ipsum rerum omnium opificem offendunt. Bapt. Fulg. lib. 8.

DE HOSPITALITATE, Græcorum exempla.

De Cimone Athenienſi.

CImon Athenienſis priuatos lares in publicũ velut hoſpitium vertit: quod iuxta ciuibus peregriníſque pateret, prædiorum fructus omnibus legere volentibus propoſuit: nullum fuit tempus, quo nõ hoſpitalitati indulgeret: eſt proinde à Cratino diuinus, & in hoſpites officioſiſſimus homi-

num iudicatus: & Crytias Tyrannus, cùm Scopadum diuitias ſibi optaret, & victorias Agesilai, adiecit Cimonis liberalitatem. Atheniensis ciuitas (quod ſatis conſtat) publicum illud in hoſpites ſtudiũ tota Græcia celebratum, Cimonis munificentiæ tulit acceptũ. Sab. li. 7.

De Trœzeniis.

Sed exẽplum hoc priuatum, illud verò publicum, & omni æuo duraturũ, eo quòd Medicis temporibus Trœzenij Atheniensium vxores et liberos metu hoſtium patria eiectos, in vrbem accepere, acceptos publica pecunia aluerunt, edictúmque eſt, vt pueri vnde vellẽt, impune ſibi fructus legerent. ibid.

De Iubio Paciaco Hiſpano.

Nec Iubij Paciaci Hiſpani fides parum memoranda, cuius opera hoſpitalique affectu octonos menſes M. Craſſus profunda ſpelunca latuit, in extrema Hiſpania: quo tempore pater eius & frater à C. Mario ciuili bello interfecti ſunt: ipſe celeri fuga delatus, cum decem comitibus in altam ſeſe ſpeluncam illatebrauit: hic non ſolùm tutus fuit Iubij ſilentio, ſed benigne etiam cultus, vt non modò cætera corpori neceſſaria non defuerint, ſed ſuperfuerint etiã omnium voluptatum inſtrumenta. ibidem.

De Pacuuio Campano.

Accepit hoſpitio Annibalem Carthaginenſium ducem Pacuuius longè princeps Campani nominis, cuius filius Romanis gratificaturus, Pœnum hoſpitem ſuper cœnam interficere cogitauit, peregiſſétq; haud dubiè ferox iuuenis audax facinus, niſi paternis precibus & lachrymis victus (placuit enim cum patre priuſquam conuiuium iniretur, id conſilium cõmunicare) propoſito abſtinuiſſet: potuit ille excidium, quod Campano nomini imminebat, ſua dextera redimere, niſi pluris hoſpitalem patris ſui fidem, domeſticorúmque larium præſentiã, qui tanti hoſpitis cæde e-

rant polluendi, quàm patriæ, ciuiúmque salutem fecisset. ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Sylvestro Romano Pontifice.

NOn potuit Sylvester Roman. Pontifex Timotheũ hospitem suum ex Antiochia profectum incolumen præstare, quia Christianæ esset fidei cultor. eo inuito & dolente ad supplicium arreptus est, martyrióque consumptus, præstitit quod potuit sanctissimus Pontifex: extinctum humi condidit, ac quàm comiter viuo hospitium detulit, tam piè mortuo sepulchrum detulit. Sab. lib. 7.

De Gerbonio Populoniensi.

Multum præstat, qui quantum in se est, iniuriam arcet ab hospitibus: sed plus omnino qui hospitalia iura suis rebus præfert, mauúltque propriam domum, quàm hospitem periclitari. verùm qui sese morti deuouet pro huius incolumitate, is omnium maximè spectandus: quod Gerbonius Populoniensis Antistes fecit, qui dum suos pertinacius tegit, hospites qui à Totila ad supplicium requirebãtur, ipse Barbari Regis iussu vrsorum laniatui obiicitur innoxius: quæ res ruborẽ Regi imposuit in eum sæuiendi, cui sæuissimæ feræ pepercissent. ibid.

De Gregorio Romano Pontifice.

Nullius in hoc genere plus valuit studiũ, quàm Gregorij Romani Põtificis, qui cùm ex foro, compitis, & tota vrbe accerseret quos piè hospitaretur, Christum meruit ignoto habitu hospitẽ habere. Nã sic ille opinatus est, posteaquam ex omniũ numero, quos conuiuio admouerat, vnus repentè euanuit, visúsque est sibi per quietem moneri, æquum & bonum fuisse, vt qui toties membra conuiuio admouisset, admoueret & caput. ibi.

De Marino Monacho.

Ad Marinum Monachum

Paruulo sub tugurio inhabitantem, aprum aliquando à venatoriis canibus actum confugisse legimus. Quem ille apud se tandiu latere permisit, donec ei sine periculo ad sua lustra redeundi facultas affuit: cui tantæ curæ fuit tutum bestiæ præstare hospitium, quo eum studio vel suscepisse homines, vel susceptúrum fuisse putabimus? Marulus lib. 1.

De Onesiphoro Ephesio.

Onesiphorus Ephesius discipulos Christi suscipere solitus, sic ab Apostolo Paulo benedicitur, vt dubitare nõ sit, quin hospitalitatis officiis æternæ vitæ præmia sibi compararit. Det, inquit, misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit, et catenam meam non erubuit: sed cùm Romam venisset, solicitè me quæsiuit, et inuenit: det illi Dominus inuenire misericordiam à Deo in illa die. & quanta Ephesi ministrauit mihi? O fœlix igitur Onesiphorus, qui aliquando auditurus est optatissimam vocem illam vocantis Domini ac dicentis, Veni benedicte Patris mei posside tibi regnum paratum à constitutione mundi: hospes enim eram, et collegisti me: in carcere eram, & venisti ad me. Amen dico tibi, quicquid fecistiuni ex his fratribus meis minimis, mihi fecisti. ibidem.

De Martha.

Martha, postquam excepit Iesum in domum suam ministerio intenta, parandique conuiuij solicitudine ardens, nequit facere animo suo satis. Proinde Mariam sororem vti se adiuuet, secúmque laboret, citat. itaque quali cura, quantóque affectu hospes honorandus sit, documento nobis est. Nec ideo nos negligentiores esse debemus, aduenam aliquem suscipientes, quia seruum non dominum suscipimus, cùm ipse protestetur ac dicat. Qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. & iterum, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Nec

quenquam moueat, quòd Maria sedens secus pedes Iesu, & verbum illius audiẽs, optimam partem dicitur elegisse. Non enim propterea hospitalitatem Marthæ improbatã credimus, sed bono melius prælatũ, actioni cõtemplationem. Ad quem tamen non potest peruenire qui non prius iustitiæ exercitationibus labem expiauerit delictorum, vt tunc demum ad considerãda Dei inuisibilia animus attollatur, cùm liberum se esse persenserit onere peccatorum. ibidem.

Denique duo illi ex Discipulis in castellum Emaus tendentes, cum Iesu simul eunt, simul fabulantur, et externum ac peregrinum esse putant, donec compulsum secum manere, & secum recumbere in fractione panis agnouerunt eum. Sic igitur hospitalitatis officiũ ad agnitionem Dei nos adducit, vt quem nunc in ænigmate per speculum videmus, post hæc facie ad faciem, & sicuti est, videre valeamus. ibidem.

DE TEMERARIO iudicio, Græcorum exempla.

De Annibale Carthaginensi.

ANnibal Carthaginensis à Petilia classe Africam repetẽs, freto appulsus, dum tã paruo spatio Italiam, Siciliámque inter se diuisas non credidit, veluti insidiosum cursus rectorem interemit. Postea diligentius inspecta veritate, tunc absoluit, cũ eius innocẽtiæ nihil vltra sepulchri honorem dari potuit. Igitur angusti atque æstuosi maris ex alto tumulo spectatrix statua, tã memoriæ Pelori, quàm Punicæ temeritatis vltrà citráque nauigantium oculis collocata indicium est. Max. lib. 9.

De Atheniensibus.

Itẽ Atheniẽsium ciuitas ad vesaniã vsque temeraria, quæ decẽ Imperatores suos, & quidem à pulcherrima victoria venientes capitali iudicio exceptos necauit, quòd militum corpora sæuitia maris interpellante, sepulturæ mandare non potuissent, necessitatem puniẽs, cùm honorare virtutem deberet. ibidem.

De Pachita Atheniensi.

Pachita Athenienſis parto patriæ Lesbi insulæ imperio, cũ domum redijsset, rationem in Senatu omnium rerum reddidit, quas eo bello administrauerat, atque eo ipso tempore gladio, quo cinctus erat, vt aduersariorum calumnias vitaret, seipsum traiecit. nam in seipsum immerentem grauius sæuiuit, quàm vix hostes fecissent, si culpam admisisse inuentus esset. Stultè igitur ac temere, dum mala euitare studet, in ea ipsa atque etiam grauiora incidit, quæ deuitare cupiebat. Bapt. Fulg. lib. 9.

De Mithridate Ponti Rege.

Mithridatis Pontici Regis ingens ea temeritas fuit, qua cũ animo Asiæ imperium concepisset, vt diligentius locorum situm inspiceret, ipse solus eam peragrauit, periculóque se obiecit, vt illuc seruus deduceretur, vbi imperium quærebat. Cui periculo domestica etiam mala accesserunt: Laodice enim soror eius ac coniux, cùm certo mortuum esse arbitraretur, multis per adulterium se commiscuit, ipsiúsque reditum verita, operam dedit, vt rediens interimeretur. ibidem.

De Q. Sertorio.

Nulla ingens fortitudo temeritatis vnquam suspitione caruit. Nam cũ Q. Sertorius aduersus Cimbros cum C. Mario in castris esset, mutata veste, in Cimbrorum castra penetrauit, vt illic hostium consilia, atque ordines exploraret: quippe nimis magno periculo inter feras gentes id agere aggressus est, quod per alios vilioris fortunæ homines minore Reipublicæ periculo assequi potuisset. ibidem.

Universidad de Deusto Biblioteca

ROMANORVM EXEMPLA.

De Valerio Publicola.

NImis inconsultè, ne stolidè dicam, populus Rom. M. Valerium in affectatæ tyrãnidis infamiam coniecit: quia in summa Velia ædificaret, tanquàm fieri potuisset, vt is qui tam acerbus Regum hostis, assertórque libertatis extitisset, tyrannidem affectaret: sed domo, quæ illi inuidiæ fuit, solo æquata, adeò ciuitatis animus est mutatus, vt quẽ nuper vt tyrannum auersabatur, Publicolam dixerit. Sabel. lib. 10.

De Gabinis.

Gabinorum autem iudicium non solùm stultum, sed sib ipsis etiam funestum, & perniciosum, qui Sextum Tarquinium, temere credendo, ex hoste hospitem fecere, ex hospite ducem, per quem non multò post non tantum bello victi sunt, sed libertate etiam, & fortunis omnibus exuti. ibidem.

De Romana Ciuitate.

Quantùm Romana ciuitas in Fabio Maximo oblucinata est, tantùm, nec minus in Minutio: in hoc temeritatem pro fortitudine complexa, in illo prudentiam pro timiditate grauiter auersata: vna tamen hora docuit multitudinis esse propriũ, nihil sapere, temeréque iudicare, vt vbi consilio opus est, euentum requirat. ibidem.

De Vespasiano.

Creditus est Titus Vespasiani filius, quia Hierosolymis euersis, non illico Romam venisset, de regno meditari. Credidit id pater, crediderunt & multi: cæterum Titus omnium opinione celerius ad eiusmodi falsos de se rumores coarguendos sese patri ex improuiso obtulit. Veni, inquit, pater, veni: per quæ suspicio discussa est, principique & ciuitati vana opinio merito exprobrata. ibidem.

De Duabus Vestalibus.

Sed in nullis hominum magis, quàm in duabus Vestalibus temeraria hæc iudicandi ratio eluſa est. Claudia & Tucia parum sanctè suam tueri virginitatem vulgò creditæ: verùm vbi & hæc nauim vado remolita est, cingulóque aduerso Tyberi pertraxit: illa aquam hausit cribro, concidit fama mendax: & quàm stultè multi iudicarunt, tam dolenter, & afflictim suæ temeritatis pœnitentiam egere. ibidem.

De Superiore Africano.

Quàm enim temere se Africanus Superior ex Hispania duabus quinqueremibus ad Siphacem traiecit, in vnius Numidiæ insidis præcordijs suam pariter, & patriæ salutem depositurus? Itaque exiguo momento maximæ reipublicæ casus fluctuatus est, vtrùm interfector, an captiuus Scipio Siphacis fieret. Max. lib. 9.

De C. Cæsare.

Nam C. Cæsaris anceps conatus, etsi cælestiũ cura protectus est, tamen vix sine horrore animi referri potest. Siquidem impatiens legionũ tardioris à Brũdusio Apolloniam traiectus, per simulationem aduersæ valetudinis conuiuio egressus, maiestate sua serui veste occultata, nauiculam conscendit è flumine, ac maris Adriatici horrida & sæua tempestate fauces petijt, protinúsque in altum dirigi iusso nauigio, multum ac diu contrarijs iactatus fluctibus, tandem necessitati cessit. ibidem.

De Militibus Albini ducis.

Agè, illa quàm execrabilis militum temeritas? fecit enim vt Aulus Albinus nobilitate, moribus, honorum omnium consummatione ciuis eximius propter falsas, & inanes suspitiones in castris ab exercitu lapidibus obrueretur: quódque accessionem indignationis non recipit. oranti atque obsecranti duci à militibus causæ dicendæ potestas negata est. ibidem.

Universidad de Deusto Biblioteca

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Vitale Monacho.

CEcidit quidam Alexandriæ vitalem Monachum prostibulo exeuntem, ratus libidinis gratia locum adijsse. Cæterùm ille pietatis officium sequutus, eò venerat, vt inde mulierem eximeret, quæ se turpi quæstui addixerat. Inuenit itaque temeritas vltionem, percussórque vexari illico cœptus est à dæmonibus, vt quorũ impulsu dextera peccauerat, mens eorundem incursu torqueretur. Sabel. lib. 10.

De Daniele Abbate.

E cælo impetrarat Daniel Ægyptius Abbas fœcunditatem matronæ haud ignobili: cæterùm quia frequens in ea domo obseruabatur, vicini Abbatis congressu mulierem grauidam esse factam arbitrari. percrebuit is rumor, quo plus nimiò commotus Daniel, puerum nuper editum iussit in publicum deportari, multisque mortalibus ad id spectaculum vocatis, alijs sua sponte affluentibus, infantem per Deum adiurat, vt dicat, quo esset patre genitus: hìc miraculo factum, vt puer liquidò testatus sit, se legitimo toro, nõ adulterino natum. ibidem.

De Britio Turonensi.

Pari infamia perfusus Britius Turonensis Antistes, primo pueri nondũ menstrui vsus est testimonio, qui Christi nomine rogatus, negauit Britium esse patrem, ascribere prodigiosum affatũ æmuli magicæ arti: ardentem prunam pius Antistes in sinum collectam per populum impune circuntulit. neque id miraculum obstitit, quo minus dignitate priuaretur. Cæterùm duo, qui in eius locum subrogati sunt, vnus post alium fato consumpti sunt, odiúmque, quo ab initio flagrauit, in gratiam vertitur. Vix igitur tam aduersa inuidia fuerat honore depulsus, quanta est innocentiæ, & sanctitatis opinione restitutus. ibidem.

De Adlauo Northumbrorum Barbarorum Rege.

Adlauus Barbarorum Northumbrorum in Britãnia Rex, magno Echelstani in propinqua insula regnantis exercitu pressus, cùm hostium ordinem videre cuperet, mimi suscepta persona, ac musici, ad Echelstani tentoria profectus est, vbi cecinit, ac munera accepit, & fortunæ felicitate magis, quàm ratione adiutus, incolumis domũ se recepit: quanquam dum cãtaret, à quodam agnosceretur, qui in eius ministerio fuerat, qui tunc conticuit, quòd eum impensè diligeret, re postquàm abierat, palàm facta. Marul. libro. 5.

De Moyse Abbate.

Moyses Abbas in deserto Scythi nominatissimus, cùm accerseretur, vt sententiam diceret in fratrem, qui peccauerat, venit saccum arena plenũ in tergo baiulans, & rogatus quid illud esset, peccata sua esse dixit, quæ vix ferre præualeret, nediũ aliena iudicare posset. Quod præpositi monasterij audientes, fratri pœnitenti veniam indulgere, quàm pœnam infligere maluerunt, dum considerant ne se quidem sine peccato esse. Nec tamen ideo delinquẽtibus ignoscendum est, ne coquatur hœdus in lacte matris suæ: sed ipsi, qui præsunt, ita seueritatem in puniendo exerceant, vt semper se quoque infirmos esse meminerint. ibidem.

De presbytero Pastore.

Eiusdem loci presbyter Pastor Monacho, qui se de cœnobio discessurum dixerat, quòd se cum fratre manere, de quo malè audisset, pigeret. Ne facilè malum credideris, inquit, quod audisti. Cúmque ille id sibi à viro fideli relatum asseueraret, respondit, Si fidelis esset, non tibi dixisset. Postremò proposuit ei trabem & festucam de Euãgelio, vt semper aliena peccata festucam putet, sua trabem, se

prius condemnans, quàm alios iudicans. Quo tandem consilio ipse vsus, ibidem habitauit, vnde recedere decreuerat: malè de altero obloquentibus credere desistit, malè agentes sibi præferre cœpit: & si quis etiam manifestò delinquerat, non iam ei iudicandi occasionem, sed magis humiliandi præbebat. ibid.

De sancto Ioanne Episcopo.

Sanctus Ioannes Episcopus illos etiam, qui publicè peccauerant, absentes carpi, taxarique prohibuit: fieri enim posse, vt peccatum pœnitendo diluissent, & iniquum esse, id ab homine petulanter exprobrari, quod à Deo clementer condonatum esset. Itaque domesticos suos grauiter increpuit, cùm quendam virginis raptorem morte dignũ duxissent. Et quî scitis, inquit, si ille iam peccare destitit, cùm fortasse vos non peccare cessetis? Iure quidem ista Ioannes: cùm enim Scriptura diuina dicat, Nescit homo vtrùm amore, an odio dignus sit, qua ratione homo in altero sciet quod in se nescit? vtrum scilicet aliquis odio vel amore dignus sit. ibid.

De beato Francisco.

Beatus verò Franciscus etiam obliquæ suspitionis culpam in fratre castigauit. Cùm enim pauperculo quodã sibi obuiam facto nuditatẽ eius dolens identidem ingemisceret, & frater, quocum vnà iter agebat, dixisset, Pater etsi ille rebus pauper est, fortasse rerum concupiscentia diues est: continuò ipsum tunicam suam exuere, & pauperem operire iussit, vt quem lingua læserat, ei beneficio satisfaceret. Prauæ igitur suspitiones, cùm præsertim de crimine nihil constat, sedulò vitãdæ sunt: & licet semper vitari nequeãt, quoniam homines sumus, ibi saltem commoriantur, vbi ortæ fuerint: linguam contineamus, si cogitationes non possumus. ibidem.

De Lupo Senonum Episcopo.

Quis enim de Lupo Senonum Episcopo non malè opinaretur, si cùm præcessoris sui filiã virginem iam adultam (quam iuxta se educabat) tenerrimè diligere conspexisset, & quanta ille sanctitate polleret ignorasset? Sed profectò neque nota sanctitas obstitit, quin aliquando domestici eius ipsum nimij in puellam amoris inter se taxarent. Quod ipse resciens, coram omnibus euocatam osculo excepit, dicens: Non offendunt obloquentium verba, quem propria non inquinat conscientia. Quoniam autem virginis animum in Dei amore propensum cognouerat, eam ardenter quidẽ, sed corde sincero diligebat. Nihil prauum de ipso conijcere debuerunt, quem irreprehensibilem totius reliquæ vitæ institutio testabatur. ibidem.

De Syluano Nazaretensi Episcopo.

Quomodo autem id quod aperte non viderint, iudicantes non fallet, si etiam visa interdũ fefellerunt? Diabolus nanque Syluani Nazaratensis Episcopi integritatem cùm peruertere nequisset, infamia dehonestare decreuit, & formæ eius habitũ assimulans, matronam quandam noctu adijt, atq; ad concubitum vrgere cœpit: pudica mulier vim timens, domesticorum opem protinus inclamat, ille latebram sub lecto petijt: sed vt volebat, à concurrente familia muentus, verberibusq; & contumeliis affectus, extra ædes eijcitur. interim rerum inscius Syluanus, vbi manè tãdẽ percepit, se vulgò diffamari, & pro scelere, quod ne cogitarat quidẽ, iam ad vindictã expeti, furori cedere satius ducẽs, properè Bethlehem se contulit. Sed cùm ibi quoq; vitæ suæ insidiarentur quidam, ipsum ferire volentes, versis mucronibus ipsi sibi vitam consciuere. Posthac cùm ad tumulum diui Hieronymi mulier dæmoniaca curationis gratia adducta esset, plurimique eò simul confluxissent, apparuit Hieronymus, & dæmoni, vt ab ea exiẽs, quibus præstigiis Nazaretanos aduersus Syluanũ ludificasset,

palàm faceret, imperauit: illico mulier sanatur, & præsente Syluano Syluanus alter iuxta illam cernitur, qui rem ordine confessus, disparuit, & vulgato miraculo cessauit innocentis infamia, versipellisque impostoris astutiæ magno omnibus tunc stupori fuere. Quàm igitur circunspectos, quàm vigilãtes nos esse decet, ne quid malè de sanctis viris, etiam cùm in crimine deprehensos esse credimus, nimis citò affirmemus? ibidem.

De Fortunato Tudentinę ciuitatis Episcopo.

Idem quippe callidissimus hic, veteranæq; malitiæ veneno imbutus serpens beatum quoque fortunatum Tudentinæ ciuitatis Episcopum infamię probro lacessiuit. Per ipsum namque ab homine expulsus peregrini formã assumpsit, & cùm clamore incedens, passim queri cœpit, quòd Fortunatus Episcopus (qui ab omnibus hospitalis ac pius existimabatur) se ab hospitio suo cum iniuria exturbasset. Hunc quidam malignis rumoribus nimis credulus, ac simul vt se munificentiorem Episcopo ostẽderet, domi suæ accepit: sed dum vnà cum illo ad ignem sedẽs (frigus enim erat) Fortunato licentius detraxisset, animaduertit confessorem suũ nusquam comparere, & filium paruulum iam ab eo correptum vertiginoso volutatu inter prunas deijci, vitáq; destitui. Vnici tandem orbitate didicit infelix pater, quantũ scelus sit, & quale crimen, sanctorum hominum vitam vel cauillari, vel cauillationibus facilè credere. ibid.

De quodã Eremi cultore.

Quendam Eremi cultorem in Basilio deceptum tradunt, qui cùm festo quodã die in Ecclesia multo compositum ornatu, atque in loco editiore sedentem cerneret, nõ hoc (vt quidem debebat) episcopali dignitati imputauit, sed cuidam inanis gloriæ fuco atque oblectamento. Quamobrem voce ad se de cælo lapsa, audiuit multò plus ipsũ voluptatis capere solere, felem bestiam, quã in cella habebat,

demulcendo, quàm Basiliũ Episcopum, sacris indumentis se ornando. Hoc exemplo edocemur, non ex signis, quæ foris apparẽt, animum, qui intra hominem latet, iudicari debere, eius præsertim, quem multorum opinio commendat, sermo celebrat, obsequium honorat. ibidem.

De Bernardo Abbate.

Cantuariensis cœnobij præpositus Bernardo Abbati, cùm ille ad ipsum visendum equo vectus aduenisset, ephippio nimis elegãti vsum exprobrauit: attamen qui Deũ magis, quàm equi phaleras animo voluebat, quale ephippium illud esset, cui insidens à Clarauallе iter egerat, penitùs ignorabat, & ab ijs qui secum venerant, quale esset quærere cœpit. Tunc haud dubiè apparuit, magis illi curæ fuisse, qualem animũ eò afferret, quàm qualẽ supellectilem. Itaque non semper ex vtensilium aliquo decore mens hominis erit metienda, sed ex operibus potius, vitæq; conuersatione: neque enim qualis quæque arbor sit, folia ostendunt, sed fructus. ibidem.

De Germana Thebaidis monasterij sorore.

Germana monasterij Thebaidis soror sorori Euphraxiæ, per hebdomadam interdum perducta ieiunia, quæ admirari debuerat, vitio dedit, ausa dicere, ijs ab illa nihil aliud, quàm viã affectari vt cæteris præsit, eo quòd hoc ieiunij genus nulla antea præter Abbatissam attentasset. Tantam in iudicando temeritatẽ Abbatissa nequaquam impunitã dimisisset, nisi Euphraxia de se obloquẽti protinus veniam suis precibus exorasset. Qua sanè erga æmulam benignitate ostẽdit, quàm quoq; sincero in Deum animo ieiunaret, tantò tamen Germana malè iudicans discessit confusior, quãtò Euphraxia malè audiẽs patientior. Et profectò inexpiabilis pœnæ inuidiæ crimen est, ob hoc virtutem aliquam in altero mordere, quod eam ipse assequi posse desperes. Nam etiam Spiritui sancto iniuriam facit qui donũ eius in illo, cui datum

est, petulanter suggillare contendit ibidem.

De Bernardo beati Francisci socio.

Sed nos ab huiusmodi fatuitate abhorrẽtes, imitemur Bernardum illum de Quinta valle beati Francisci in terris olim laboris socium, nunc in cælo gloriæ consortem, regnique cohæredem. A cuius oculis veluti duabus lucidissimis stellis miri splendoris radios promicare in visu conspexit Leo frater, & accepit ipsum ideo habere fulgentes oculos, quod neminem quõdam intuitus fuerat, quem se meliorem non iudicaret: fertur enim, si quem vili veste tectum aspiceret, sibimet dicere solitus, Hic patientius paupertatem tolerat, quàm tu Bernarde: etsi quem pretiosius indutũ, Hic fortè sub veste delicata melior est, quàm tu Bernarde sub tunica rudi. Meritò igitur oculi illi radiarunt, quorum aciem nulla vnquam temerarij iudicij hebetauerat lippitudo, & semper integram purámq; conseruarat verè sanctæ collyrium humilitatis. ibidem.

DE FRAVDIBVS, quæ in autorum capita redundarunt, Græcorum exempla.

De Perillo Athenienſi.

PErillus Atheniẽsis execrabilẽ illã machinam ex ære fabrefecit, vt Tyrãni aures delectaret humano cruciatu: sed tantæ diritatis vltio breui sequuta est, primísque omnium ipse tauro inclusus, tam delectabile opus sui imbuit supplicio. Sabel. lib. 10.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Camillo.

OPpugnabat Furius Camillus Phaliscos, trahebatúrq; bellum cùm oppidanorum virtute, tum loci natura, quæ erat munitissima: interea ludimagister per speciem deambulationis traxit principum filios ad Romana castra, ipsi duci gratificaturus. attulit secum proditor certam spem victoriæ: nulli dubium erat quin parentes charitate filiorum, suis autores essent ciuibus deditionis faciundæ: sed tantum abfuit, vt Romanus eo modo vincere voluerit, vt proditorem auersatus, qui in persuasum habuisset, Romanos dolo et astu potius, quàm virtute bellare, vinctum nudatúmque terga adolescentibus dederit, in vrbem verberibus agendum. monuit Romani ducis virtus Phaliscos, & qui nuper omnia pati maluissent, quàm assidentibus cedere, voluntaria deditione cessere. Sab. lib. 10.

De Appio Decemuiro.

Solebat Appius Claudius Decemuir carcerem, qui vnus in vrbe fuit, Romanæ plebis domicilium vocare sed ipse in ordinẽ redactus, Tribunique plebis iussu in eum locum coniectus, inter latrones & sicarios infeliciter expirauit. ibid.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Rosimunda.

NVpsit Rosimunda, quæ fuit Alboini Longobardorum Regis vxor, post viri cædem, cuius ipsa fuit conscia, Helmechidi iuueni eius gentis nobilissimo, conatáque est illi regnum astruere. cęterùm sua spe decepta ex Verona Rauennam secundo Athesi aufugit cum regia gaza, & nouo sponso. hic illa à Longini exarchi connubio pellecta, venenum priori sponso miscuit, obtulitque ex balneis egresso: sensit ille confestim receptam pestem toto poculo nondum epoto, placidéque in coniugem cõuersus, Tu, inquit, quod reliquum est, bibe. negat illa se potu egere, ac quò acrius recusare, eò iuuenis impensius id poscere: & iam minis hortatibus miscere, ac ferrum intentare. tum illa metu subacta, etsi veneni conscia, hausit tamen, atque vnà cum eo extincta est. Sabel. lib. 10.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Campilo & Paschale Primicerio.

Sedit Carolus Gallorum Rex in Bar-Ionæ Basilica, Leonis III. causam cogniturus, quem Campilus & Paschalis Primicerius pulsatum in vincula coniecerant. Congerere duo illi multa in Pontificem crimina, ad leuandam sui sceleris inuidiam: placuit, populum, qui circunfusus stabat, rogare quid de Pontifice statuendum censeret: reclamatum est, non esse priuati cuiusque de eo, qui sacrã teneret sedem, iudicare: traditúmque morem à maioribus, vt Pontifex à nullo præterquam à seipso iudicaretur. Qua voce Rex sui officij admonitus, causam ampliauit, ac mox paulò damnauit capite accusatores: sed Põtificis rogatu capitalis illis remissa est pœna, ambóque in Galliam relegati. ibidem.

De Ioanne VII.

Illusit Ioannes VII. Apostolicæ sedi verius, quàm clero, qui cùm mulier natura esset, sexum mentita, Pontificiam dignitatem inuasit: sed fœdus ille lusus, & fraus omnis in eam conuersa est. etenim domestici hominis familiarissimique concubitu prægnans facta, cùm fortè Lateranensem basilicam inuiseret, inter Amphitheatrum & Clementis ædem doloribus subitò obortis repentè partu soluta est, mediòque nixu etincta. Tenuit mos, & hodie durat, vt Pontifices ibi loci viam deflectant, tam fœde rei admonitu. ibidem.

DE PRÆSTANTISSIMIS artium Græcorum exempla.

De Hypparco.

Hipparcus haud alio modo, quàm cõsiliorum naturæ particeps mensẽs gentium, diésque & horas, ac locorum situs est æuo teste scientissimè complexus. Idem manifesto argumento cognationis hominum cum syderibus, stellam suo æuo genitam in cælo deprehendit: rem ad id ausus propemodum ipsis cęlestibus improbam, stellas et omnia cæli sydera posteris numerare. Sab. li. 10.

De Hippocrate.

Magna Athenarum autoritas, sed totius Græciæ multò maior, quæ Hippocrati medicæ artis scientissimo, qui venientem ab Illyriis pestem prędixit, dimisitque circa vrbes discipulos, qui insinuãti se malo occurrerent, honores, quos & olim Herculi, decreuit. ibid.

De Asclepiade Prusiensi.

Quid homo maius præstare homini potuisset? quid maiore admiratione dignũ, quàm quod Asclepiades Prusiensis dedit? deploratũ & pro extincto iacentem hominẽ è funere vitæ reddidit. sed maior adhuc in eo, quod dicã, apparuit: quòd cum fortuna spõsionem fecit, ne medicus crederetur, si vnquàm inualidus vllo modo fuisset, éstque voti compos factus, subito scalarum lapsu suprema senecta eximatus. ibidem.

De Archimede Syracusano.

Quid Archimedes Syracusanus quanta in eo machinariæ scientiæ facultas? onustam nauem solus remolitus est, traxítque quò voluit, cùm ingens vis mortalium ne mouere quidẽ suo quiuisset loco? quid, quòd ingenio confisus, testari ausus est, si alterum terræ globum fuisset adeptus, vtrunque se alteri fuisse applicaturũ? Accessit laudis cumulo Marcelli ducis fortissimi iudicium, qui Syracusis captis, vetuit Archimedem violare. ibid.

De Archita Tarentino.

Est & Tarenti Archytæ nomen vel vno opere clarum: lignea columba ab eo certa ratione cõpacta, & quæ aërem semel sortita, perpetuo volatu per ipsum inane spiritu intus incluso agebatur, nisi solidum aliquod offendisset corpus. ibid.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Arione.

Multum sanè quod de Arione proditum est memoriæ, exceptum hunc medio mari à delphino ad concentum lyræ, per longa æquorum spatia in Tænarum Laconiæ incolumen delatum. Astipulata est huic famæ non tantùm vetustas, sed & statua ex ære, quæ ibi loci fuit monumentũ rei gestæ, Arion delphino sedens. ibidem.

De Timotheo.

Timotheus, cùm ad Alexandri mensam caneret, mutatis de industria modulis, Regẽ repentè velut insanum statuit in pedes, coegitque ad arma prosilire: rursus remittente cantu, continuò & Regis remisit affectus. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De M. Tullio & Pericle Athenienſi.

M. Tullius tantum dicendi facultate adeptus est, vt pro eloquẽtia eius sit nomen receptum. Tãtum Pericles Atheniensis, vt fando fulgurare & tonitrua ciere sit dictus. Sabel. lib. 10.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Consaluo Agridario Magno.

Tantum disciplina militari nostra tempestate Cõsaluus Agridarius excelluit, vt Gallos, minores aliquantò copias ducens, duplici prælio vicerit: Neemessem ducem, qui Regis vicem gerebat, interfecerit: Neapolim his ademerit: eos iterum maiore apparatu regnũ inuadentes, ad Lyrim profligauerit: Caieta expulerit, Regnũq; id omne demum, quod Siciliæ citra Pharum appellãt, Aragoniæ familiæ restituerit. Sabel libr. 10.

DE HVMANIS sensibus, Græcorum exempla.

DE MEMORIA.

De Mithridate.

Maxima admiratione dignus Mithridates Rex põti, quo nullus Regum diutius, grauiúsque exercuit Romana arma. fertur is duabus & viginti diuersis nationibus, quibus imperabat, sua cuique lingua ius dicere solitus, & pro concione singulas sine interprete affari. Sab. li. 10.

De Cyro Rege & L. Scipione.

Cyrus Rex, qui immensos duxerat exercitus, omnibus militibus nomen reddidit: sic L. Scipio, quod æquè mirum videri possit, Pop. Rom. ibidem.

De Cynea Pyrrhi Regis Legato.

Cyneas Pyrrhi Regis Legatus, postridie quàm Romam venerat, Senatum & equestrem ordinem proprio nomine salutauit. ibidem.

De memoriæ iactura.

Cæterùm, quò res hæc pretiosior, eò magis iniuriæ obnoxia. nam præterquàm quòd tentat interdũ seipsã relinquere, ictus lapide quidam literas prorsus oblitus est: alium tecto præcipitatum matris & propinquorum cepit obliuio: Messalæ Coruino oratori grauiter ægroto seruorum & suipsius nomen excidit.

De Visu, & primùm de Iliade Homeri.

Excedunt fidem exempla acerrimi visus. Fuit Ilias Homeri in membrana tam concisè et minutim notata, vt testa nucis includeretur. Strabo quidẽ (id enim nomen reddidit illi M. Varro) in Lilybæo Siciliæ promontorio sedens, naues ex portu Carthaginis exeuntes numero prædicabat, oculorum acie in centum triginta, quinque millia passuum procul excurrente. Fuit & Callicrates acerrimi visus, qui formicas & alia minuta anima-

lia in ebore sculpsit, quorũ partes quædam ab aliis cerni nequiuissent.ibidem.

De auditu.

Est sua auditui fama.præliũ, quo Sybaris in Italia excisa est, eodem die, quo pugna illa commissa est, ab iis audita est, qui Olympia in Græcia spectabant.ibid.

De voce.

Vocalissimus omnium, qui ad Troiam militarunt (si Homero credimus) fuit Stentor: vt omnium qui cũ Dario bellum Scytis intulerunt, Ægyptius quidam, qui procul astans Histiæum Milesium clamore vocans, ad Danubij ripam reuocauit: quæ res salutem Regi attulit, & regio exercitui. Thrasibulus omnes Athenienses voce superauit, vt Piscenius Niger Romanos, qui adeò vocalis fuit, vt cùm in aperto verba faceret, ad mille passus vox eius audiretur.ibid.

De celeritate.

Canistius Lacedæmonius & Philonides cursor Alexandri mille die vno & trecenta stadia decurrerunt.qui stadiorum numerus cõfecit millia passuum centum sexaginta duo, & amplius aliquid. Nec minus dignũ admiratione, quòd Fonteio & Vipsano COSS. puer nouem annorum à meridie ad vesperum confecit octoginta millia passuum perpetuo cursu: est & Tiberius Nero vrgentibus de Druso fratre grauiter ægrotante nuntiis, tribus vehiculis ex vrbe in Germaniam festinans, nocte dieque ducenta millia passuum emensus, quantum viæ nullus, quod proditum sit, quadrupedibus fecit vnquã. ibidem.

De Robore humani corporis.

Contigit quibusdam prodigiosum propemodum robur corporis, vt Rusticello, quem Herculem appellatum scripsit Varro, qui multũ suum sublimè sublatum ferebat. Triditanus ex gladiatorio Samnitum ludo hostem ex prouocatione secum dimicantem, vno digito vicit, superatúmque ac correptum in castra transtulit. Agè & quàm validus Caius Iunius Valens fuerit, ex eo censeatur, quòd currum culeis onustum, dum per otium examinaretur, sustinere solitus est. Idẽ carpenta vna manu comprehẽsa, obnixus continebat, iumentis etiam contrà nitẽtibus: in prætorio Octauij Augusti (ne res vetustior credatur) militauit. Nemo ad hæc corrigere potuit C. Milonis athletæ digitum, cũ malum teneret.ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Cæsare Dictatore.

Cæsar Dictator scribere & legere vno tempore, dictare, & audire solebat: epistolas magni ponderis quaternas pariter dictabat, aut si non aliud egisset, septenas. Sab. libro. 10.

De Agilitate corporis.

Roma sub Cæsaribus inter spectacula populo exhibita productus est, qui per aduersum parietem felis modo reptando scanderet: & qui fabrefactis sibi alis, altiusculè à terra volans, per aërem auis modo veheretur.ibidem.

De vitibus corporis.

In Maximino Imperatore, qui Alexandro Mammeæ filio successit, tantum virium fuit, vt equum pugno percussum nudaret dentibus, tophaceos lapides foraret digitis: diuidebat maiusculas arbores manibus. quapropter à multis Milo athleta vocatus est. æquauit eius statura octonos pedes & pollicem.ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Antonio Rauennate.

Singulare memoriæ bonum vidit nostra ætas in Antonio Rauennate, qui multa millia rerum stans percipiebat ani-

Universidad de Deusto Biblioteca

mo, & eo quo accepta essent ordine, memoriter reddebat: sed hæc artificij sunt, non naturæ, Sab.lib.10.

DE LEGIBVS ET consuetudinibus, Græcorum exempla.

De ciuitate Spartana & legibus Lycurgi.

SPartana ciuitas seuerissimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquandiu ciuiũ suorum oculos à contemplanda Asia retraxit, ne illecebris eius capti, ad delicatius vitæ genus prolaberentur. Audierãt enim lautitiam inde, & immodicos sumptus, & omnia non necessaria voluptatis genera fluxisse, primosque Ionas vnguenti coronarũmque in conuiuio dandarum, & secundæ mensæ ponendæ consuetudinẽ, haud parua luxuriæ irritamenta reperisse: ac minimè mirũ est, quòd homines labore ac patientia gaudentes, tenacissimos patriæ neruos externarum deliciarum contagione solui, & hebetari noluerunt: cùm aliquantò faciliorem virtutis ad luxuriam, quàm luxuriæ ad virtutẽ trãsitum viderent. Max.lib.2.

De Pausania.

Quod eos non frustra timuisse, dux ipsorum Pausanias patefecit, qui maximis operibus editis, vt primùm se Asiæ moribus permisit, fortitudinem suã effœminato eius cultu mollire non erubuit. ibidem.

De institutis eiusdem ciuitatis circa rem militarem.

Eiusdem ciuitatis exercitus non antè ad dimicandum descendere solebant, quàm tibiæ concentu & anapæsti pedis modulo cohortationis calorem animo traxissent, vegeto & crebro ictus sono strenuè hostem inuadere admoniti.

Iidem ad dissimulãdum & occultandum vulnerum suorũ cruorẽ puniceis tunicis in prælio vtebantur: non vt ipsis aspectus earum terrorem, sed ne hostibus fiduciæ aliquid adferret. ibidem.

De Areopago.

Eiusdem vrbis & sanctissimum consilium Areopagus, quid quisque Atheniensium ageret, aut quónam quæstu sustentaretur, diligentissimè inquirere solebat, vt homines honestatem, vitæ rationem memores reddendam esse, sequerentur. ibidem.

De ingratitudine punita.

Agè, quid illud institutum Athenarum quàm memorabile, quòd conuictus à patrono libertus ingratus, iure libertatis exuitur? Supersedeo te, inquit, habere ciuem tanti muneris impium æstimatorem. nec adduci possum, vt credam vrbi vtilem, quem domi scelestum cerno. Abi igitur, & esto seruus, quoniam liber esse nescisti. ibidem.

De seueritate morum Massilientium.

Est Massilia seueritatis custos acerrima, nullum aditum in scenam mimis dãdo, quorum argumenta maiore ex parte stuprorum continent actus, ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumat. ibidem.

De ritu Massiliensium circa tela.

Massiliensium oppidum intrare nulli cum telo licet, præstóque est, qui id custodiæ gratia acceptum exituro reddat, vt hospitia sua quemadmodũ aduenientibus humana sunt, ita ipsis quoque tuta sint. ibid.

De Thracibus.

Thraciæ verò illa natio meritò sibi sapiẽtiæ laudẽ vẽdicauerit, quæ natales hominũ flebiliter exequias cum hilaritate celebrat, sine vllis doctorum præceptis: verùm conditionis nostræ habitum præuidit. Remoueatur itaque naturalis om-

nium animalium dulcedo vitæ, quæ multa & facere & pati turpiter cogit, si ea mortua, aliquantò fecilior ac beatior reperietur finis. ibidem.

De Lyciis.

Quocirca rectè Lycij, cùm ijs luctus incidit, muliebrem veste induunt, vt deformitate cultus commoniti, maturius proijcere stultum mœrorem velint. ibidem.

De fœminis Indicis.

Verùm quid ego fortissimos in hoc genere prudentiæ viros laudem? Respiciantur Indorum fœminæ, quæ cùm more patrio complures eidem nuptæ esse soleant, mortuo marito, in certamen iudiciúmque veniunt, quã exijs maximè dilexerit: victrix gaudio exultans, deductáque à necessarijs lætum præferẽs vultum, coniugis se flammæ superiacit, & cum eo tanquam felicissima crematur: superatæ cum tristitia & mœrore in vita remanent. Protrahe in medium Cimbricam audaciam: adijce Celtibericam fidem: iunge animosam Thraciæ sapientiam: annecte Lyciorum in luctibus abijciendis callidè quæsitam rationem. Indico tamen rogo nihil eorum præferes, quẽ vxoris pietas in modum genialis tori propinquæ mortis secura conscendit. ibidem.

De instituto Persarum.

Persarum admodum probabile institutum fuit, quòd liberos suos non prius aspiciebant, quàm septimum implessent annum, quò paruulorum amissionem æquiore animo sustinerẽt. ibidem.

De Babyloniis.

Quanta prudentia Babylonij matrimonia sua tractabãt? quotannis enim stato die locoque puellas suas viro maturas congregabant, forma præstantiorẽ plura offerenti despondebant: deformiorem autem minori dote accepturo nuptui dabant, dotémque ex accepta in formosioris collatione pecunia persoluebant. Ita ex formosioribus deformium dos parabatur, ditésque pretio formosarum matrimonia nanciscebantur, minúsque formosæ, in quibus ambitionis etiam minus esse debet, sine cuiusquam iniuria ad tenuiores thalamos transibant. Bapt. Fulgosus lib. 2.

De Gallorum consuetudine circa matrimonia.

Haud malus Gallorũ is mos erat, quo in locandis matrimonio puellis vtebantur. Nam ne propter ingratum matrimoniũ puellæ parentes incusarent, parata magno inuitatorum numero cœna, virgini permittebant, vt ex inuitatis maritum sibi deligeret: electionis autem illud signum erat, cui ipsa ante alios aquam manibus dedisset. ibidem.

Item de Gallis.

Solebant etiam contracto matrimonio agere, vt mariti tantundem de fortunis suis acceptæ doti cumularent, fructuumque qui inde percipiebantur, ratio à viro vxoréque simul quærebatur, vt superstitis illud totum esset, quod simul cum capite coactum inueniretur. Ita enim facta inter virum vxorémque par conditio, plus amoris retentura in matrimonijs putabatur. ibidem.

De Lacedæmoniis.

Apud Lacedæmones grauis pœna ijs cõstituta erat, qui nũquàm vxorem duxissent, aut qui vltra communem morem ducere distulissent: grauiore etiam mulctabantur, si qui maiorem sequuti dotem, ex aliena tribu duxissent, quando in sua probatis maioribus inuenissent. ibidem.

De Leptitanis.

Apud Leptim Africæ vrbem, Hieronymus scribit, hunc fuisse morem, vt quo die noua nupta primũ in mariti ædes venisset, à socru mutuo ollã peteret, socrus autẽ eã negaret, vt à primo ipso die, quæ spõsæ erant, socrus suas ferre discerent. ibid.

De Germanis.

Solebant apud Germanos, qui mariti vellent fieri, vxores dotibus comparare: id quod temporibus quoque nostris veteres meminerunt, apud Celtiberos in Pyrenorum parte, quàm Biscaiam nunc dicunt, vsitatum fuisse. ibidem.

De Athenienſibus.

Haud immeritò Athenienses vtebantur, vt filius, qui artem, aut alicuius induſtriæ genus à patre non didiciſſet, minimè in neceſsitate parentem iuuare cogeretur. ibid.

De Ægyptiorũ Regibus.

Ægyptijs Regibus peracto ſacrificio ſacerdotes quotidie hominum, qui virtute excelluiſſent, exempla legebant: ac deinde præſentis Regis laudatis virtutibus ante omnia clemẽtiam eius extollebant. ibidem.

De iiſdem.

Ægyptijs Regibus domi nec ſerui nec vili fortuna homines miniſtrabant, ſed ſacerdotum liberi virtutéque inſignes viri, qui vigeſimum annum tranſcenderent, vt horum conſpectu moti, à ſcelere atque intemperantia continerentur. ibid.

De Germanis.

Adeò indecorum penes priſcos Germanos putabantur in acie ſcutum amittere, vt cui hoc contigiſſet, publicum conſilium ineundi ius auferrent, atq; vbi ſacra fierent, intereſſe prohiberentur: qua ignominia multi cùm premerentur, mortem manu ſua ſibi conſciuerunt. ibid.

De Italica conſuetudine.

Veterum Italorum mos erat non aſpernandus, apud quos quanquam in bello Barbarorũ equites adhiberentur: tamen totius exercitus robur Romano ciue, Italóque homine conſtabat. In quo duplex erat vtilitas, & quòd ſui generis homines armorum dediſcere vſum non permittebant, ac propterea ſumma rerum Barbarorum arbitrio fideique non credebatur: & cùm è ſuis maior pars exercitus conſtaret, ſoluendis ſtipendiis ad alienos pecuniam ſuam non transferebant. ibidem.

De Lacedæmoniis.

Conſueuêre Lacedæmonij in conuiuiis ruſticum, aut extremæ ſortis aliquem hominẽ adhibere, quem per ebrietatem à recto ſenſu abalienabant, vt eo in iuuenum ſuorũ conſpectum producto, ingenua iuuentus ex rerum turpitudine, quas temulenti incurrebant, atque ex contemptu, in quo penes bonos omnes eiuſmodi erant homines, ipſi diligentiùs ebrietatem euitarent. ibidem.

De Ægyptiis.

Apud Ægyptios hic mos erat, vt quicunque perpetrare furtum decreuiſſet, ſacerdotum principi deſcriptum nomen ſuũ præberet: furtúmque perpertratũ ad eundem deferret. hi quoque, quibus bona furto erepta erant, ad eundem ſacerdotem euntes, rei furto amiſſæ ſigna, tempúſque denuntiabat. Hac ratione, amiſſa domini, ſi quartam pretij partem perſoluiſſent, recuperabant. Eur quoque quarta hac parte contentus, nullo alio periculo furti pœnam deuitabat. ibidem.

De iiſdem.

Singulis quoque ægritudinibus ſingulos adhibebant medicos, neque qui curandi capitis rationem profiterentur, aliam corporis partem curandam ſuſcipiebant. Arbitrabãtur enim fieri non poſſe, vt vnus omnium curarum diſciplinam rectè teneret: quanuis in vna doctus haberetur. Cautiùs autẽ, quàm apud nos, agebatur, penes quos medici omnium ægritudinum curam inuadentes, ſæpe magno ægrorũ damno ignorantiã, & cupiditatem ſuã detegunt. ibid.

De iiſdem.

Quàm moleſtè quoque apud eoſdẽ illud fiebat, quòd defunctos laudaturi, nulla opũ aut nobilitatis mẽtione facta (ſiquidẽ hæc non hominis propria, ſed fortunæ bona dicuntur) in

eis religionem, iustitiámq; extollebant, vt hoc laudis genere exornata mortuorum memoria, viuentes ad has sectandas virtutes efficaciùs accenderentur? ibidem.

De Parthis.

In conuiuiis Parthi non vxores, sed concubinas adhibebant, ne si fortè largiore vino perfusi, licentiùs egissent, coniuges, quarum pudicitiæ cõsulendum erat, exemplo ad indecora prouocari viderentur. ibidem.

De Æthiopibus.

Nec minus Æthiopum mos laudem merebatur. Nam qui Regum personæ astabant, in partem incommodorum, malorúmque subibant, quæ Regibus suis accidissent, spõte enim aut mortem obibant, aut membris illis se priuabant, quæ malo fato ipsi Reges amisissent. O sanctum morem, ô amicitiæ vinculum singulare, non Barbaris, qui in extremo orbe positi sunt, sed Romano Senatu dignum. ibid.

De Ægyptijs.

Amasis Ægyptiorum Rex legem condidit erga suos, vt quisque quotannis apud præsidem vitæ rationem redderet, & demonstraret vnde viueret, aut quo quæstu sustentaretur: qui verò id nõ faceret, morte statim afficeretur. Quam legem Solon ab Ægyptijs ad Athenienses transtulit. Guido Exemplorum lib.

De Otio punito.

Draco legislator Atheniensium statuit, vt qui damnati forent otij, capite mulctarentur: idẽtidem apud Areopagitas Solon. ibidem.

De lege Lycurgi erga pueros.

Lycurgus Lacedæmonum legislator pueros impuberes non in forum, sed in agrum deduci præcepit, vt primos annos non in luxuria, sed in opere, & laboribus agerent: demum eos nihil somni causa substernere, vitámque sine pulmento degere, neque prius in vrbem redire, quàm viri facti essent. ibid.

De Gymnosophistarum consuetudine.

Gymnosophistæ sapientes Indiæ otium desidiosum tantopere detestati sunt, vt cùm edulia mensis apponebantur, prius adolescentes interrogabãt, quid à lucis ortu boni didicissent, vel fecissent: qui verò nihil respondebat, impransus foras extrudebatur. Quàm maximo odio habebant desides, quos omnes, quia nihil egissent, in hac vita, tanquam non vixissent, bestiarum sepulturâ sepeliebant. ibid.

De lege Lycurgi.

Lycurgus lege perpetua sanxit, nuptui puellas sine dote dari, vt neque ob egestatem sine viris vllæ dimitterentur, neq; propter opulentiam expeterentur: sed quisque potius spectato puellæ ingenio, ac moribus, in capiẽda vxore moueretur. Idem cùm nubendi tempus certum statuisset, tum mulieribus, tum etiam viris, ad eũ, qui huiusce rei causam quæreret, respondit, vt partus geniti valentiores essent. ibidem.

De Atheniensium lege.

Post deuictos Persas Athenienses legem sanxerũt, vt galli gallinacei quotannis vna die certamen in theatro inirent: vnde verò hæc lex occasionem sumpserit, manifestum faciam. Cùm Themistocles exercitum aduersus Barbaros duceret, gallos gallinaceos pugnãtes vidit: præbuit se illico eius pugnæ spectatorem, ad suósque conuersus dixit, Hi nec pro patria, neque pro dijs familiaribus, nec pro gloria, aut libertate pugnant: sed tantùm ne alter ab altero superetur, aut alter alteri cedat. Quibus verbis Atheniensium animos cõfirmauit. Quod ergo tunc eis incitamentum ad virtutem fuit, ad similium rerum factorúmque memoriam consecrarunt. Ælianus.

De Cretensibus.

Cretenses statuerunt, vt liberorum filij cum quodam concentu, & melodia leges perdiscerent, vt musicæ voluptate

adducti, faciliùs eas memoria complecterentur: & ne si quid contra leges commisissent, ignorantiam causari possent. Quod secundũ eis proponebant discendum, erant hymni in Deorum honorem facti: tertium, fortiũ virorum encomia. ibidem.

Græcorum leges quædam

Stagiritarũ hæc lex est, Quod non deposuisti, ne tollas: Leucanorum, Si sub occasu solis venerit peregrinus, volueritque sub alicuius tectum diuertere, & is hominem non susceperit, multetur pœna inhospitalitatis. Sardi patres iam senio confectos fustibus cædebant, & interemptos sepeliebant: absurdum arbitrantes, deliros senes vitam agere, eo quòd sæpissimè in fraudem peccatúmque impellantur. ibidem.

De lege quadam Attica.

Lex hæc inter Atticas scripta est, Si quis insepultum hominis cadauer inciderit, omni parte id terra operiat, & sepeliat, ad Occasum spectans. item bouem aratorem, qui iugũ trahit vel in aratro, vel in plaustro, ne mactes: quoniam & ille etiam agricola est, & hominis laborum socius. idem lib. 6.

De Spartanis.

Spartani legem sanxerunt, vt qui tres filios Reip. suppeditaret, ab excubiis immunis esset: qui verò quinque, ab omnibus publicis officiis liber haberetur. item vt viri indotatas vxores ducerent: item vt omnes ad bellum proficiscentes, purpura induerentur, vt formidabiliores hosti apparerent. ibidem.

De lege Periclis.

Pericles Atheniensium dux legem scripsit, vt nemo ad Reipub. regimen accederet, nisi qui vtroque parente ciuis natus esset. ibidem.

De Lacedæmoniis.

Lacedæmonij legem sanxêre, ne Lacedæmoniorum aliquis mollitiem præ se ferret, aut corpori habitudinem pinguedine

labefactaret: hoc pigritiæ, illud effœminati animi signum existimantes. Statuerunt etiam, vt decimo quoque die ephebi omnes nudos Ephoris sese exhiberent: & qui pulchram corporis habitudinem præ sese ferebant, aut qui in certaminibus vulnera accepissent immensis laudibus vehebantur: qui verò molles delicatique, & otio pingues videbãtur, verberibus affecti in ius trahebãtur. Consueuere etiam Ephori virorũ mulierũmque vestimẽta inspicere, & quicquid in illis à decenti honestóque ornatu alienum videbatur, taxare.

Apud eosdem coquos esse non licebat, nisi qui carnis edulia conficerent: cæteri, vt publica pestis, eiiciebantur. Ælianus lib. 12.

ROMANORVM EXEMPLA.

De nuptiis.

Qvæ vno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur. Existimabãt enim eum præcipuè matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui post depositæ virginitatis cubile, in publicũ egredi nesciret, multorum matrimoniorum experiẽtiam quasi legitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes. Max lib. 2.

De primo repudio.

Repudium inter vxorem & virum à cõdita Vrbe vsque ad vicessimum & quingentesimum annum, nullum intercessit. Primus autem Spurius Carbilius vxorem sterilitatis causa dimisit. Qui quanquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehensione tamen non caruit: quia nec cupiditatem quidem liberorum coniugali fidei præponi debuisse arbitrabãtur: sed quò matronale decus verecundiæ munimento tutius esset, in ius vocãti matronã corpus eius attingere nõ permiserũt, vt inuiolata manus alienæ tactus stolæ relinqueretur. ibi.

Universidad de Deusto Biblioteca

De vsu vini mulieribus interdicto.

Vini vsus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberetur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus id inconcessam Venerem esse consueuit. Cæterùm vt non tristis eorum & horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere temperata esset, indulgentibus maritis, & auro abundanti, & multa purpura vsæ sunt: & quò formam suam conciniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt. Nulli enim tũc subsessores alienorum matrimoniorum oculi metuebantur: sed pariter & videre sanctè, & aspici, mutuo pudore custodiebantur. ibid.

De verecundia inter parentes & liberos.

Verecundiæ causa aliquandiu nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lauabatur. Manifestum igitur est, tantum religionis sanguini & affinitati, quantum ipsis Diis immortalibus tributum: quia inter istam tam sancta vincula, non magis, quàm in aliquo sacrato loco nudare se, nefas esse credebatur. ibidem.

De honore impenso senibus à iuuenibus.

Senectuti iuuentus ita cumulatum, & circunspectum honorem reddebat, tanquam maiores natu adolescentium communes patres essent. Quocirca iuuenes, Senatus die, vtique aliquẽ ex Patribus Conscriptis, aut propinquum, aut paternum amicum ad Curiam deducebãt, affixique valuis expectabant, donec reducendi officio etiam fungerentur: qua quidem voluntaria statione & corpora et animos ad publica officia sustinenda impigrè roborabant: breui processu morarum claram in lucem virtutum suarum verecundia laboris meditatione, ipsi doctores erant. Inuitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei couiuio essent interfuturi, ne senioris aduentum discubitu præcurrerent: sublatáque mensa priores consurgere, & abire patiebantur: è quibus apparet cœnæ quoque tempore, quàm parco, & quàm modesto sermone his præsentibus soliti sint vti. ibidem.

De maioribus dantibus exemplum virtutis iuuenibus.

Maiores natu in conuiuiis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quò ad ea imitanda iuuentutem alacriorem redderẽt. Quid hoc splẽdidius? quid etiã vtilius certamine? Pubertas canis suum honorem reddebat: defuncta virium cursu ætas, ingredientes actuosam vitam fauoris nutrimentis prosequebatur. Quas Athenas? quam scholam? quæ alienigena studia huic domesticæ disciplinæ prætulerim? inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabritij: ac ne singula imperij nostri lumina simul percurrendo sim longior, inde, inquam, cæli clarissima pars, Diui fulserunt Cæsares. ibidem.

De fide & taciturnitate Senatus.

Adeò autem magna charitate patriæ tenebantur, vt arcana consilia Patrum C. multis seculis nemo Senator enuntiauerit. Quintus Fabius maximus tantummodo et is ipse per imprudentiam de tertio Punico bello indicendo, quòd secretò in Curia erat actum, Publio Crasso, rus petens, domum reuertenti, in itinere narrauit, memor eum triennio antè Quæstorem factum, ignarúsque nondum à Censoribus in ordinem Senatorum electum, quo vno modo etiam iis, qui iam honores gesserant, aditus dabatur: sed quanuis honestus error Fabij esset, vehementer tamen à COSS. obiurgatus est. Nunquam enim taciturnitatem optimum ac tutissimum administrandarũ rerum vinculum labefactari volebant. ibid.

De Eumene Rege Asiæ.

Ergo cùm Asiæ Rex Eume-

nes amantissimus nostræ Vrbis bellum à Perse aduersus populum Rom. comparari, Senatui nuntiasset, non antè sciri potuit, quid aut ille loquutus esset, aut Patres respondissent, quàm captum Persen cognitum est. Fidum erat, & altum Reipub. pectus cura, silentiique salubritate munitum, & vallatum vndique: cuius limen intrãtes, abiecta priuata charitate, publicam induebant. itaque non dicam vnum, sed neminem audisse crederes, quod tam multorum auribus fuerat cõmissum. ibidem.

De maiestate & obseruantia linguæ Romanæ.

Magistratus verò Prisci quãtopere suam, populique Romani maiestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quòd inter cætera obtinendæ grauitatis indicia illud quoque magna cum perseuerantia custodiebant, ne Græcis vnquam, nisi Latinè responsa darent: quin etiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excussa, per interpretem loqui cogebant, non in vrbe tantùm nostra, sed etiam in Græcia, & Asia, quò scilicet Latinè vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant studia doctrinæ, sed nulla non in re pallium togæ subiici debere arbitrabantur, indignum esse existimantes illecebris & suauitate literarum imperij põdus & autoritatem donari. ibidem.

De more, quem maiores obseruabant in Vrbe.

Maxima autem diligentia maiores hunc morem retinuerunt, ne quis se inter Cons. & proximum lictorem, quamuis officij causa vnà progrederetur, interponeret: filio duntaxat, & ei puero ante patrem Cons. ambulandi ius erat. Qui mos adeò pertinaciter retentus est, vt Q. Fabius Maximus quinquies Cons. vir etiam pridem summæ autoritatis, & tunc vltimæ senectutis à filio Cons. inuitatus, vt inter se & lictorem procederet, ne hostium Samnitum turba ad quorum colloquiũ descendebant, elideretur, id facere noluerit. Idem à Senatu legatus missus, ad filium Cons. Suessam, postquàm animaduertit eum ad officium suũ extra mœnia oppidi processisse, indignatus quoque, quòd ex lictoribus nemo se equo descẽdere iussisset, plenus iræ sedere perseuerauit: quod cùm filius sensisset, proximo lictori, vt sibi appareret, imperauit. cuius voci Fabius continuò obsequutus, Non ego, inquit, fili summum imperium tuum contempsi, sed experiri volui, an scires Cons. agere: nec ignoro quid patriæ venerationi debeatur: verùm publica instituta priuata pietate potiora iudico. ibidem.

De mira constãtia legatorum Romanorum.

Relatis Q. Fabij laudibus, offerunt se mirificæ constantiæ viri, qui legati à Senatu Tarentum ad res petendas missi, cùm grauissimas ibi iniurias accepissent, vnus etiam vrina respersus est, in theatrum (vt est consuetudo Græciæ) introducti, legationem quibus acceperant verbis, peregerunt: de his quæ passi erant, questi non sunt, ne quid vltrà, ac mandatum esset, loquerentur: intimisque pectoribus eorum antiqui moris respectus dolore, qui ex contumelia grauissimus sentitur, conuelli non potuit. Finem profectò fruendarum opum, quibus ad inuidiam diu abundaueras, Tarentina ciuitas quæsisti. Nam dũ horridæ virtutis in se ipsum connexum, stabilimentum nitore fortunæ præsentis inflata, fastidiosè æstimas, in præualidum imperij nostri mucronem cæca & amens irruisti. ibid.

De P. Rutilio & C. Mallio Conss.

Armorum tractandorũ meditatio à P. Rutilio Cons. C. Mallij Collega militibus est tradita. Is enim nullius ante se Imperatoris exemplum sequutus ex ludo C. Aurelij Scauri doctoribus gladiatorum accersi-

Universidad de Deusto Biblioteca

tis, vitandique atque inferendi ictus subtiliorem rationem legibus ingeneruit: virtutémque arti, & artem rursus virtuti miscuit, vt illa impetu huius fortior, hæc illius scientia cautior fieret. ibidem.

De modo comedendi antiquorum.

Fuit etiam illa simplicitas antiquorum in cibo capiendo, humanitatis simul & continentiæ certissima index. Nam maximis viris prandere et cœnare in propatulo verecundiæ non erat: nec sanè vllas epulas habebant, quas populi oculis subiicere erubescerent. Erant autem adeò continentiæ attenti, vt frequentior apud eos pultis vsus, quàm panis esset. ibid.

De veneratione Febris.

Cæteros Deos ad benefaciendum venerabantur: Febrem autem ad minus nocendum templis colebant, quorum adhuc vnum in palatio, alterum in area Martianorum monumentorum, tertium in summa parte Vici longi extat. in eáque remedia, quæ corporibus ægrorũ adnexa fuerant, deferebantur. Hæc ad humanæ mentis æstus leniendos cum aliqua vsus ratione excogitata: cæterùm salubritatem suam industriæ certissimo ac fidelissimo monumento tuebantur, bonaq́ valetudinis eorum quasi quædam mater erat frugalitas inimica luxuriosis epulis, & aliena nimiæ vini abundantiæ, & ab omni immoderato Veneris vsu auersa. ibid.

De Romanis sponsis.

Nouæ nuptæ apud priscos Romanos maritorũ domos ingressuræ in primo limine Caiam Cæciliam (alio nomine Tanaquilem nuncupatam) semper nominabant, quæ Tarquinij Prisci Romani Regis vxor fœmina fuit pudicitia atque omni virtutis genere insignis, vt dum eam nominarent, imitari mores eius meminissent: postpositis quoque aliis ornamentis, colus fusiúsque præferebatur. His enim institutis Martias, Porcias, atque Lucretias Romani pepererunt. Baptist. Fulg. lib. 2.

De Romanis Consulibus.

Mos erat Romanis Consulibus, lictoribus ac fascibus per vices vti: quísque mense suo his vtebatur. Vtendi autem principium is faciebat, cui in bello mortuus esset filius, vel cui vxor esset, etiamsi iunior haberetur, si alter quanquàm senior vxore careret. ibidem.

De Romanis.

Adeò veteres Romani magni semper in liberos paternum ius fecere, vt regum temporibus patri filios bis vendere permissum esset, nisi ei pater vxorẽ dedisset, aut vltro ducere volenti assensum præstitisset. ibidem.

De Romanis Censoribus.

Romanis mos fuit, electos duos insignes virtute ciues morum magistratus sine prouocatione constituere, qui intemperanter dicta factáque seuerè notabant. Neque verò mirum videri debet, si cùm hac disciplina vterentur, alios virtute præstiterunt. ibidem.

De Priscis Romanis.

Haud aliam ob rem Plutarchus scribit, priscos Romanos instituisse, vt securibus, quæ præferebantur magistratibus, virgarum alligarentur fasces, nisi vt dum fasces soluerentur, magistratui spatium cogitãdi daretur, ne iratus ea fieri imperaret, quorum postea eum frustra pœniteret. ibidem.

De Fecialibus & Patre Patrato.

Consueuere veteres Romani non nisi lacessiti bellum inferre, præmisso semper Feciali, aut Patre Patrato, qui ereptas res ab hostibus repeteret, assignatis ad restitutionem triginta diebus, nisi fortè armis ipsi peteretur. Quod si intra præfixum tẽpus res restitutæ non essent, non antè tamen in hostilem terram

arma proferebantur, quàm per Fecialem hosti bellum indixissent. Longè enim pluris ritè iustéque se fecisse, quàm vllam rei bene gerendæ occasionem faciebant. ibidem.

Item de Romanis.

Romanis mos erat neminem suorum permittere aduersus hostem pugnare, quemadmodum Senior Cato ad filium scribit, nisi prius sacramento addiceretur: id autem agebatur, vt non nisi coactus ad alios perdendos ire videretur. Et vt ducibus, quibus addicti erant, si ex acie fugissent, morte eos, quia contra iusiurandum egerant, mulctãdi ius esset.

Iterum de Romanis.

Illa quoque consuetudo prudentiæ plena erat, qua Romani manipulos aut cohortes, quæ timore vel negligẽtia ordines reliquissent, aut in exercitu seditiosæ fuissent, sorte ex eis delecto decimo quoque capitali pœna mulctabant. Ita enim omnium timore, quibus illud imminebat supplicium, & tam paucorum morte militarem disciplinam seruabant.

Item de Romanis.

Vt puniendo seueri, ita ijs, qui bene virtutem meruissent, ornandis Romani minimè restricti fuerunt. Nam confecto prælio, posteaquàm duces in eos animaduerterant, quos in prælio præ ignauia, aut quia nõ paruissent, malè vi erãt rem gessisse: tum eorum laudes, qui bene pugnassent, pro cuiusque virtute celebrabant, vt duplici aculeo laudis atque supplicij cũ excitarentur, ad omnia milites pericula promptiores firmiorésque redderentur.

Iterum de Romanis.

Ante omnia autem in seruandis suis, quàm hostibus perdendis, diligentiores: eum, qui in prælio ciuem seruassent, ciuica corona donabant, quæ querna fronde conficiebatur: quia passim inuenta quercus facultatẽ præbebat publici honoris statim in illum conferendi, qui eo se di-

gnum præstitisset, & in rebus gerendis oblatus honor, alios ad spem eandem accendebat. Frõde autem, & non auro huiusmodi ornamentum dabatur, ne pluris aurum, quàm humanum sanguinem, aut laudem, quæ ex virtute proficisceretur, facere viderentur. Adeóque hic laudis amor, patriæq; charitas veterum insedit animis, vt nemo apud eos inuentus fuerit, qui ciuicæ frondis honorẽ auro permutare vellet. ibidem.

Iterum de Romanis.

Laudandus quoque in Romanis mos ille erat, quo renouari prohibebantur hostium spolia, posteaquàm longo æuo consumpta inuenirentur. odium enim quod stantibus spolijs retineri videbatur, tempore cum spolijs ipsis deleri curabant. ibidem.

Iterum de Romanis.

Ne illa quidem in eis consuetudo laude sua caruit, vt omnes, qui pedibus militarent, palum suum, id est valli partem, ferrent, quo semper castra munirentur. persæpe enim eo munimẽto magnam hostium vim arcuerũt, quam immunitis castris non sustinuissent. Quantò enim hoc sapiẽtius, quàm quod nostrorum temporum milites sõlent, qui dum laborem deuitãt, sine munimento positis castris ingentes sæpe clades accipiunt? ibidem.

Iterum de Romanis.

Vt in milite fides augeretur, & ijs, quos alea vel aliud malum profusiores faciebat, frenũ poneretur (quidam enim in his pensi nihil habentes, sæpe euertuntur) omnium congiariorum dimidiam partem ponere apud signa militem cogebãt, vbi decem saccis pro numero cohortium, quibus legio constabat, sanctè in maiores militum ipsorum vsus custodiebatur. ibidẽ.

Iterum de Romanis.

Commendationem etiam Romanorum mos merebatur. gestare enim liberos bullas à collo pendentes assueuerant, vt cum serui eos ex bulla ingenuos esse

cognouissent, cum eis turpiter atque impudicè agere abstinerent, idque Romanos ipsos esse moneret. ibidem.

De Vespasiani lege.

Vespasianus Imperator, cùm apud Romanos luxuria nullo coërcente, inualeret, decreto quodam fecit, vt quæ se alieno seruo iungeret, efficeretur ancilla. Guido Exemplorum lib.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Italis atque Carrotio.

Consueuere Itali, imperãtibus Ottonibus ac Fridericis Germanis, magna ex parte in prælium militaria signa carris infixa deferre: fortasse ob eã causam, quod in fuga difficilius seruari possent. in quibus cùm grauior militaris infamia, si amitterentur, consisteret effugiendi dedecoris necessitas consistere in prælio milites cogeret. Baptist. Fulgosus libro secundo.

De Carinthiis & aliis.

Nouus ritus is videtur, quo principes, qui Austriæ cognominantur, vti solent, cùm primò possessionem ineunt Carinthiorum ducatus (illis enim Carinthij parent) neque tamẽ hoc ab re fieri videtur. Nam haud lõge ab oppido, quod sancti Vitti dicitur, in cõualle, vbi adhuc reliquiæ conspiciuntur, ingentis vrbis, cuius nomen de viuentiũ memoria excidit, magnum lapidem, qui illic est erectus, quo die Austriæ princeps ad ineũdum ducatus possessionem venturus est, rusticus sorte in ea gẽte delectus conscendit, mediusque inter macilentos bouem atque equam magna rusticorum manu septus, consistit: in vallẽ autem descendit Austriæ princeps rusticana amictus veste, quem permulti eius regionis principes armati cum signis adeunt, inter quos Goritiæ comes primarium obtinet locum. rusticus à longe venientem principem conspicatus, ceu admiratione captus, Liburnica lingua

(qua illi vtũtur) astantes alios rusticos rogat, quis sit is qui tã superbo incessu atque apparatu ad se veniat: illi autem regionis ipsius principem esse. iterum rusticus petit, an is æquus sit iudex, communem patriæ salutẽ curæ habeat, liber, an seruus sit, si honore dignus, & si ritè Christianus: quæ omnia cùm astantes affirmarunt, iterum rogat, quo iure is lapide se velit abigere: ad hoc tunc Goritiæ comes iam factus vicinior, respondet, Abigere te vult, datis sexaginta aureis nummis, hisque animalibus, quæ circũ te sunt, te cum familia tua onerũ immunitate donato, vltrà principales vestes, quas deposuit. his auditis rusticus leniter percussa principis maxilla, monet, vt iustus esse velit, acceptisque animalibus, quæ iuxta extant, domũ reuertitur. Princeps autẽ saltu in lapidem se recipit, strictum vibrat ensem, atque omnibus, qui petierint, iustitiam se ministraturum pollicetur: & descendens inde, templum ingreditur, principalésque vestes atque officium resumit. Postèa peracto conuiuio, in patris tribunal ad audiendos populos cõscẽdit. Hodie in Gallia, vbi tam ingentes opes sunt, dum regnum ineunt Reges, veste amiciuntur in veterem Germanicum morem formata, quam ad hunc vsum religiosè seruant, sicuti in Pãnonia diadema, quod sancti Stephani quondam eorum Regis fuisse arbitrantur: alio enim creatum Regem insignire nefas putant. Id declaratum fuit in Vladislao, qui etiam Poloniæ regnum habuit. Nam cũ hoc diadema penes Fridericum tertium esset, diu coronationem distulit: id quod sex annos etiã egit Matthias Coruinus, adeò penes multos antiquarum consuetudinum religio valet. ibid.

DE SVPERBIA, Græcorum exempla.

De Alexandro Rege.

Alexandri Regis virtus & felicitas tribus insolẽtiæ gradibus ex-

Universidad de Deusto Biblioteca

ultauit euidentissimis. Fastidio enim Philippi, Iouem Hammonem patrem asciuit: tædio morum & cultus Macedonici vestem & instituta Persica assumpsit: spreto mortali habitu, diuinum caput æmulatus est. Nec fuit ei pudori filium, ciuem, hominem dissimulare. Max. lib. 9.

De Xerxe Rege.

Iam Xerxes, cuius in nomine superbia & impotentia habitat, suo iure quàm insolenter vsus est? quòd Græciæ indicturus bellum, adhibitis Asiæ principibus, Ne viderer, inquit, meo tantummodo vsus consilio, vos contraxi: cæterùm mementote parendum magis vobis, quàm consulendum. Arroganter, etiamsi victori repetere ei regiã contigisset, tam deformiter victi, nescias vtrum insolentius dictum, an impudentius.

De Annibale.

Annibal autem Cannensis pugnæ successu elatus, nec admisit quenquam ciuium suorũ in castra, nec responsum vlli nisi per interpretem dedit. Maharbalem etiam ante tabernaculum suum clara voce affirmantem, prospexisse se, quónam modo paucis diebus Romæ in Capitolio cœnaret, aspernatus est: adeò felicitatis & moderationis diuiduum contubernium est. ibidem.

De Cyro Persarũ Rege.

Persarum Rex Cyrus cùm ad Babylonicam expeditionem profisceretur, fluuium Gangem immensæ magnitudinis, rapidúmque in trecentos ac sexagĩta paruos alueos diuisit, quòd in eo eques Persa vnà cum equo absorptus esset: & superbæ rei insolens quoque verbum addidit, affirmans se ita diminuturum amnem, qui equiti suo se peruium facere noluerat, vt etiam prægnans fœmina pedibus sine labore eum traiectura esset. O immanem profectò superbiam, elementis, non secus atque hominibus irasci, atque ab eis reuerẽtiam exigere. Bap. Fulg. lib. 9.

De Sesostre Ægypti Rege.

Ægypti Rex Sesostris superbus nimis atque insolens fuit, qui principes ac rectores prouinciarum ad se quotannis cum munere cogebat venire, atque ex eorum numero à quatuor veluti equis currui iunctis ad templum trahi volebat: demẽs nimium, cui id in mentem non veniret, quòd qui hominibus pro iumentis vteretur, ipse ob superbiæ magnitudinem, amissa ratione, bestia iumentúmq; efficiebatur. ibidem.

De Tigrane Armeniæ Rege.

Tigranes Armeniæ Rex haud minore, quàm Sesostris superbia præditus, parentes sibi Reges domestico ministerio adhibebat. in mensa enim atq; aliis rebus eorum opera atque seruitio vtebatur: & cùm pro tribunali causas populorum aut legatos audiret, circunstare tribunali supplicibus manibus in seruorum morem cogebat. Hic autem superbus tanta timiditate laborauit, vt eum coram Pompeio deflexo genu procumbere, atque ad eius pedes diadema deponere non puduerit. Etenim hæ superbiæ leges esse solent, vt sordidorum corda plerunque inuadat, quos vt prospera fortuna non capit, ita eadem cùm terga dederit, animo penitus prosternat. ibid.

De eodem.

Immanem quoque superbiam stultè nimis idem ostendit, cùm arma in eum L. Lucullo mouente, illi, qui primus huius rei nũtium tulit, pro munere caput ademit. ibidem.

De Cambyse Persarum Rege.

Superbè quoque nimis atque crudeliter Persarum Rex Cambyses egit, cùm interrogatus ab eo Præsaspes Persa nobilitate insignis, quid de Cambyse populi sentirent, amicè respondisset, in omnibus à Persis Cambysem laudari, nisi quòd vini appetentior esset. Arcum enim, quem manu tenebat Cambyses, tetendit, & ad Præsaspem conuersus, dixit, se, quanquam immo-

dicè potasset, sagittam tamen in medium filij eius cor directurum: & ita cognituru Præsaspem, nunquam tam potum Cambysem esse, vt à vero sensu aberraret. Cùm autem in hæc verba sagittam emisisset, medium adolescentis pectus traiecit: cui cùm illa ipsa hora aperiri totũ iussisset pectus, inuenta est in cor ipsius sagitta penetrauisse. Præ superbia enim cùm audiendi veri patiens non esset, in amicum adeò crudeliter sæuiuit. ibidem.

De Sapore Persarũ Rege.

Sapor Persarum Rex ad Constantinum Imperatorem scribẽs, Solis atq; Lunæ se fratrem, & qui inter stellas partem haberet, nũcupauit, nullo erga Cõstantium honore vsus. ibid.

De eodem

Idem superbia immani in Publium Cornelium Licinium Valerianũ Imperatorem vsus est: quem cùm prælio superatum cepisset, non solùm veluti canem vinctum tenebat, verùm tergo quoq; ac renibus eius pro scamno vtebatur, vt commodiùs in equum conscenderet. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De M. Druso Tribuno.

PArum habuit M. Drusus Trib. plebis L. Philippum Consulem, quia se interpellare concionantem ausus fuerat, obtorta gula, & quidem non per viatorem, sed per clientem suũ adeò violẽter in carcerem præcipitem egisse, vt multus è naribus eius cruor perfunderetur. verumetiam cùm Senatus ad eum misisset, vt in Curiam veniret: Quare non potius, inquit, ipse in Hostiliam propinquam Rostris ad me venit? piget adijcere quod sequitur, Tribunus Senatus imperium despexit, Senatus Tribuni verbis paruit. Max. lib. 9.

De Cn. Pompeio.

Cnæus autem Põpeius quàm insolẽter egit? qui balneo egressus, ante pedes suos prostratum Hipseum ambitus reum, & nobilem virum, & sibi amicum iacentem reliquit, contumeliosa voce proculcatum: nihil enim aliud agere, quàm vt conuiuiũ suum moraretur respondit: & huius dicti conscius securo animo cœnare potuit. Ille verò etiã in foro nõ erubuit, P. Scipionem socerum suum legibus noxium, quas ipse tulerat, in maxima quoque reorum & illustrium ruina muneris loco à iudicibus deposcere, maritalis lecti blanditijs statum Reipub. temperando. ibidem.

De M. Antonio.

Tetrum facto pariter ac dicto M. Antonij conuiuium. Nam cùm ad eum Triumuirum Cesetij Rufi Senatoris caput allatum esset, auersantibus id cæteris, propius admoueri iussit, ac diu diligenterque considerauit: cunctis deinde expectantibus, quidnam esset dicturus, Hunc ego, inquit, notum non habui. Superba de Senatore, impotens de occiso confessio. ibid.

De L. Sylla Dictatore.

Cùm Lucretius Offella consulatum à L. Sylla Dictatore peteret, quòd ipsius opera Sylla vrbem Præneste cepisset, atque Iuniorem Marium euertisset, Sylla autem nutu consulatum negaret, neque ob id Offella rogare desineret, Sylla, qui foro deambulabat, manu sua eum interemit, atróxq; facinus grauiore verborum atrocitate auxit, cùm populo, qui in concionem venerat, aratoris fabulam narraret: pediculorum enim morsu vexatum (omissa ratione) vestem, vt poterat, manu sua purgasse dixit: sed cùm denuò earum bestiolarum morsibus peteretur, eandem diligentiã iterum adhibuisse, & cùm ob id ea molestia non liberaretur, vestem ipsam pediculósque simul in ignem coniecisse. Ob eam rem cohortatus est omnes, ne vltrà ei molesti essent, nisi eadem ab ipso perpeti cuperent. Inauditã profectò superbiam, orbis terrarum domitori populo tanquàm mancipiis silentium indicere: & amicum, cuius labore periculóq; multa esset assequutus, qui meritum honorem

peteret, crudeliter occidere. Bap. Fulg. lib. 9.

De C. Caligula Imperatore.

Caligula, vt in aliis immodicus fuit, ita etiam superbia, aut potius immanitate omnes humanitatis metas transgressus est: multorum numinum statuis capita ademit, & sua similia restituit, Castoris atque Pollucis templum in vestibuli speciem ante palatij sui valuas trãstulit, atque illic inter Deorum statuas sedens tanquam numen coli se iubebat, ac Latialem Iouem appellari, cùm manu fulgur aurata barba teneret. Cùm autem interdum tridente manum armaret, vt Neptuno similis esset, maris numen dici volebat. Idem sibijpsi templa ac statuas aureas condidit, fasianisque tantùm, ac phœnicopteris, pauonibúsque sacrificabat: Lunam quoque tanquam si fœmina esset, in eundem thalamum ac lectum inuitabat: Iouem etiam se ab vrbe depulsurum minitabatur, quòd nonnunquam emissis imbribus, ludos ac munera, quæ edebat, perturbasset. ibidem.

De Domitiano Imperatore.

Domitianus, etsi minus amẽs, quàm Caligula, non minore tamen animi superbia laborauit. In edictis enim atque publicis scripturis Dominus ac Deus appellari voluit, & terrarum imperio non contentus, cælestes quoque honores voluit occupare. ibidem.

De M. Aurelio Antonio Bassiano Heliogabalo.

Heliogabalus Imperator, cùm ob superbiam Deus haberi vellet, currum conscendens, quem leones traherent, Cybelem se nominare iubebat: & Bacchũ vocari, cùm currui tigres iungeret, cui potandi studio, similior fortasse videri poterat: sed cùm immanitate alios omnes excederet, vniuersum Senatum vrbe expulit, atque in contemptum seruos togatos nuncupauit. ibidem.

De Pallante Claudij liberto.

Pallas Claudij Cæsaris libertus, qui sub eo principe immensis opibus comparatis, cùm à Peto accusaretur, in Neronem conspirasse, atque ad rem probãdam quidam Pallantis liberti adducerentur, coactus est Pallas, vt innocentiam probaret, superbiæ suæ magnitudinẽ detegere: affirmauit enim moris sui esse, nunquam ministrorum suorum quempiam alloqui: sed si quid vellet, id eis aut manu aut nutu indicare: & si quid esset, quod longiore oratione declarandum esset, illud eis scribere. Id autem agebat ne cum ministris superbæ vocis suæ dignitatem communicaret. O immanem fastũ, adeò nimia fortunæ felicitate Pallantem efferri, vt primæ fortunæ gradũ obliuisceretur, & his, in quorum ordine fuerat, adeò se illius rei auarum præbere, quod largè sine vllo detrimento cõmunicari potest. ibi.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Edgaro Britanniæ Rege.

Edgarus Britannicus Rex superbiæ magnitudine notus, Scotiæ atque Hyberniæ Reges remigare cogebat in ea cymba, qua ipse voluptatis gratia vehebatur. Bapt. Fulgosus li. 9.

De Ioanne XII. Pontifice.

Ioãnes XII. Pontifex cùm accepisset è Cardinalium numero duos ad Italiæ, totiúsque Ecclesiæ salutem commodúmque per literas cohortatos esse Ottonem Imperatorem vt confestim in Italiam descenderet, superbum atque insolens nimis ingenium pro Tyranni more sequutus, alteri eorũ nasum, alteri autem manũ, qua scripserat, desecuit. ibid.

De Bonifacio VII. Pontifice.

Bonifacius VII. Pontifex in vrbem Romam reuersus, à qua propter crimina pulsus fuerat, nulla dignitatis habita ratione,

Universidad de Deusto Biblioteca

Ioanni Cardinali innocētissimo viro oculos defodi iussit, quòd ei in his, quæ parum iustè appetebat, aduersaretur. ibidem.

De Bernabone Vicecomite Mediolanensi Principe.

Rem proculdubio superbam atque insolentem Bernabo Vicecomes, qui Mediolani rerum potiebatur, egit, cùm Massiliensem Abbatem ab Innocētio VI. pontifice ad eum missum, quòd ingrata quædam nuntiabat, ac postremò Apostolicas censuras minitabatur, Pontificis literas, quas attulerat, deuorare coēgit, nulla eius habita ratione, à quo Abbas legatus erat, cui Christiani omnes veluti communi parenti, ac Dei vicario supremum deberent honorem. ibidē.

DE HVMILITATE, Nostrorum exempla,

De Monachis Nitriæ.

Monachis Nitriæ morem fuisse constat, præter cætera in peregrinos beneficia pedes eorum lauare, linteolisque abstergere, illum imitari volentibus, qui magister & Dominus discipulorum pedes lauit. Exemplum, inquiens, dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Marullus lib. I.

De Gallicano Monacho.

Gallicanus quoq; Monachus, quem & Consulem & victorem, & Constantini Augusti generū fuisse diximus, omnibus pro Christo contemptis, tam ardenter in monasterio serui functus est officio, quā prius in castris Imperatoris ac Ducis: Nec magis olim militaris gloriæ auidus fuit, quàm postea humilitatis. Operæpretium erat videre pauperum lauātem pedes, monachorum manibus aquam dantem, mensas concinnantem, pauimenta verrentem, & reliqua id genus exercentem, paulò ante tot cliētium patronum, tot seruorum dominum, tot militum ductorem, quot conuenire potuit principi viro Cæsaris genero, Romani exercitus, præfecto, sæpe victoria potito, nunquā victo. Tantam status mutationem nequisset efficere fortuna, quantam ille sua sponte suscepit: haud ignarus multò maiorem certiorémque felecitatem esse seruire Deo, quàm dominari mundo. ibidem.

De Antonio Abbate.

Tradunt Antoniū Abbatem in spiritu raptum vidisse orbem terrarū quaquauersum laqueis oppletum: & cùm mirabundus quis illos euadere posset, quæsisset, responsum fuisse, humilitas. Beati igitur humiles, quibus à periculo erutis cōpetere poterit illa Prophetæ gratiarum actio dicentis, Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutoriū nostrū in nomine Domini. ibid.

De Gregorio I. Pontifice.

Gregorius I. Pontifex se seruum seruorum Dei appellauit, ac ne dictu id illi, quā factu facilius fuisse putes aduenienti Ioanni Abbati assurrexit, & prior honoris gratia in terram prouolutus est Pontifex, quàm Abbas. Cæteri deinde maximi Pontifices nomenclaturæ istius titulum vsurparunt, opus rarum: omnes se seruos seruorum Dei dici, pauci esse voluerunt. Igitur Gregorij humilitatē approbasse videtur, etiam ipsi qui imitari neglexerunt. ibidem.

De Petro Telonario.

Mirabilis imprimis Petri Telonarij humiliatio fuit, qui distratis pro amore Christi facultatibus, à Byzantio Hierosolyma petiit, seruiumque se venalitium fecit: & cùm in aliena domo à cōseruis maledictis verberibusque affligeretur, gaudebat in contumeliis nunquàm de iniuria sibi illata conquestus, in tantum, vt de medio calumniatorum suorū nusquàm discesserit, nisi cùm Byzantij hospitis indicio cognitus, hono-

rari cœpisset: denique tunc profugit, cum coleretur vt liber, nõ cum sperneretur, vt seruus humilitati studens, à gloriationibus abhorrens, displicere cupiẽs hominibus, vt Christi seruum se exhiberet. ibid.

De Martino.

Martinus dum adhuc stipendia faceret, neque tamen tam Cesari, quàm Christo militaret, præter illud celebratissimum pietatis opus, haud minus celebre præstitit humilitatis exemplum, vno seruulo contentus, eundem vt fratrem dilexit, vt dominum coluit, cœnanti ministrabat, cubitum eunti calciamenta detrahebat, cæteráque penè omnia, mutata cum illo officij vice, exercebat: seruus seruui factus, vt Christo se seruire probaret, nõ mundo. Miles erat, necdum baptizatus: sed tãtùm cathecumenus, & iam perfectionis viam ingressus, Spiritus sancti sententiam sequebatur, per Solomonem in Prouerbiis prolatam, Melius est humiliari cum comitibus, quàm diuidere spolia cum superbis. ibid.

De Alexio.

Alexius quoque Euphemiani consularis filius spreta generis nobilitate, Roma decedens, Edessam Syriæ vrbem venit, et inter alienigenas septemdecim annos incognitus mendicauit. At postquàm vulgatum est, vocem diuinitus allatam, Alexium mendicum in Ecclesia recipiendum, videns ibidem miraculum illud honori sibi futurum, Laodiceam est profectus, à Laodicea Tharsum, à Tharso rediit Romam in paterna domo pro peregrino pauperculo susceptus, alios septendicem durauit annos in summa rerum inopia, statúque miserabili, nec ipsis genitoribus suis sese manifestans, ob hoc solum, ne agnitum honore afficerent. In exitu vitæ & quis & quantus esset, apparuit: hoc signis prodigiisque instanter editis: illud chirographo in manu defuncti reperto, ac rei ordinem in dicante, tũc

scilitet cùm iam superato vanæ ambitionis periculo, secura humilitas ad cælos properabat, veræ & immortalis gloriæ honore semper fruitura. O beatũ, ò felicem illum qui sic se humiliat, vt sic exaltetur! ibid.

De Elisabeta Pannonum Regis filia.

Elisabeta Pannonũ Regis filia, & Lãtgrauij Turingiæ principis coniux, Deo gratificari cupiens, non alienum à dignitate sua putauit, mendicum quẽdam infirmum obsitum, squalidum, olidum suo recipere sinu, suísque manibus crinem illius pectere, tondere caput, lauare totum corpus, quantum licuit, à pedore, sordibúsque vindicare: multos præterea eiusdem sortis pauperes visitare, benignè consolari, ad patientiam exhortari, cibos porrigere potum propinare, modis omnibus opem ferre, & vlceratorum plagas contrectare, tegere, linire, circunligare: & si quando fasciæ deficerent, sui capitis velamento obuoluere: denique defuncto viro Lãtgrauio, cùm multorũ pauperum capax construxisset habitaculum, semet illis in ministerium dedit. Ibi puerum quẽdam ventris profluuio laborantem ipsa in suis vlnis ad exonerandum aluum etiã noctu consurgens, pluries portauit. Ibidẽ mulieris leprosæ curam habens, omnia illi libenter præstitit, officioséque ministrauit, quæ ipsa per infirmitatem non poterat. posthæc non est passa, se ab ancillis vocari dominam, sed sororẽ, & eis aliquò de industria emissis, ipsarum interim munus vsurpabat vasa lauando, coquinam parando, pauimenta verrendo, vtensilia suis disponendo locis, cæteráque diligentius exequendo, ancillis etiam se magis infimam fecerat. Nunquã tanta mulier ad tantam humilitatem descendisset, nisi prius ardentissimæ charitatis feruore medullitus incaluisset. Nihil quippe tam paruum, aut tam vile est, vt id se ducat indignum, qui perfectè diligit. ibidem.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Brigida virgine.

Brigida etiã virgo licet Abbatissam gereret, minorem tamẽ se iis, quibus præerat, exhibebat. Quasdam in monasterio lõga valetudine oppressas, vt saltem squalore leuarentur, lauari iusserat: sed ancillis sororibúsque cunctantibus, protinus ipsa accedens lauit, tantúmque humilitatis Abbatissæ fuit meritum, vt illæ lotæ, è vestigio sanarentur. Tres erãt diuersis infirmitatibus laborantes, alia paralytica, alia dæmoniaca alia vero leprosa. magnum miraculum fuit, tales languores curasse: sed non minus mira extitit humilitas, sic affectas lauisse: & quidem (opinior) parem virtuti datam fuisse gratiam, vt quæ dignata est lauare, ipsa etiam mederi posset. ibid.

DE OBEDIENtia, Nostrorum exempla.

De Christo Iesu.

IPse Dominus noster Christus Iesus, vt nobis obedientiæ suopte exemplo præberet documentum, parentum obsequio subdi voluit. Et erat, inquit Euangelista, subiectus illis: & hoc quidem, cùm iam sapientia & ætate & gratia proficeret apud Deum & homines. Et ne puerorum more blanditiis, aut metu subiectum fuisse putes, non fuit infirmitatis, sed pietatis & liberi gratuitique obsequij ista subiectio. Qualiter autem & cælesti Patri obsequendum esset, monstrauit, cùm diceret, Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, &, Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me, Patris. Et Descendi de cælo, non vt faciam voluntatẽ meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Et ad Patrẽ, Non sicut ego volo, inquit, sed sicut tu. Diuisit volũtates hominis et Dei Deus et homo Christus: vt discamus diuinã volũtatẽ semper humanæ præferre, & carnis affectum spiritus affectui subiugare. Denique Apostolus de illo, Humiliauit, inquit, semetipsum factus obediẽs vsque ad mortem, mortẽ autem crucis. Marul. lib. 1.

Quòd autem Episcoporum, Abbatúmque, & aliorum, qui præsunt, iussa mandatáque sine cunctatione capessenda sint, etiã cùm nobis minus rationis habere videbuntur, Petri Apostoli exemplo patet. Non lauabis mihi pedes in æternum, inquit: indecẽs & indignum ratus, vt dominus officio fungatur serui, & seruorum quasi dominorum suorum lauet pedes. sed quod indecens esse non poterat quicquid ille iuberet, mox intellexit, cùm audiuit, se non habiturum partem cum ipso, nisi lauari permitteret. Ideo protinus exclamat obediens, Domine, non tantùm pedes, sed & manus & caput. Nos igitur quicquid Præpositi nostri nobis iniunxerint, prius idipsum exequi, quàm causas, quamobrem, inquirere, curemus. Præposterum enim videtur, vt cuius officium est obedire, is de Seniorum sententia iudicet. ibidem.

De Paulo Monacho.

Paulus Monachus cognomẽto Simplex Antonij discipulus, cùm primitus mysteriorum ignarus quæsisset, esset ne Prophetis prior Christus, ineptam interrogationem silentio diluere iussus, triennio tacuit. Posthæc cùm multa illi absurda & superuacua experiundæ tantùm obedientiæ causa, imperarentur, veluti necessaria, perficere nunquam distulit: sicuti aquã haurire, & haustam effundere, vestes dissuere, & easdem dissutas iterum consuere, & alia huiusmodi: quæ ille, nõ quòd friuola futiliáque essent, sed quòd iussa perpendens, libenter exequebatur, & diligenter implebat. ibidem.

De quodam Monacho.

Frater quidam ægrotans in monasterio Scythi, cum adire ciuitatẽ pararet, curationis gratia, & Moyses Abbas à propo-

sito illum deterreret, simúlque prædiceret, si discessisset, fornicatione polluendum, iniussu eius abijt, & mulierem, quæ languenti ministrabat, cùm conualuisset, vitiauit. Quantò illi melius erat, morbo perijsse, quã peccato? Mori timuit, & multò grauiorem mortem incurrit, dũ obedire negligit. ibidem.

De Ioanne Abbate.

Idcirco quidem Ioannes Abbas in Scythi, quem sol iratum nunquam vidit, ex hac vita ad meliorem migraturus, præcipuum discipulis suis documentum relinquere volens, nunquã quicquam se ex sententia sua egisse dixit, sed Seniorum: nunquam aliquid docuisse, quod prior ipse non fecisset. Hoc erat propriæ renunciare voluntati, & in docendo nihil præsumere: in hoc ille summã penè virtutum putauit, qui dum decederet, fratres suos plura monere, necessarium non esse censuit. ibidem.

De altero Ioanne.

Ioannem alterum apud Lycũ Thebaidis oppidum commorantem, obedientiæ virtus eò prouexit, vt futurorum præsciuum faceret huic obsequij experiũdi causa Abbas præcepit, vt palũ aridum in terra defixũ, aquã, quæ duo millia passuum à monasterio distabat, bis per diem aduecta, totidem vicibus irrigaret. cùm vidisset neque labore illum defatigari, neque ligni nunquam ad viriditatem redituri desperatione commoueri, post annum in tali opere consumptum interrogat, an lignũ illud iam radices egisset: & se nescire respondentem, euerso ligno, ab irrigatione desistere iussit. ibidem.

De eodem.

Aliud deinde obedientiæ eius periculum facere volens, cùm multi adessent promptitudinis eius in obsequendo fama exciti, mandauit, vt de cellario lenticulam, quæ oleo plena erat, proferens per fenestram proijceret, tantillum olei illis erat, & quidem in deserto, vbi is liquor ne-

que mutuò sumi, neque emi poterat: cõcitus tamẽ ipse, nõ inopiæ nõ loci rationẽ ducens, quod iubebatur, perfecit. ibidem.

De eodem.

Aliàs quoque saxum ingẽs, & quem multi simul mouere non valerent, soli vt aduolueret, Abbas præcepit. Tunc ille quidem toto conatu frustra nitens, vires experiri non cessauit, donec multo sudore madentem, iam quiescere idem Abbas iussit. Hac obsequiorum simplicitate Ioannes prophetandi donũ consequutus, in magnis bellorum difficultatibus Theodosiũ principem, ne cum hoste congredi timeret, suis animauit oraculis certissimo victoriæ euentu: ita vt ille deinceps certamẽ nullum iniret, nisi ipso consulto. Igitur qui olim omnibus Abbatis sui iussis fuerat obsequutus, eius deinde responsis obediuit Imperator. ibidem.

De Albino Andegauensi Episcopo.

Albinum Andegauensem, Episcopum, dum adhuc adolescens in monasterio degeret, ad perficiendum Abbatis mandatum pergens, effusam repente imbrem sub tecto declinasset, eo procellæ vi diuulso ac perpluente, cæteris, qui illuc conuenerant, haud parum madefactis, ipsum solum aqua non aspersit. Mirabãtur omnes, & cum audissent eum ab Abbate missum iter facere, miraculum obedientiæ merito imputarunt. O prægrandis virtus, quam inanimatum elementum ita reuerituum est, vt attingere non auderet. ibidem.

De Guillielmo monacho.

Guillelmus Aquitaniæ quõdam & Prouinciæ dominus, postea verò ita humilis Monachus, vt nihil tam paruum, neque tam infimum esset, quod se indignum iudicaret, dum id sibi faciendum Abbatis autoritas iniunxisset. Iussus ergo aliquando panes coquere, cùm iam tempus cœnæ instaret, cõfestim succendit fornacem, rutabulo

Universidad de Deusto Biblioteca

ignem circumuertit, sed scopã, qua prunas euerreret, locúmque ponendis panibus aptaret, non habuit: insiliens ergo in fornacem, melote pro scopa est vsus. Tum demum coctos panes fratribus nihilo tardius, quàm res poscebat attulit, nulla corporis, aut indumentorum parte læsa, vt propensæ obedientiæ alacritatem intelligas, & inter pericula securam, & inter infima nobilem. Factus erat hic quidẽ de Aquitaniæ Prouinciæ quæ domino Monachorum furnarius: sed de Monachorum furnario factus est regni cælestis perpetuus possessor, terræ Regibus maior, Dei angelis par. ibidem.

De Berchario Abbate.

Bercharius Lexouiensis monasterij Abbas antequam præesse cœpisset, singularem apud omnes obedientiæ suæ commendationem miraculo auxit, dum vinum de cado in vrnam traheret, ab Abbate vocatus, relicta vrna festinus cucurrit: vinum verò sicuti fluebat, repleta vrna, non est effusum: sed sic stetit, acsi gelu concretum esset, donec ille reuersus, cadi foramẽ tereti in mucronem ligneolo obturauit. Tunc qui aderãt, haud dubitarunt, quin hoc illi alacris admodum, atque impigræ obedientiæ merito contigisset: vt qui se totum Abbatis voluntati libenter tradiderat, ad eius votum fluentis naturæ liquor pro tempore suspensus perstiterit. ibidem.

De Diuo Hieronymo.

Diuo Hieronymo leo obsequium præstitisse dicitur, asellum monasterij ad pascua educere, pascẽtémque comitari suetus, agasonis fungebatur officio: sed asello amisso, iussus ipse ligna dorso deferre, onerari se multa cum mansuetudine patiebatur, donec postea inuentum asellum, ante se ad monasteriũ agens, reduxit. Ecce bruta animalia seniorum iussis obsequũtur, & homo rationis capax audet refragari? Certè quisquis eorum restiterit imperio, hoc exemplo feris belluis asperior irrationabiliórque conuincetur. ibidem.

De quodam Monacho.

Fratrem quendã refert Cassianus non obscuro loco natum, cùm relictis mundanæ conuersationis rebus religioni sese tradidisset, sportulas venales Abbatis iussu publicè circumtulisse, vnamquanque singulatim distrahendo, ea tantùm de causa, vt diutius in foro esset, & an illum tam abiectæ negotiationis puderet, longiore experiẽtia plenius nosceretur, omnia summa animi constantia, curáque peregisse, postposita generis nobilitate, sanctæ obedientiæ humilitati, ne stiuam manu tenens, & aspiciens retro, ineptum se faceret regno Dei. ibidem.

De Mutio Abbate.

Idem autor, Mutij Abbatis miram obedientiam, ac nisi veteris instrumenti par exemplũ ei astipularetur, penè incredibilem enarrat, dicens eum vnico filio suo non pepercisse, vt Abbati obediret. Vnà enim cum illo paruulo adhuc monasterium ingressus, vt cellulis dispararẽtur sustinuit: & cùm puer de industria in conspectu eius increpitaretur, verberaretur, miseris acciperetur modis, neque lachrymis, neque clamoribus eius moueri potuit, vt verbum vnum proferret: denique simulata in puerum indignatione, Abbas patientiam pariter obedientiámque Mutij quammaximo probaturus argumento, iußit, vt arreptũ filium efferret, & in proximum flumen suffocãdum iactaret. nihil moratus ille, vnicum vt mergeret, tulit: sed quibus negotium datum erat, cùm ad ripam fluminis ventum esset, sese opponentes, inhibuerunt. Posthæc Abbati reuelatur, Mutiũ Abrahæ patriarchę obedietiæ merito cõparãdũ, dignúmque, cui post se Monasterij cura cõmitteretur. Cùm hoc ita sit, quis dubitat quin præpositorũ iussa perinde seruanda sint, ac Dei, parique sedulitate adimplenda?

De Lamberto Traiectensi Episcopo.

Lambertus Traiectensis Episcopus, cùm inuidorum malignitate Episcopatu motus, ad monasterium Scabolanense cõfugisset, monachalem seruans vitæ modum, & nocte quadã ad orandum à lectulo desiliens, percusso pedibus pauimento, strepitum fecisset, Abbas eo quòd silentij ea hora erat, quasi subindignè ferẽs, voce sublata ait, vt quisquis illud culpæ commisisset, continuò ad crucem exiret, non antequam diei crepusculum esset, reuersurus. Crux autem ipsa extra monasterij septa subdio erecta stabat: repetè itaque Lambertus sicut nudis pedibus adhuc & cilicio tantùm indutus erat, abiit, & hoc quidem brumæ tempore, vt multi mirarentur, quomodo algore cõtractus non expirasset, manè semiuiuum reduxerũt, & Abbas veniam petiit, affirmans, nunquam se putasse hoc monachorum aliquem facturũ, nedum Episcopum. Ideóque ioco magis quàm serio verbum protulisse: hac tamen obedientiæ subiectione Lambertus meruit, in Episcopatus sui sedem restitui, & tandem martyrio coronari. ibidem.

De duobus adolescẽtulis.

Non minus constantis, licet minus prudentis obedientiæ est exemplum, quod sequitur: Ioãnes Abbas eremique Scythi œconomus ficus de Mareote Libyæ sibi muneri missas duobus adolescentulis ad senem quendam procul in vlteriore deserto manentem deferendas dedit: quos dum iter agerent, nubilosa circunfudit caligo, ita vt quò pergerent nescirent. Per vastã igitur errando solitudinem, diẽ noctémque consumpsere, senis cellula nusquam inuenta: cúmque diu expectati non redirent, reperti sunt positis genibus animas efflasse, illibatis ficubus, quas secum tulerant. Siquidem inedia perire, quàm Abbatis præuaricari mandatum, maluerunt. Quòd si id rectè, nescio, cùm mandantis voluntas non eò tenderet, vt innocentes discipulos confici vellet, & escam, quam in manibus habebant, non gustare: illi tamen stupendæ cuiusdam constãtiæ præbuerunt exemplum. ibidem.

De Gallo Columbani Abbatis discipulo.

Columbanus Abbas Gallo discipulo inobedientiæ crimen obiecisse dicitur, quòd ad Ligonem fluuium piscationem fecisset, quam ad fluuium Bruscam facere iussus fuerat: Gallus autem vtrùm in hoc, an in illo fluuio piscaretur, nihil referre arbitratus, dummodo opus quod iubebatur, peregisset, tum demum aduertere animũ cœpit, secúmque cogitare, quòd ideò fortasse sine piscibus redisset, quia cuncta quæ iussa fuerant, non plenè fuisset exequutus. Itaque iterum tentata piscatione, multisque in illo, quod sibi assignatum fuerat, flumine captis piscibus, didicit mandati non rem solùm, sed etiam verba singula diligentiùs esse perpendenda. ibidem.

De Venerio Monacho.

Venerij quoque Monachi obedientia non est silentio inuoluenda, cùm & ipsa plurimis documento esse possit. hic solitariæ vitæ cupiditate ardens, inscio Abbate discesserat, tugurioluméque sibi posuerat in deserto. Cæterùm à sancto Romualdo reprehensus, quòd absque præpositi sui permissu monasterium reliquisset, ideóque cassò & infructuoso labore ipsum cælum versus niti, quandiu inobedientiæ premeretur grauitate: non distulit, quin statim ad Abbatem suum rediens, & culpæ veniam rogaret, & in solitudine viuendi copiam, vtroque impetrato, iam certiore promerendi spe, Christo solitarius seruiuit. Igitur ex beati Romualdi sententia, & Venerij exemplo faciet quisquis, qui ad distractioris vitæ institutũ non nisi eo, qui præest, consulto, ac permittente transierit. ibid.

De Elizabeta Regis filia.

Elizabeta Regis filia adeò

vnà omnibus ferè affluit virtutibus, nolens, ne in ipsa quidem mariti domo suo viuere arbitrio, Conradum mendicum & religiosum senem sibi magistrum adsciuerat, cuius imperio ac nutu in viam Domini dirigeretur. Igitur die quadam illo iubente, vt ad audiendum Dei verbum Ecclesiam peteret, Marchionissæ Mesenensis improuiso superuentu præpedita, ire omisit, ne si tantam fœminam modò domi exceptam tam citò reliquisset, parum honori habuisse videretur. Non accepit excusationem Conradus, & vt inobedientiæ culpam flagellis diluerat, mandauit: continuò illa positis vestibus, linea tantùm tunica, quæ nuditatem tegeret, derelicta, ipso spectante tam diu se loris diuerberauit, donec idem, vt cessaret præcepit. Minus obsequiosi animi argumentum edidisset, si tunc ad ecclesiam, cùm iussum fuerat, accessisset: leui in re non obediuit, vt in multò difficiliore se obedientem probaret. ibid.

De Euphrosina virgine.

Euphrosina virgo Pafnucij Alexandrini filia Smaragdus Monachus dicta, & credita, quoniam illi multus in vultu decor inerat, quocunque se verteret, omnium in se oculos conuertebat: hanc ob rem ne fratrum mentes Deo intentas præsentia sua labefactaret, iussa est cellulæ suæ ianuam vltrà non egredi, sed ibi humanis pariter diuinisque defungi officiis. Paruit non libenter minus, quàm constanter, octo & triginta annos carcerem passa perpetuum. Tunc tandẽ, quòd fœmina fuisset, deprehẽsum est, cùm defunctæ corpusculum de more lauarent. O patientiam animi incredibilem, qua sustinuit tanto tempore sexum vestibus se cella tegere, vt & Christo seruiret, & Abbati obtemperaret. Quãti autem meriti esset apud Deum, miraculo patuit: frater quidam cadauer osculatus, oculum, quem olim amiserat, integrum recepit. Illa igitur, quæ obediẽdo, oculis omnium se subtraxerat, dum viueret, mortua postea solo tactu reparare erutos

poterat. ibidem.

DE INFANTIA, & pueritia insigni, Græcorum exempla.

De Semiramide.

SEmiramis fœmina illustris infans penè prius periclitata est, q̃ in lucem edita. Iacuit infans circa Syriæ stagnum, vel alimoniæ defectu mox interitura, nisi aues stagni accolæ iacenti alimenta peropportunæ ministrassent: hinc sublata inter regios pastores alitur: adulta regia fit coniux. Demum sub aliena persona non modò regnum tenuit, sed insigniter etiam auxit: tanta fuit vna in fœmina indoles, tanta fatorum vis omni indole potentior. Sab. lib. I.

De Pyrrho Rege Epirotarum.

Pyrrhus Æacidæ filius regia domo excidit, prementibúsque à tergo hostium telis, in tormẽti speciem trans flumen lancea contortus, ægrè seruatus est: dein Glauciæ regi commendatus, ad eius pedes miserabiliter obrepsit infans, reptatu (quando verbis non potuit) risúque tempestiuo suam Regi salutem commendaturus. adultus, & in regnum restitutus, Italiam concussit bello, Siciliam subegit, Macedoniam suis opibus adiecit, Lacedæmoniam fatigauit, per quæ tantum est gloriæ adeptus, vt imperatoria virtute clarissimi ducis iudicio vni veterum imperatorum, Alexandro videlicet Regi cesserit, qui nulli fuit bellica gloria secundus. ibidem.

De Cyro Rege.

Similia sunt, sed propiora vero quæ de maiore Cyro memorantur, in quo de canis nutricatu ægrè posteritas Græciæ astipulatur. certior fama, Cyrum confestim à Mandanæ matris partu Harpago datum, vt ferarum laniatui exponeretur, nutritúmque magis casu, quàm

Harpagi consilio apud regium bubulcum. Cæterum agnitum Astyages maternus auus, non ausus fatis ire obuiam, præstitit eum incolumẽ: sed non tã pertinax fuit vis illa, per quam seruatus est in eius infantia & pueritia tuenda, quàm postea præsens in regno adipiscẽdo, famáque in omne æuũ propaganda. ibidem.

De Alexandro Magno.

Alexãder puer adhuc præclarum deposuit apud Leonidẽ Pædagogum futurę munificentiæ rudimentum. siquidem aris admotus sacrorum causa, quũ largius thura focis congereret, Sic sacrificabis, inquit, ille quũ Arabiam subegeris. Cuius ille vocis memor robustus Rex, & iam victor, thuriferis gentibus bello subactis, nauim ad eum thure onustam misit, præcipiẽs, vt cùm Diis parcus esse desineret, qui secum tam benignè agerent. ibidem.

De Alcibiade.

Nec in Alcibiade minor vnquàm indoles virtutis vitiorúmque fuit, quem nescias gloriarine magis Athenæ debeãt, quòd genuerint, an dolere: nec enim tã strenuè pro patria bellando, imperiũ auxit, quantùm postea factus illi hostis afflixit. Is sanè à pueritia, qualis vir futurus esset, facile documentũ dedit qui ad Periclem auunculum deductus, cùm subtristem illum conspicatus esset, Ecquid est, inquit, auuncule, quòd doleas? illo verò respondente, cruciari se animo, quòd curati à se propylæi rationem minus aptè profusæ pecuniæ exposcenti populo reddere non posset, Quimmo, inquit, cogitandum tibi potius, quo pacto non reddas. Arripuit statim prudentissimus vir puerile monitum: & patriam adeò graui finitimorum populorum bello implicuit, vt solicita de salute imperij ciuitas, aliò mentem conuerterit. sicque Alcibiades patriã, quã factus vir postmodum euertit, iam tum puer viam, vt faciliùs rueret, ostendit, magno rerum publicarum documento, nunquàm his committendã Rempublicam adultis, qui à pueritia præcociorem improbitatem præ se ferant. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Romulo & Remo.

Romulus & Remus gemini fratres Amulij iussu sunt in Tyberim proiecti. Sensisse prouidus amnis videri potest fatale onus, futurúmque decus gentium in parte oneris periclitari, & cum vna anima extingui: sed siue id senserit ille, aut tanquam id sensisset, cõtraxit se illico, cùm fortè vberius solitò flueret, destituítque pueros tenui alluuione. Iacebat gemina proles cœno prouoluta, haud dubiè peritura, nisi auspicatissimo vagitu Martiã Lupam ad locum pertraxissent. occurrit huc non raptrix, sed nutrix (tanta est vis fatorum) & qui prædæ esse debuerunt, immiti feræ, pro alumnis fuere. Inde sublati, pastorum stabulis inferuntur, adultique regnum auo vindicãt, sibi nouũ condũt: quod domestico statim malo imbutũ perpetuæ deinceps discordiæ exagitandum reliquere. Sabel. lib. 1.

De Prætextato.

Age verò quid Prætextatus ille Quiritij generis, qua eũ indole fuisse putandum est? qui de more in Curiam à patre ductus, cùm res de qua die illo consultus fuerat Senatus, credita silentio esset, ísque domũ reuersus, à matréque appellatus, cùm non impensis precibus, non minis subigi potuisset, exarsit confestim muliebris animus, vt disceret quid illud esset, quod tã fido premeretur silẽtio: incredibili denique cognoscendæ rei cupiditate, & vt prona est in vetitum hominis natura, præsertim impotentioris sexus, variè versando, eò pueri mentem perpulit maternis precibus imparẽ, vt mendaciũ confixerit Prætextatus, ad muliebrem intemperiẽ mitigãdã peropportunum. fide enim à

matre priùs accepta, fore, vt rẽ in occulto haberet, Decretũ, inquit, est, vt ad propagandã sobolẽ liceat viris plures vxores ducere. Hic bona mulier nõ tantũ nõ fidẽ prestitit, sed precipiti fama per vicinia primò, dein per vniuersam vrbẽ dissipata, autor fuit, vt postridie illius diei ingens matronarum numerus in vestibulũ Curiæ conuenerit. Mirari primores Patrũ insuetos matronarum cœtus: vbi quid querelarum attulissent, cognitum est, & quid puer commentus esset ad tegendũ Curiæ secretum, irrisit vniuersus ordo muliebrem leuitatem, stultámque credulitatem. Puer publicè laudatus, datúmque vt vni puerorum omnium Curiam ingredi posthac liceret. ibid.

De Marco Catone.

Marcus Cato, cui ex morte Vticensis cognomen obtigit, & patriæ & ciuium suorũ se vindicem præbuit puer adhuc. Is L. Syllæ carnificinã verius quã domũ officij gratia cum Sarpedõte pædagogo ingressus, posteaquam inde dimissi sunt, sciscitatus est ex eo, ecquorũ esset hominum capita illa, quæ tam multa numero, & à tã multis ad Syllam deferrẽtur: cùm Romanorũ ea esse ciuiũ, ac ferè principum ciuitatis, & à L. Sylla proscriptorum audiuisset, Debuisses, inquit, mihi ferrum exhibere, vt tam atrocem vindicarem iniuriam. ibid.

De C. Cæsare puero.

Sed quàm hic libertatis studiosus, tam C. Cæsar, qui post Syllã Dictator fuit dominatus & regij nominis cupidus. enim verò puer adhuc semper tragicum illud in ore habuit, Sic ius violandum est humanum, regnandi causa violari debet. Cuperes naturam illam meliora voluisse: voluit enim vetita, & liberæ ciuitati, in qua natus erat. Sed quod puer optauit, adultº tenuit: paturiitque tener animus, quod maturus peperit. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Eustachij filiis.

Maximè memorabile est illud quod in Eustachij filiis euenisse proditum est: fuit is militiæ magisterio clarus Traiano principe: sed post multò clarior martyrio factus. Exercebatur vir fortis per clades & ærũnas ad cælestis militiæ præmia: bonísque fortunæ aliis alio casu amissis, vxore postremò piratica vi adempta, cùm filios duos nõdum crepundiis egressos vado fluminis traijceret, vnum post alterum amisit. Enimuerò repetens quem priore ripa reliquerat, dum medium tranat amnem amborũ solicitus, vterque, hic feræ lupæ, ille leonis incursu è patris conspectu abripitur. Sed quàm flebiliter fuerũt illi amissi, tam feliciter postea sunt prouidentia reperti, parentibúsque non sperantibus restituti. Sabel. lib. 1.

De Bernadino Senensi.

Bernardinus Senensis pupillari ætate Dianæ materteræ cõmendatus prandioli partẽ pauperibus impartire solitus, cùm fortè vnicus esset panis domi, prohiberetúrque infringere, portionem petijt suam, quam precariò adeptus mendico obtulit. ibidem.

DE INSIGNI adolescentia, Græcorum exempla.

De Alexandro Magno.

Alexãder Philippi filius, qui Bucephalum equũ insignẽ à patre nuperrimè emptum, cùm à nullo subigi posset, vt equitem pateretur, primus indomitæ peruicaciæ domandæ rationem ostendit: mox præter omnium opinionem quadrupedem ascendit, ac citro vltróque effusis aperto campo habenis, ad lassitudinem agitauit. Quam in filio indolem vigorémque exosculatus Philippus, dixisse fertur, Aliud tibi regnum quæras fili: nam te

Macedonia nõ capit.Sabel.li.1.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Africano Maiore.

P.Scipio,qui primo ex Africa bello victa cognomen reportauit,puer adhuc primo suo tyrocinio Scipionẽ equestri prælio,quod cum Pœnis est ad Ticinum amnem commissum,graauiter vulneratũ,& ad terram afflictum ,in aduersum hostiũ globum ferociter inuectus,periculo seruauit,adolescens non solùm ciuica corona dignus , sed immortalitate etiã nominis, ad quã præmatura virtus cum argumento pietatis manifestum illi patefecit iter.Sab.lib.1.

De eodem.

Ad eundem capta Carthagine in Hispania,cùm perducta esset, etsi admodum adolescentem,puella nobilis,atque elegãti forma, hanc ille castè sanctéque in suorum aduentum custoditam adolescenti nobilissimo, cui desponsata erat,intactam & sine pretio restituit:illud duntaxat cum eo pactus,vt amicus inde esset Romani populi, et vt in animum induceret,in Romana ciuitate multos esse viros sui similes.ibid.

De eodem.

Idem Romanis legionibus ad Aufidiũ in Apulia cæsis,cùm nobiles quidem adolescentes ex acie elapsi de Italia relinquenda consilia agitarent,ad eos stricto ferro repente ingressus, adeò terruit,minaciter instans,vt nõ solũ proposito auerterit,sed passi sint etiam à se iusiurandum exigi,de patria non nisi cũ vita relinquenda.ibid.

DE SENECTVte, Græcorum exempla.

De Isocrate.

Isocrates quarto, et nonagesimo anno vitæ librũ edidit, quẽ Panathenaicũ inscripsit:superfuit operi annos quinque, fuitque extrema ætas par suscepto labori,viribus, iudicio,memoria:quæ omnia nisi illi abundè affuissent,nunquàm in tantũ æui profectus, tam seria scribere potuisset.Sabel.li.1.

De Gorgia Leontino.

Leõtinus Gorgias huius magister,qui centum & septẽ vixit annos:nec tamen tam longæuus ab opere,& studio cessauit vnquàm.Hic idem cùm ex eo quæreretur,cur tam diu vellet in humanis esse , Nihil est, inquit,cur adhuc ætas à me accusare possit . Iucundus , & optabilis vitæ cursus, cui tãtus annorum numerus nihil abstulit,autoritatẽ verò multò maiorem reperit.ibid.

De Phocione Athenienſi.

Memorabilius hoc in Phocione Athenienſi,qui quadragies quinquies cũ imperio præfuit exercitui . Potuit gregarij militis vita illustrari , si quis tot stipendia fecisset , quot ille obiuit imperia.ibid.

De Masinissa Rege.

Masinissa Rex populi Romani amicissimus sexaginta regnauit annos:nonagenarius sine ephippiis equum ascendit, nudo capite,pedibúsque iter fecit:procreauit & filium extremo vitæ tempore. Et quod in eo maximè fuit memorabile , suprema ætate confectus , cum opulentissimo Carthaginensium exercitu collatis signis prospero Marte dimicauit.ibid.

De Arganthonio Gaditano.

Arganthonius autẽ Gaditanus tandiu regnauit, quãdiu etiã ad sacietatem vixisse abũdè foret.Octoginta enim annis patriã suam rexit, cùm ad imperium quadragintа annos natus accessisset:cuius rei certi sũt autores Asinius etiam Pollio non minima pars Rom. styli in tertio historiarũ suarum libro, centum illum,& triginta:annos expleuisse commemorat & ipse numerosę viuacitatis haud paruum exemplum.Max.li. 8.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Democrito Abderite Philosopho.

Democritus Abderites studiosissimus, atque idem doctissimus Philosophus omnem ætatem contemplando inuestigandóque consumpsit, solus in magna rerum inopia vitã ducens, & tamen centum ac nouẽ annos attigit, non morbo, sed longo senio mortuus!: quæ res experimento ostendit, studia minimè tẽpora de hominis vita deducere, sed eam incolumem ac longam præstare. Bapt. Fulg. lib. 8.

De Galeno Pergameno Medico.

Galenus Pergamenus medica arte vir excellens nos docuit, quantũ arte sua posset, semper enim prospera valetudine vsus est, & cùm deceßit, nullo antè morbo correptus est, ætate vsque ad centum ac quadraginta annos producta. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Numa Pompilio.

Magnum esset pietatis nomen Numę pompilij, qui Romæ secundus à Romulo regnauit, nisi stultitia verius, quàm iustitia, superstitio, non religio, habendus sit malorum dæmonũ cultus. Fuit autor, vt Marcia ciuitas, & ad id tempus rei bellicæ addicta, aris & sacellis dæmonum addiceretur. Dignus senex, qui meliora voluisset, nemo tenacior custos fuisset religionis, quippe qui hostiũ accessu repẽte nuntiato, Ego inquit, sacrificabo. Sabel. lib. 1.

De Cæsare.

Conflixit Cæsar Dictator cum hoste quinquagies collatis signis, quoties Romanorum ducum nemo. Verùm exacta ætate, & iam senescere incipiens, cunctatior factus est ad ineunda prælia: veritus, vt credere est, ne fortunam, quam toties secundam fuerat expertus, aduersam semel experiretur. ibid.

De

De Marco Marcello.

Maior in Marco Marcello iã sexagenario ferocia, maius bellandi studium, quippe qui per quietem sæpe sibi pugnare visus est. Optauit identidem, vt vno incluſus loco, cum Annibale omniũ, qui omni memoria fuerunt, ducũ ferocißimo, de summa rei armis decerneret, Hoc certè fuit, cur Rom. sit populi gladius dictus, cùm Fabius, qui cunctando vicit, clypeus diceretur. ibidem.

De Catone Maiore.

Cato Porcius, Quiritũ vnus, octogenarius filium genuit tam viuida senecta, vt ne cõsenuisse quidem videretur. Mira certè fuit tam intempestiua procreatio: sed illud æquè mirum, ne maius dicam, quòd multis contrà tendentibus, validis lateribus Voconiam legẽ populo suasit, ingenioso ad hæc argumento in difficili consultatione vsus. Autor fuit Carthaginis è medio tollendæ, frequẽti Curia testatus tam vicinam habere Romanum populum inimicã vrbem, & hostilia meditantem, quàm pomarium illud esset, vnde decerpta erat ficus, quam recentem in medium protulit. ibidem.

De M. Valerio Coruino.

M. Valerius Coruinus centesimum annum compleuit, cuius inter primum, & sextum consulatum quadraginta sex anni intercesserunt, suffecitque integris viribus corporis non solũ speciosißimis reipublicæ ministerijs, sed etiam exactißmæ agrorum suorum culturæ, & ciuis, & patrisfamiliæ optabile exemplum. Maximus. libro 8.

De M. Perpenna.

Iam de Marco Perpẽna quid loquar? qui omnibus quos in Senatu rogauerat, superstes fuit, septémque tantummodo, quos Censor collega Lucij Philippi legerat, è Patrib. C. reliquos vidit, toto ordine amplißmo diuturnior. ibidem.

T

Universidad de Deusto Biblioteca

De Appio.

Appij verò æuũ clade metirer(quia infinitum numerum annorũ orbatus luminibus exegit) nisi quatuor filios, quinque filias, plurimas clientelas, rem denique publicam hoc casu graiuatus fortißimè rexisset. Quin etiam fessus iam viuendo, lectica se in Curiam deferri iussit, vt cùm Pyrrho deformem pacem fieri prohiberet. Hunc cæcum aliquis nominet, à quo patria, quod honestum erat, per se parum cernens, coacta est prouidere? ibidem.

De Liuia Rutilij, Terentia Ciceronis, & Clodia Auli filia.

Mulieribus etiam vitæ spatium non minus longum in cõpluribus apparuit, quarum aliquas strictim retulisse me satis erit. Nam & Liuia Rutilij septimum, & nonagesimum, & Terentia Ciceronis tertium, & centesimum, & Clodia Auli filia quindecim filys antè enixis, quintumdecimum, & centesimum expleuit annum. ibidem.

De Lucio Terentio Bononiensi.

Eo censu, quem Vespasianus, ac Titus filius habuerunt, inuentus est L. Terentius centum annos impleuisse. Bapt. Fulgo. lib. 8.

De L. Tertulla Ariminensi.

Lucia Tertulla Ariminensis Vespasianorum censu, de quo dictum est, inuenta est centum ac triginta septem annos habere: item alia Fauentiæ duos supra centum atque triginta. ibidem.

De Augusto.

Mirum in Augusto notari potest, quòd cùm primus fuerit, qui Imperatoris nomen atque titulum sibi sumpsisset, sex ac quinquaginta annos imperium rexit, & post eum in tanto numero veterum imperatorum nullus (quanquàm in eis aliqui tenera adhuc ætate ad eum honorem ascendissent) in administratione eum annorum numerum impleuerit: etsi inter recẽtiores quidam satis propè accesserint. ibidem.

De Tito Fullonio Bononiensi.

Titus Fullonius Bononiensis in Claudij principis censura dinumeratis ab eo diligenter annis, ne qua inesset fraus, inuentus est annos centum ac quinquaginta superasse. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Aurelio Augustino.

Aurelius Augustinus cũ iam nonagenarius esset, nõ minus operosè exercuit diuinarum literarũ studia, quàm iuuenis media ætate fecerat. Scripsit itaque plura quàm quisque legerit, si verus est Possidonius. is decipi eum opinione credidit, qui omnia, quæ Augustinus scripsit, arbitraretur se legisse. Accessit his (quod hominis vel felicitati, vel sapientiæ potius assignari possit) autoritas tanta, vt nullius scriptis post euangelicam historiam Tarsensisque Pauli maior hominũ consensus accesserit. Sabel. libro. 1.

De Origene.

Sed quã Aurelij studia autoritate eminent, tantũ nec minus Origenis, scriptorum varietate: huius sena millia librorũ legisse se diuus Hieronymus scribit, vir vel maiore fide dignus. Nunquam rem tantam ponere essem ausus, vtpote vix dignam relatu, nisi tanti viri intercessisset autoritas. Auxerunt aliorum studia bibliothecas, ac per partes compleuere: vnus Origenes ingenij felicitate bibliothecam vnam, quanuis ingentem implere potuit. ibidem.

De Simone Cleophæ.

Simon Cleophæ secũdus Hierosolymarũ Episcopus sub Traiano Principe crucifixus fuit, satis robustus. cùm iam centũ ac viginti ageret annos. Bapt. Fulg. lib. 8.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Paulo primo Eremita.

Paulus primus Eremita caryotis, siue, vt aliud est nomen, dactylis, atque aqua nutritus, nonaginta annos prospera valetudine vixit, & postea cùm vitam egit centum ac viginti annorum erat. ibidem.

De Antonio Ægyptio & Cronio.

Antonius Ægyptius Abbas, qui austerè admodum vixit, integris viribus ac iuuentæ seruato decore, ad centesimum ac quinquagesimum peruenit annum: atque quinque annis plus eius comes Cronius vixit. ibidem.

De Narcisso Hierosolymarum Episcopo.

Illi annorum numero viuendo vndecim Narcissus superaddidit, qui Hierosolymarum Episcopus fuit, imperante Septimo Seuero Augusto. ibidem.

De Paccomio Abbate.

Quorundam, de quibus dictũ est, vitæ austeritatem Paccomius Abbas in Ægypto nono Honorij atque Archadij principum anno decessit, cùm iam ad centesimum decimúmque insuper annum peruenisset. Experimento enim nos docuit, non minus ad extendendam vitam sobrietatem prodesse, quàm ad corripiendam officere crapulã. ibidem.

De Attila Hunnorum Rege.

Attila Hunnorum Rex crudelitate insignis, anno Salutis quadringentesimo quadragesimoquinto decessit, cùm annos ætatis suæ centum ac quatuor & viginti impleuisset: tandiu fortasse Dei numine seruatus, vt corruptos imperij mores, posteaquam leniter non corrigebantur, Attilæ sæuitia mulctaret. ibidem.

De Ioanne Tampes equite Gallo.

Ioannes eques Tampes loco Gallico ortus, qui & ipse cum Carolo magno militauit, cùm iam vnum & sexaginta supra trecentos annos vixisset, imperante Conrado secundo, Salutis anno supra mille cẽtesimo quadragesimo sexto decessit. Eius, itémque aliorum (de quibus dictum est) exemplo satis intelligi potest, nulla re certius mortem accersiri, quàm senio. ibidem.

DE MORTE NON vulgari, Græcorum exempla.

De Coma fratre Diogenis.

Coma frater Diogenis maximi latronum ducis ad Rutiliũ Cõsulẽ, Enna, quã prædones tenuerant, in potestatem nostrã redacta, productus, cùm de viribus & conatibus fugitiuorum interrogaretur, sumpto tempore ad se colligendum, caput operuit, innixúsque genibus, compresso spiritu inter ipsas custodum manus, inque conspectu summi imperij exoptata securitate, acquieuit. Torqueant se miseri, quibus extinguí, quàm superesse vtilius est, trepido & anxio consilio, quánam ratione vita exeant, quærentes ferrum acuant, venena temperent, laqueos apprehendant, vastas altitudines circũspiciant, tanquam magno apparatu, aut exquisita molitione opus sit, vt corporis atque animi infirmo vinculo cohærens societas dirimatur. Nihil horũ Coma: sed intra pectus inclusa anima, finem sui reperit. Enimuero minimo studio retinendũ bonum, cuius caduca possessio tam leui afflatu violentiæ concussa dilabi potuit Maxi. lib. 9.

De Aeschylo Poëta.

Æschyli verò Poëtæ excessus, quemadmodum non voluntarius, sic propter nouitatem casus referendus. In Sicilia mœnibus vrbis, in qua morabatur, egressus, aprico in loco resedit, super quem aquila testudinem ferens elusa splendore capitis (erat enim capillis vacuum) perinde ac lapidis eam illisit, vt fractæ testudinis carne vescere-

Universidad de Deusto Biblioteca

tur, eóque ictu origo & principium fortioris tragœdiæ extinctum est. ibidem.

De Homero Poëta.

Non vulgaris etiam Homeri mortis causa fertur, qui in insula, quia quæstionem à piscatoribus propositã soluere nõ potuisset, dolore absumptus creditur. ibidem.

De Euripide Poëta.

Sed atrocius aliquantò Euripides finitus est. Ab Archelai enim Regis cœna in Macedonia domum hospitalem repetens, canum morsibus laniatus obijt. Crudelitas fati tanto ingenio non debita, sicut ille excessus illustrium Poëtarum & moribus & operibus indignissimi. ibidem.

De Sophocle.

Sophocles vltimæ iam senectutis cùm in certamen tragœdiam dimisisset, ancipiti sententiarum euẽtu, diu solicitus: aliquando tamen vna sententia victor, causam mortis gladium habuit. ibidem.

De Philemone.

Philemonem autem vis risus immoderati abstulit. paratas enim ficos atque in conspectu positas, asello consumente, puerum vt illum abigeret, inclamauit: qui cùm comestis omnibus superuenisset, Quoniam, inquit, tam tardus fuisti, da nunc merum asello, ac protinus vrbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosequutus, senile guttur salebris spiritus prægrauauit. ibidem.

De Anacreonte.

Anacreontem bis tantùm humanæ vitæ modum supergressum, dum passæ vuæ succo tenues & exiles virium reliquias foueret, vnius grani pertinacior in aridis faucibus humor assumpsit. ibidem.

De Milone Crotoniate.

Milo Crotoniates, cùm iter faciens, quercum in agro cuneis adactis fissam vidisset, fretus viribus, accessit ad eam, insertisque manibus diuellere conatus est, quas arbor excussis cuneis, in suam naturam reuocata compressit, eúmque cum tot gymnicis palmis lacerandum feris præbuit. ibidem.

De Polydamante.

Item Polydamas athleta tẽpestate speculã subire coactus, nimio & subito incursu aquæ labefactata ea, ac ruente, cæteris comitibus fuga periculum egressis, solus restitit, tanquam humeris suis totius ruinæ molem sustentaturus: sed pondere omni corpore humano potentiore pressus, imbribus petitam latebram, demẽtis fati sepulchrũ habuit. Possunt ij præbere documentum, nimio robore membrorum vigorem mentis hebescere, quasi abnuente natura, vtriusque boni largitionem, ne supra mortalem sit felicitatem, eundem & valentissimum esse & sapientissimum. ibid.

De Phasello Iudæo.

Nouum inuenit mortis genus Phasellus Herodis Antipæ frater, vt se ærumnis atque ignominia liberaret, cùm proditione à Parthis captus, Antigono hosti deditus fuit. nam cùm manus vinctas haberet, & omnis alia ratio citò moriendi adempta esset, tam grauiter muro caput allisit, vt statim acta anima ostenderet ingentis animi virum prohiberi morte nõ posse. Bapt. Fulgosus lib. 9.

De duobus ad bestias dãnatis.

Non minus quoque nouum industriæ genus duo ad bestias damnati repererunt, vt se à crudelitate ludibrióque redimerent, quem admodũ Seneca scriptum reliquit. nam cùm curru ad theatrum deportarẽtur, vbi feris obijciendi erant, alter eorũ cùm dormire se fingeret, adeò caput inclinauit, vt inter rotæ radios illud inuolueret, rotáque vertendo collum eius frangeret. Alter autẽ cùm obtinuisset, vt è curru leuandi ventris gratia descenderet, spongiã, quæ in publicis latrinis ad purgandũ anũ ligno affixa manebat, gutturi tanta vi inseruit, vt confestim præclusa anima periret. ibid.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Xenocrate Chalcedonio philosopho.

Xenocrates Chalcedonius Philosophus, quemadmodũ scriptũ est, noctu sine lumine domum perambulans, patellæ caput incommodè adeo allisit, vt eo effracto moreretur. ibidem.

De Thalete Milesio.

Thales Milesius cùm senio confectus ludos in theatro spectaret, sedens calore sitique inerijt. ibidem.

De Heraclito Ephesio philosopho.

Heraclitus Ephesius cùm hydropisim curandi gratia bouino stercore perunctus, sub sole maneret, fortéque solum is, qui ministrabat, eum reliquisset, à canibus cùm feram esse putarent, dilaniatus fuit. ibid.

De Diagora Rhodio & Chilone philosopho.

Præ gaudio quoque repente perierunt Græca vanitate capti Diagoras Rhodius, & item Chilon philosophus, cùm filios Olympicis ludis victores deoscularentur. ibidem.

De seniore Dionysio Syracusano Tyranno.

Pari leuitate motus senior Dionysius Syracusanus Tyrannus, qui magna felicitate potitus, modeste semper antea fortunam tulerat, accepto nuntio de victoria inter Tragæos parta, nimio gaudio repentè mortuus est. ibidem.

De Diodoro dialectico.

Diodorus dialecticus cùm tacitò, vt voluisset, quæstionem à Stilpone propositam non dissolueret, repentina anxietate pressus, animam egit. ibidem.

De Empedocle philosopho.

Empedocles philosophus Agrigentinus cùm locum Ætnæ montis inuestigaret, decidit fortunanter in igneam foueam, incendióq; consumptus est. Guido Exemplorum lib.

De Homero Poëta.

Homerus vir ille poëticæ disciplinæ scientissimus, cùm ad piscatorium responsum, Quæcunque cepimus, relinquimus: & quæcunque non cepimus, gerimus, dissoluere non potuisset, ira & stomacho cordicitus exuperans peryit. ibid.

De Archemoro Lycurgi Thracum Regis filio.

Archemorus Lycurgi Thracum Regis filius cùm super herbam prostratus iaceret, à serpente quodam superueniente vulneratus interijt. ibidem.

De quodam Rhodiorum legato.

Quidam Rhodiorum legatus vbi suam orationem coram Senatoribus perfecerat, & egredi vellet, in limine Curiæ statim expirauit. ibidem.

De duobus Argiuis fratribus.

Clebis & Biton Argiui fratres, qui matrem suam Iunonis sacerdotem impositam currui traxerũt equorum vice in templum, cùm ibi Deam mater oraſſet, vt quod optimum esset, filiis daret, subitò defũcti sunt: ibidem reuelante Iunone, melius esse finem laborum huius seculi terminare, quàm vlterius in laboribus seculum habitare. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Tullo Hostilio.

TVllus Hostilius fulmine ictus cum tota domo conflagrauit. Singularem fati sortem, qua accidit, columẽ vrbis in ipsa vrbe raptum ne supremo quidem funeris honore à ciuibus decorari posset, cælesti flamma in eadem cõditione redactum, eosdem penates, & regiam, & rogum, & sepulchrũ haberet. Maxim. lib. 9.

De duabus mulieribus.

Vix verisimile est in eripiendo spiritu idem gaudium potuisse, quod fulmen, & tamen idem valuit. Nuntiata enim clade, quæ ad lacum Trasimenum inciderat: altera mater so-

ſpiti filio ad ipſam portam facta obuia, complexu eius expirauit: altera cùm falso mortis filij nuntio mœſta domi ſederet, ad primum conſpectum redeuntis exanimata eſt. Genus caſus inuſitatum: quas dolor nõ extinxerat, lætitia conſumpſit. ibidem.

De M. Iuuentio Talua Conſule.

Sed minus miror, quòd mulieres M. Iuuẽtius Talua Cõſul Collega Tiberij Gracchi Cõſulis, cum in Corſica, quam nuper ſubegerat, ſacrificaret, receptis literis decretas ei à Senatu ſupplicationes nuntiantibus, intento illas animo legens, caligine orta ante foculum collapſus, mortuus, humi iacuit: quem quid aliud, quàm nimio gaudio enectum putemus? En cui Numantia, aut Carthago excidenda traderetur. ibidem.

De Q. Catulo.

Maioris aliquãtò ſpiritus dux Q. Catullus Cimbrici triumphi cum Mario particeps à Senatu datus, ſed exitus violentioris: namque ab hoc eodem Mario poſtea propter ciuiles diſſentiones mori iuſſus, recenti calce illito, multòque igni percalefacto, cubiculo ſe incluſum peremit: cuius tam dira neceſsitas maximus Marianæ gloriæ rubor extitit. ibidem.

De L. Cornelio Merula.

Qua tempeſtate Reip. Lucius quoque Cornelius Merula Conſularis & Flamen Dialis ne ludibrio inſolentiſsimis victoribus eſſet, in Iouis ſacrario venis inciſis contumelioſæ mortis denuntiationem effugit ſacerdotiſque ſui ſanguine vetuſtiſsimi foci maduerunt. ibid.

De Herennio Siculo.

Acer etiam & animoſus vitæ exitus Herennij Siculi, quo C. Gracchus & Aruſpice & amico vſus fuerat. nam cùm eo nomine in carcerem duceretur, in poſte illiſo capite, in ipſo ignominiæ aditu concidit, ac ſpiritum depoſuit: vno gradu à publico ſupplicio manúq; carnificis citerior. ibid.

De C. Licinio.

Conſimili impetu mortis Caius Licinius Macer vir Prætorius Calui pater repetundarum reus, dum ſententiæ dicerentur, in Menianum conſcendit: ſiquidem cùm M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, prætextã ponentem vidiſſet, miſit ad eum, qui diceret ſe non damnatum, ſed reum periiſſe, nec ſua bona haſtæ poſſe ſubijci. Ac protinus ſudario, quod fortè in manu habebat, ore & faucibus coartatis, incluſo ſpiritu, pœnam morte præcurrit: qua cognita re, Cicero de eo nihil pronuntiauit. Igitur illuſtris ingenij orator ab inopia rei familiaris & à crimine domeſticæ damnationis inuſitato paterni fati genere vindicatus eſt. fortis huius mors, illorum perridicula. ibid.

De Cornelio Gallo & Tito Ætherio.

Cornelius enim Gallus Prætorius & Titus Ætherius eques Rom. inter vſum puerilis veneris abſumpti ſunt: quanquam quorſum attinet, eorum cauillari fata, quos non libido ſua, ſed fragilitatis humanæ ratio abſtulit? ſine nanque vitæ noſtræ variis & occultis cauſis expoſito, interdum immerentia ſupremi fati titulum occupãt: cùm magis in tempus mortis incidant, quàm ipſam mortem accerſant. ibidem.

De Druſo Pompeio Claudij Cæſaris filio.

Druſus Põpeius Claudij Cæſaris filius cùm puero ludẽs, iactum in ſublime pyrum ore excepiſſet, idque altè in guttur deſcẽdiſſet, præcluſa anima, mortẽ obijt. Baptiſta Fulgoſus lib. 9.

De Fabio Senatore ac Prætore Romano.

Fabius Prætor hauſto in lacte pilo, præcluſo ſpiritu animã egit: adeò parua re hominis perſæpe mors conſtat, qui ſuperbè agendo, per amentiã Deo ſe nõnunquam æquare contendit. ib.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Sylla dictatore.

Sylla Dictator morbo pediculari dies suos finiuit. Guido. Exemplorum lib.

De Appiano & Prisco.

Appianus & Priscus effecti furiosi morsibus alternis sese dilaniauerunt, qui manè facto reperti sunt mortui.ibid.

De Aureliano.

Aurelianus eo die, quo Domitiani Imperatoris filiam in vxorem accepit, ad sonitũ ioculatorum tandiu iocatus est, quousque spiritum ibidem exhalauerit.ibid.

De Tarquinio Prisco.

Tarquinius Priscus cùm ad mensam sederet, os piscis ita transuersum est in gutture, vt nocte illa miserabiliter expirarit.ibid.

De Pompeio, Cæsare, & Crasso.

Pompeius, Cæsar, & Crassus, quibus omnes Chaldæi, Mathematici, cæterique aruspices (vt inquit Cicero) præclaro fine morituros eos in patria promisere, cæsi sunt omnes ferro, duóque longissimè ab Italia fuerunt inhumati, & morsibus expositi.ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Iouiniano Imperatore.

IOuinianus Imperator, cùm vrbem Romam peteret, Dadastanæ (qui locus inter Bithyniam atque Galatiam est) fumo, siue nimio prunarum calore, quæ in cubiculo ad ingens arcendum frigus positæ fuerant, suffocatus est inuentus. Baptist. Fulgo.lib.9.

De Attilla Hunnorum Rege.

Attila Hunnorũ Rex, cùm se, vt in Italiã reuerteretur, accingeret, vxore in Pannonia ducta, prima infaustarum nuptiarum nocte, cùm nimio vino cibóque pressus dormiret, manante à naso sanguine, et per os gutturpetente, prius enectus est, quàm quisquam rem illam præsentiret. Diuino enim nutu factum videtur, vt illi nimius sanguis guttur obstrueret, qui feræ potius quàm hominis auiditate ingentem nimis humani sanguinis vim cædendo vastandóque sparserat.ibid.

De Grimoaldo Lõgobardorum Rege.

Grimoaldus Lõgobardorum Rex nono die, postquàm, medicis curãtibus, in lacerto venam aperuerat, cùm arcu colũbam peteret, aperta repente vena, tantùm effudit sanguinis, vt cum sanguine vitam quoque ageret.ibid.

De Ioãne, qui Maurus dicebatur, Imperatore.

Dum arcu Ioannes Imperator Constantinopolitanus in Cilicia aduersus aprum vteretur, adeò magnis viribus arcum cõtraxit, vt sagitta manum, qua tenebat arcum traijceret. Quæ cùm veneno, vt in venatione moris est, ferrum illitum haberet, paucis diebus interijt, relicto Emmanuele filio imperij successore, Christi anno centesimo ac trigesimo post mille.ibid.

De Arrio Hęresiarcha.

Non inusitata modò, verùm prodigiosa quoque Arrij hæresiarchæ turpis mors fuit, qui quo die in vrbe Constantinopoli cum Alexandro catholico Episcopo disputãdum erat, dum leuare ventrem vellet, in sella familiari cum fæcibus omnia intestina effudit.ibid.

De Anastasio II. Pontifice.

Pariter Anastasius II. Pontifex cùm eadem hæresi laboraret, leuans ventrem, vt Arrius animam egit.ibid.

De Baptista Mirãdulano.

Baptista Mirãdulanus, cùm inclusus circunsepto campo dimicaret, atque hostem ingenti animo inuasisset, & is territus

eũ fugeret, statim in equo nutare Baptista cœpit. Itaque cùm putaretur vulnus accepisse, exarmatus, sine vllo vulnere, imò sine illatæ percussionis signo mortuo est inuẽtus, magna astantium admiratione: inter quos ego quoque interfui in eorum numero, quibus iudicandi de perduellibus datũ onus fuerat. ibidem.

De Fafilla Gottho Pelagij Portugalensis Regis filio.

Non minus sinistri casus euẽtu contigisse putata est Fafillæ Gotthi mors Pelagij Portugalensis Regis filij. in venatione enim ab vrso fuit interemptus. ibidem.

De Astulpho Longobardorum Rege.

In venatione quoque legitur ab apro interfectus esse Astulphus Longobardorum Rex. ibi.

De Folcho Hierosolymarum Rege.

Folchus Gallus Hierosolymarũ Rex cùm in Acri, id loci nomen est, leporẽ sectaretur, prolapso equo collum effregit. ibid.

De Ioanne primo Castulonensi Rege.

Ioannes quoque Castulonensis Rex equi casu detritus interijt. ibid.

De Friderico I. Imperatore & Sfortia Attendulo militari duce.

Fridericus I. Imperator cùm in Armenia in magno comitatu amnem vado trayceret, ruente ipsius equo, solus demersus est: etsi per errorẽ nonnulli scripserunt, id eum natando egisse. Sfortia quoque Attendulus Neapolitanum regnũ cum exercitu petens, in Aterno amne, dum armigero puero, qui mergebatur, opem ferre contendit, atque in latus eius rei gratia nimium se inclinat, pondere suo secum traxit equum: & ita submersus nunquam fuit inuẽtus. ibid.

De Carolo Nauarrensi Rege.

Nouum sæuúmq; nimis mortis genus illud fuit, quo Carolus Nauarrensis Rex Christi anno trecentesimo atque octuagesimo sexto post mille interijt. Nam cùm senio confectus, neruorum quoque dolore laboraret, medicis ita suadẽtibus, assui toto corpori linteum aqua (quæ viua dicitur) perfusum iussit. Cùm autem qui linteum consuerat, candelæ igne abrumpere filum peracto opere vellet, & parum considerantè linteum lumine contigisset, statim totũ conceptũ igne exarsit: neque antè ferre opem quisquam potuit, quam Carolus Rex, nimis propere sæuiente flamma, combustus est: cùm ad repentinas ignis vires accederet, quòd pedes ac manus lintei inuolutione vinctus, vnà tãtum lingua moueri poterat. ibi.

De septem Turonensibus dormientibus.

Cum in Turones vrbem Gallicam ad Martinum illius vrbis Episcopum propinqui ipsius Clemens, Primus, Theodorus, Gaudentius, Ciriacus atque Innocentius profecti essent, vt vnà cum eo viuerẽt. nam cùm in monachali habitu diu cũ eo mansissent, hi quinto ac vigesimo anno post Martini obitum Aicardo Abbati morituros se prædixerunt, nec multò post nullo corporis languore affecti cùm missarum solennia audissent, Christiana communione refecti, ante Abbatem ipsum gemibus innixi, animam egerunt. Et quia nisi quòd immobiles erant, & eis calor nullus inerat, reliquis in rebus viuentibus persimiles videbantur, dormientes appellati fuerunt in Turonibus, veluti qui sancti haberentur, magno honore sepulti, quorum nos sepulchra religiosè conspeximus. ibid.

De Georgio Plantagineto Clarentiæ Duce.

Georgius Clarentiæ dux à fratre Eduardo IIII. Britannico Rege dãnatus, vt sibi mor-

tis genus eligeret: Cretici vini potu mergi, atque enecari voluit. nam sicut Britannico potore dignum erat, vt potando moreretur elegit. sed vt hic cum Baccho, qui sequitur, cùm Venere mori voluit. ibidem.

De Giacheto Geneua Saluciano.

Giachetus Geneua, cùm in Saluciano populo non paruæ existimationis vir haberetur, iāq; ætas ingrauesceret, atque ex vxore liberos procreasset, Veneris appetentior, occultè per posticum puellam adhibebat, sub eo prætextu, vt illius rebus, quæ vsurpabantur, tuendis operam daret. Itaque cùm semel admissa puella, diutius, quàm consueuerat, recipere se ad vxorem ac liberos tardaret, seriórque hora vxorem ac liberos in suspitionem adduceret, ne quid ei aduersi contigisset, quia strepitum nullum, vbi ipse esset, euoluendorum librorū, vt ei mos erat, exaudiebant, posteaquàm vocando pulsandóque non profecerunt, effracto loci hostio, cùm lumen intulissent, inuenerunt in puellæ complexu eum illius ventri eo modo, quo Venus exercetur, incumbere, atque vtrūque exanimem sine vllo violentæ mortis signo esse: quæ res palàm facit, æquè ob nimiam, quāuis nuda sit, Venerem, ac armis permultos sæpe vitā egere.

De Aribertho.

Cùm Ariberthus aduersus Baioariorum ducem hostiliter dimicaret, sub incerto Marte nox prælium tandem diremit. Ast non bene tutus Ariberthus auro multo secum sumpto, fugam in Gallias arripuit: verùm in Ticino flumine natitās, auri nimio pōdere depressus, in vndis suffocatus est. Gudo Exemplorum lib.

DE CVPIDITATE vitæ, Græcorum exempla.

De Xerxe Rege.

IMmoderata vitæ cupiditas Xerxem Regē pro totius Asiæ armata iuuentute, quòd intra centum annos esset obitura, profundere lachrymas coëgit. Qui mihi in specie aliena re vera suam conditionem deplorasse videtur opum magnitudine, quàm altiore animi sensu felicior. Quis enim etiā mediocriter prudens mortalem se natum fleuerit? Max. lib. 9.

De Asdrubale Carthaginensi.

Nemo turpius vnquam vitā appetijt, quam Asdrubal Carthaginēsis: nam cùm in defendenda Carthagine Scipionem inde arcere nequiuisset, vrbem ineuntibus Romanis, cum omnibus suis in Æsculapij templum admodum munitum se recepit. Neque eorum memor, quæ ipse nimis crudeliter in captiuos Romanos gesserat: quibus paria sibi Romanos illaturos putare debebat, vt mortem prorogaret, vltro Scipioni se dedit, atque ad eius pedes iacere non erubuit, cùm vxor ipsum intuita, vilem atque offæminatum vocans, grauiter increparet, cui fortis animi exemplum ipse morte sua præbere debebat. Maluit enim sordidi animi vir vinctus triumphantis currum anteire, & populo Romano ludibrium futurus, carnificis manu, quam gloriosè in patria pugnans animam effundere. Bap. Fulg. lib. 9.

De Misa Moabitarum Rege.

Misa Moabitarum Rex à Ioram Samariæ, & simul à Iosaphat Iudæorum Regibus obsessus, cùm videret vltrà tueri se non posse, tētata prius incassum per noctem fuga, prænimio timore, vt hostium manus euaderet, nouo atque crudeli commento vsus. Nam in vrbis muris in ea parte, quæ hostibus cōspicua erat, dijs suis maiorē natu filium immolauit, fretus sacrificio hostium manus se euasurum, quemadmodum à magis suis ei promissum fuerat: id quod etiam ei successit, soluta ab hostibus obsidione. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De M. Aquilio.

M. Aquilius, cùm sibi gloriose mortem conscisceré posset, Mithridati maluit turpiter seruire: quem quis immeritò dixerit Pontico supplicio, quàm Romano imperio dignioremm: quoniam commisit, vt priuatum opprobriũ publicus rubor existeret. Maxim. lib. 9.

De Cneo Carbone.

Cn. quoque Carbo magnæ verecundiæ est Latinis Annalibus. Tertio in consulatu suo iussu Pompeij in Siciliam ad supplicium ductus, petijt à militibus demisse, & flebiliter, vt sibi aliquid leuare priusquàm expiraret, liceret: quò miserrimè lucis vsu diutius frueretur, eoúsque moram trahens, donec caput eius sordido in loco sedentis abscinderetur. Ipsa verba tale flagitium narrantis secum luctantur, nec silentio amica, quia occultari non merentur, neque relatione familiaria, quia dictu fastidienda sunt. ibidem.

De Bruto.

Quid? Brutus exiguum & infelix momentum vitæ, quãto dedecore emit? qui à Furio, quẽ ad eum occidendum Antonius miserat, comprehensus non solùm ceruicem gladio subtraxit, sed & constantius eam præbere admonitus, ipsis his verbis iurauit: Ita viuã, dabo. Cũctationem fati ærumnosam. O iurandi stolidam fidem: sed hos tu furores immoderata retinẽdi spiritus dulcedo subijcis, sanæ rationis modum expugnando, quæ vitam diligere, mortem non timere præcipit. ibidem.

De C. Caligula.

Quis maior vnquam mortis terror, aut quod vitæ sine villa prorsus virtute maius desiderium, quam in Caligula Cæsare fuit? qui omnibus in rebus cùm superbissimus esset, ad omnia fulgura pauens veluti infans puluino caput tegebat, illicque, si quis plurimum se terreri ostendisset, turpiter latebat. ibidem.

De Aulo Vitellio Imperatore.

Stomachum penè mouet Vitellij vilitas & exhaustus pudor: nam cùm superbia sæuitiáque immensa in Ottonem atque Sabinum Flauium vsus esset, non puduit, cùm palatium desereret, coquo atque pistore comitatum profugere: quinetiam cùm oblata spe redijsset, tandem abomnibus desertus, nõ erubuit accepta in balteo parua pecunia, in Ianitoris cella se abdere, foríque alligato cane, culcitrã foribus obdere: quod defensionis genus non insani modò hominis esse, verùm infantium quoque simplicitatem superare videbatur, adeò præ timore prudẽtiam ac communem sensum exuerat. Illic deprehensus, & vix agnitus, posteaquam dissimulando, diu Flauiorum antecursores elusit, quanquàm exploratũ haberet se moriturum, quia Sabinum Vespasiani fratrem occiderat: tamen cùm aliquot dies producere vitam cuperet, dixit habere se ea quæ Vespasiani vitam tangerent, quæ ipsi detegere vellet, & idcirco petere se, vt in vinculis, dum Vespasianus veniret, seruaretur: quod ab hoste assequi non potuit. Bapt. Ful. lib. 9.

De M. Anneo Lucano Poëta.

Nouum his, qui legẽdo multa viderunt, minimè videbitur, Poëtam inuentum esse, in quo promptior lingua, quàm manus esset: quemadmodum in Anneo Lucano ostendetur, qui cùm sub Nerone Cæsare comprehensus, velut Pisonianæ coniurationis cõscius, de qua audacter nimis loquutus erat, vt tormenta adhiberi sensit, totus præ nimio desiderio viuendi immutatus, Neroni, incolumitatem pactus, promisit magna se detecturum: atq; vt ei aliquid diceret quod credi posse videretur, matrem suam Accillam quãquàm innocentem accusauit: verùm pro tanto scelere, vt gratiam, quæ dignus erat, acciperet, intra paucos dies inter alios coniuratos occisus fuit, vita ingenti scelere in paucos dies producta. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Eugenio Tyranno.

QVam turpiter Eugenius Tyrannus proferre vitã desiderauit, cũ Arbogastis ope, qui postea militaris dux eius fuit, Valentiniano III. Occiso, in Gallia imperiũ occupasset? nam in prælio, quo cũ primo Theodosio decertauit, inclinare aciem suam conspexit, ne tunc minus vili, quàm scelerato animo cognosceretur, minimè Arbogastem imitatus, qui inclinante fortuna, sibijpsi mortem consciuit, vt paucas horas vitam prorogaret (venia enim propter suam in Valentinianũ proditionem atque sæuitiam indignum se norat) ad Theodosij pedes abiecta imperatoria veste, se prostrauit, à quo vt merebatur occisus, proditione infamis atque inhonorus turpiter perijt: qui si paulò antè quemadmodum olim Decius egerat, audacter prælium inijsset, aut vincere aut mori Imperator poterat. Bapt. Fulg. lib. 9.

De Reginaldo Germano.

Turpius proferre vitam optauit Reginaldus Germanus, qui quo tempore Gotifredus Boloniius virtutis eximiæ princeps, ad Syriacam expeditionem traiecit, partis earum copiarũ dux creatus, cùm in Asiam peruenisset, quanquam Christo sanguinem suum vouisset, tamen apud Niceam à Turcis nulla edita virtute superatus, non modò pro Christo mori cum alijs noluit, quorum mortis ignauus dux causa extiterat: verum ipsius quoque Christi sceleratè fidem abnegauit. ibidem.

DE CONTEMPTV diuitiarum, Græcorum exempla.

De Democrito Physico.

Democritus magno animo cætera aspernatus, se luminibus etiam priuauit, vt intentius omnia cõtemplaretur: dignus sanè qui plus vnus viderit, quàm vniuersa Græcia. nihil est in toto opificio naturæ, de quo (vt præclarè de eo scribitur) non fuerit illi curæ scribere. Sabel. lib. 2.

De Anaxagora.

Magnum est Anaxagoræ exemplum, qui sapientiæ amore captus, vt expeditior ad eã acceleret, campestre prædium ad compascui vsum suis reliquit ciuibus: cætera domesticis partitus est. & ille hoc affectu ad philosophandum fecit sibi aditum, estque facilè expertus sublimi vir ingenio, nihil his, quæ contempserat, sibi opus fuisse, vt prædicere posset, quando saxum esset è cælo casurum. Rogatus hic idem, ad quid natus esset, Vt cælum, inquit, spectem. de patria appellatus, ceu parum hæc foret ei curæ, Imò hanc curo respondit, digitum cælo intẽdens. ibidem.

De Phocione Athenienſi.

Phocion Atheniẽsis vir omnium optimus nihil omnino habuit, & quod plus certè fuit, nihil habere voluit: misit illi dono Alexãder ex Persica gaza bello parta, magnum auri pondus. Tum Phocion ijs, qui id attulerunt, Dicite, inquit quid sequutus Rex vester, me vnum ex omnibus Atheniensibus dignum tali iudicauit munere? responsum est, Quoniam te omnium Græcorum optimum arbitratur. Sinite igitur me eum esse, inquit Phocion, quem ille autumat. credidit homo continentiæ amicus, nec bonum esse virum, nec haberi oportere eũ, cui in libera ciuitate nato regium sit aurum curæ. Magnus quidem Alexander: sed Phocion maior, qui cùm pauper esset, tantum munus cum muneris autore contempserit. ibidem.

De Timandrida Lacedæmonio.

Timandridas Lacedæmonius, cùm peregre proficiscens, rem familiarem filio administran-

dam commisisset, domum reuersus, eum nimis auctam reperit: quod ægrè ferens, dixit, à filio suo Deos læsos, & familiares atque hospites iniuriis affectos, existimans rem familiarem nõ nisi multorum iactura crescere in immensum posse. Ælianus lib.12.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Curio & Fabritio.

QVid Curius, & Fabritius? (nam Romana ciuitas huiusmodi abundat exemplis) qua eos indole, qua continentia fuisse credi æquum est? quomodo hic Pyrrhi aurum cũ parte regni: ille pretiosissima Samnitum munera aspernatus est, vterque paruo contemptus. His sanè moribus creuit Romana ciuitas, luxuria & auaritia concidit. Sabel. lib. 2.

De Valerio Publicola.

Ter ex hostibus victis triumphauit Valerius Publicola. fuit idem Romanæ libertatis vindex. Cæterùm tam pauper decessit, vt publico sit sumptu funeratus: quoniam domestico nõ potuit, indubitato argumento Reip. domi forisq; cõtinetur, & sanctè administratæ. ibidem.

De Paulo Æmilio.

Quantus demum in Æmilio Paulo diuitiarum contemptus? quanta in imperio fuit abstinentia? aurum Persi Macedoniũ regis à se victi, & quem ante currum egit, non modò non attigit, sed ne videre quidem voluit: nullo vnquàm bello maior ex hoste præda parta est. Nullus Imperator maius continentiæ præbuit exemplum. voluit vir cõtinẽtissimus nõ solùm sine crimine esse, sed abesse etiãab omni suspitione criminis: quod illi, nisi oculis temperasset, vix contingere potuit. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De diuo Gregorio.

STruxerunt Quiritum alij villas, porticus, theatra, aliáque insana ædificia: Gregorius, qui prius Senator, dein Romanus fuit pontifex, non populari auræ, sed pietati, & sanctimoniæ addictus, sex in Sicilia extruxit monasteria, vnum Romæ, in quem vsum vertit paternam domum. visitur hodie locus in Cælio cum vestigio vetustatis. Hoc ille sibi fabrefecit gymnasium ad exercẽdam pietatẽ: hic sacris operatus est, omnia, quæ habuit, pauperibus impendit: calcauit terrena, vt cælũ teneret, multa quidẽ multis dilargitus, sed plura omninò, & meliora adeptus. Sab. li. 2.

De diuo Nicolao.

Pari pietate censendus doctrina, licet & dignitate minor Nicolaus Pataræus Smyrnæ antistes, qui amplum patrimonium per manus à patre acceptũ pauperibus, & egenis distribuit: in quo illud eximium atq; omni æuo memorabile, tãtum auri alienæ domui occultè intulit, vt trium filiarum pater, qui inuitus ob inopiam inuitas prostituerat, auri abundans factus honesto puellas matrimonio locarit. Fuit hoc non solùm inopiæ consulere, sed muliebri etiã pudori, cuius iactura est omni egestate calamitosior. ibid.

De Benedicto Abbate.

Missus Romam ex Nursia studiorum causa à parentibus Benedictus monasticæ vitæ ex Christianis primus autor, vrbem illecebrarum plenam cum studiis reliquit: in solitudine esse maluit, quàm cum terrenæ sapientiæ affectatoribus desipere. eius familia hodie latè patet cælestium contemplatrix, magis quàm studiorum cultrix. Sunt & hæc curæ eorum plerisque, verùm magis se proficere autumant in fruenda luce, quàm quærenda. ibidem.

De diuo Gallicano.

Facile est priuatæ fortunæ renuntiare: sed ab honorum fastigio culminéq; diuitiarum sponte decedere, arduũ, & difficile. in quo genere nõ paruam consequutus est laudem Gallicanus, qui Romani dux exercitus,

post Thraces, Dacos, & Scythas bello domitos Constantiam Constantini principis filiam sibi matrimonio locatam, ac bene conuenientem, cum immensibus opibus reliquit, Christianæ pietatis cultũ cõplexus. Desiit itaque Cæsaris gener esse, factus est Christi miles, fuitq; illi multo salubrius cælesti militiæ subesse, q̃ Romanæ præesse. ibid.

De Lazaro, & Maria, & Martha eius sororibus.

Lazarus, Maria, & Martha cùm inter se partiti essent hæreditatem, Mariaq; Magdalũ oppidum, Marthæ Bethania, Lazaro pars vrbis Hierusalem sorte obuenisset, omnibus post ascensum Domini distractis, ac diuenditis, pecuniam ad pedes Apostolorum proiecêre in terram, vt corda erigere possent in cælũ, quò Christum iam præcessisse conspexerant. Marul. li. 1.

De Abrahamo Ægyptio.

Abraham Ægyptius grandè nimis (iam defessis ætate parẽtibus) hæreditatẽ mox adituros, non expectauit: sed, vt nudus discedens in solitudine sibi cellam constituit, deinde illis vita functis, cùm ad capiendũ tantarum opum patrimonium vocaretur, tanti illud fecit, vt loco pedem non efferret. porrò per procuratorem ita egit, ne quid sibi reliquum foret, rebus diuenditis, pecunia omnis mendicantium turbæ, viduisq; & pupillis diuideretur. Igitur diuitias, & cùm non haberet, contempsit: & cùm haberet, ne respexit quidem, sed alteri dilargiendas commisit, maiores diuitas existimans Christi paupertatem. ibidem.

De Hilarione Palæstino.

Hilarion Palæstinus (sicut de illo diuus Hieronymus literis commendauit) parentibus defunctis, partem substantiæ fratribus, partem pauperibus largitus est, nihil sibi omnino reseruãs, Dominicæ sentẽtiæ memor dicẽtis, Qui non renuntiauerit omnibus, quæ habet, non potest meus esse discipulus. Erat autem annorum quindecim, cùm sic nudus & armatus in Christo solitudinẽ ingressus est, sacco tantùm & pelliceo pallio membra coopertus. ibid.

De Niuardo puero.

Summa admiratione dignus mihi videtur Niuardus Bernardi Clareuallensis frater, qui postquam ipsum reliquósq; fratres omnes Cecilino patre, & Aletha matre relictis, eósque ad religionem aspirare videret, maluit abeuntes sequi, quàm in paterna domo hæres ex asse futurus manere. Illi enim proficiscentes paruulo inter æquales in foro ludenti dixêre, Niuarde frater nunc te solũ totius summa respicit patrimonij: nos nãque ius omne vni tibi cedentes, Christum sequimur. Tunc ipse, Cælum vos ergo possidebitis, inquit, ego terram? Nihilque moratus post eos adijt monasteriũ, vt potiùs cælestes cum fratribus, quàm cum parentibus manens, diuitias obtineret terrenas. ibidem.

De Polemo Indorũ Rege

Polemus potentissimus Indorum Rex Bartholomæi Apostoli prædicationibus ad fidem conuersus, atque baptizatus, relicto imperio, eidem constanter ædhæsit, discipulúsque maluit esse Apostoli, quàm Indiæ dominus. ibidem.

De Iosaphat Indiæ Rege.

Iosaphat quoque Indiæ Rex Auenir Regis filius Barlaam eremitæ salubri persuasu fidem amplexus Christi, postquam omnes, qui suæ ditionis erant, baptismatis gratia renouandos diligenter curasset, coædificatis vicatim ecclesiis, deposuit regnũ, nihilque secũ ferens, nisi mundanæ gloriæ contemptorem animum, secessit in solitudinem. Cùm enim in vrbibus adhuc sine honore esse non posset, ab hominum frequẽtia procul se abeundum decreuit: iunctóq; ipsi Barlaam, vitam traduxit in eremo, quæ dicitur terra Senair. Itaque quem vrbis instar regia vix capere poterat, angustum

in formis speluncæ tenuit habitaculum: & qui tot populis, totque gentibus imperitauerat, vnius homunculi præceptis obediuit.ibidem.

De Iudaëllo & Iudoco fratribus.

At non solùm susceptũ sceptri honorem deponere propter Christum, sed etiam oblatum refutare exemplis admonemur. Etenim Iudaëllus Britanniæ Rex, cùm monasticã vitam ducere in animo haberet, Iudoco fratri voluit tradere regnum: ille itidem ad Dei aspirans seruitium, ne quod vltro offerebatur vel inuitùs suscipere aliquãdo cogeretur, clàm inde profugit, atque ad ripam Alzei fluminis in agro Pontinij constructo paruo humilique tugurio, solitarius habitauit. I nunc vana & stulta mortalitas per cædes & parricidia: quære tibi dominatum, quem sanctissimi viri tam vili habuerunt, vt alter deponere vellet, alter recusaret accipere.ibidem.

De Euphraxia Romana.

Euphraxia Romana genere nobilis opibus pollens, ætate florens, forma præstans, post mortem viri Antigoni neque rursum cuiquam nubere voluit, licet multùm suaderet Theodosius Augustus: neque Romæ manere, quanuis & patria esset, & orbis domina: neque diuitias possidere, tametsi honestè posset.procis repulsam dedit, mare transmisit, ad Thebaidem venit, & eò loci considẽs, quicquid secum attulerat facultatũ, partim erogauit egenis, partim ecclesiis: neque aut sibi aut filiæ paruulæ Euphraxiæ quicquam residui fecit. Quinimo moriens eidem in monasterio manenti solicitè iniũxit, ne tardaret, quod reliquũ Romæ fuerat, simili liberalitate vt distribueretur, curaret.ibidem.

De Elizabet Pannonum Regis filia.

Elizabet Pannonum Regis filia, quæ Lantgrauio Turingiæ regulo nuptui data: deinde marito Hierosolymis peregrè defuncto, ab ijs, qui eius Tetrarchiam hæreditariò acceperant,

nequiter eiecta, maléque habita, quasi rẽ viri sui dissipasset, quoniam in dandis eleemosynis minus parcam fuisse dolori erat auaris animis: cum vix tandẽ dotalia ab illis extorsisset (bona erant duo millia pondo argẽti infecti, facti cælatique) pauperum & peregrinorum satis amplum in Marupre construxit receptaculũ, ibique iis humiliter ministrando, quantò se inter mortales fecerat viliorem, tantò sublimius inter Sanctos & Electos postmodũ fuit exaltata. Constantis verò animi haud obscurum argumentum fuit, quòd cùm à patre, vt in Pannoniam rediret, plurimùm solicitaretur, missis nuntiis nũquam acquieuit, malens alienigenarũ opprimi iniuriis, quàm suorum illectationibus blandimentisue deliniri. Denique orasse Dominum dicitur, vt contemptis omnibus, liberorum etiam, quos propinquis commendarat, abiecta cura, ei soli toto corde totisque viribus famularetur, ac deseruiret, & responsum accepisse, preces suas esse, vt petierat, exauditas. Adeò illi omnia extrema potius pati, quàm à seruitio Christi discedere, certum ac deliberatum erat.ibidem.

DE SOBRIETATE, Nostrorum exempla.

De Ioanne Baptista.

Christi præcursor Ioannes Baptista Spiritu sancto repletus antequã natus, locustis in deserto & siluestri melle pascitur, ob quam victus austeritatem à Pharisæis dæmonium habere dicitur, à Domino neque comedens neque bibens appellatur: non quòd nihil omnino sumeret, sed quòd iis duntaxat sustentaretur, quæ alij vt insipida viliáque despiciebant.Marul.lib.4.

De Apostolis.

Apostoli ipsi spicas segetum manibus cõfricãt, et hoc tã simplici cibo esuriem quoquomodo

possunt leuant. Cúmque numero duodecim essent, nihil aliud, quàm quinque panes hordeaceos, duósque pisces habuerunt in deserto, quãdo Dominus turbam quinque millium pauit: iterũ nihil omnino præterquam septem panes et pauculos piscículos, quando quatuor millia virorum satiata sunt. Rursum tranfretantes obliti sunt panes secum ferre, vsque adeo cibariorum curam non habebant, dum eius, quem secuti fuerant relictis omnibus dulcedine satiantur: & tamen quòd non ieiunarent, adhuc excusabantur, quia sponsus cũ eis erat. Quantò ergo continentius atque tenuius eos victitasse censebimus, postquam ablato sponso, hoc est, crucifixo Domino, nuptiarum gaudium versum est in persequutionis luctum & iam terrena omnia minus placere cœperũt desiderãtibus cælestia. ib.

De Iacobo cognomento Iusto.

Iacobus frater Domini appellatus, cognomento Iustus, viniũ & ciceram non bibit, carnem nullam comedit, reliqua vita sanctitate sic excelluit, vt multi suspicati sint propter necem eius Hierosolymam fuisse subuersam. ibid.

De Petro Apostolo.

Petro quoque Apostolorum principi post ascensionem Domini panis cum oliuis, raro cum olusculis cibus fuit, vt moderati victus exemplũ foret iis, quibus abstinentiæ præcepta dabat. Iam piscator hominum factus, qui fuerat piscium. ibid.

De Paulo Apostolo.

Paulus Apostolus ad Rom. scribens, Bonum est, inquit, non manducare carnem, & non bibere vinum. Et ad Corinth. Si esca scandalizat fratrẽ meũ, non manducabo carnem in æternum. Et ad Timotheum, Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequẽtes tuas infirmitates. Cui propter aduersam valetudinem modico vino vti præcipit, eum, dum sanus

esset, aquæ vsum ostendit, sed etiammalè affecto modicitatem non copiam imperat, quod scilicet ad digerendam stomachi cruditatem satis sit, non quo etiam sopita genitalium voluptas excitari possit, ne corporis remedium vertatur in animæ perniciem. ibidem.

De Fulgentio Rupensi Episcopo.

Hinc sanè Fulgentius Rupensis Episcopus ne morbo quidem affectus carnis alicuius alimento vel vini poculo vti voluit, veritus ne infirmitati blãdiens, semel intermissum vitæ rigorem sanus postea repetere nollet, superatus gulæ voluptate. ibidem.

De Honorato Abbate.

Honoratus Fundensis monasterij Abbas (vt Gregorius refert) puerulus adhuc à parentibus inuitatus, cùm à carnibus abstineret, deridiculi gratia interrogatur, an piscari in montibus vellet, qui tam procul à mari & fluminibus constitutus, piscibus nõ carne vesci optaret. Cúmque ipse taceret, ecce is qui ad aquam hauriendam perrexerat, piscem de puteo situla sublatum attulit. Quo miraculo effectum est, vt omnes conuiuam, cuius continentiam irriserant, venerari inciperent. ibidem.

De Theone Monacho.

Theonem Monachum accepimus cruda comesse, nec in vescendo ignis opera vnquam vsum. ibid.

De Palemone.

Palemon Monachus in Thebaidis deserto habitans, celebri Paschæ die Pacomium contubernalem suum rogauit, vt solitò largius obsonaret. Coxit ille olus, oleóque & sale condiuit: sed posita mensa Palemon suspensus parumper stetit, ingemuit, lachrymas effudit: Et Dominus meus, inquit, crucifixus felle & aceto potatus est: & ego oleum edam? Auertẽtem se ac lugentem Pacomius hortabatur, vt sumeret, illã olei lau

itiam non tam sibi, quàm festi solemnitati concederet: tantum profecit, vt nec ipse aliud gustarit, quàm quod consueuerat, panem scilicet cum sale, aquamque frigidã: sic refecti Deo gratias egere, hoc tãtũ festo tribuẽtes, quòd escas tunc sapidiores parauerint, quàm comederint, adeò oleum in cibo sumere luxuriæ deputabant. ibid.

De Euagrio presbytero.

Euagrius presbyter quadraginta annos pane, oleo, & aqua vsus est: deinde annos sexdecim pomis coctóque abstinuit. Postea verò etiam panem sibi interdixit, ac per biennium olere tantùm & lentibus vixit. hic duorum Machariorum discipulus fuit, quorum mores imitando, adeptus est meritum. ibidem.

De diuo Hieronymo.

Sanctus quoque presbyter Hieronymus ad Eustochiam virginem scribens, quanto labore in eremo carnis tentationibus repugnari recenset, atque inter multa, De cibis, inquit, et potu taceo, cum etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid cepisse luxuria sit. ibidem.

De Paulo primo eremita.

Paulus autem (vt idem refert) à sextodecimo ætatis suæ anno vsque ad LX. palmæ fructibus vixit: deinde vsque ad CXIII. quo terris relictis ad cælum migrauit, dimidiati panis fragmentum quotidie coruo alite deferente acceptauit. In aduẽtu Antonij integer allatus, Deo donante quantum vtrique satis esset. Qui cùm comedisset, ad fontem accedentes, prono ore manibus concauis aquam hauriendo, sitim expulerunt. ibid.

De Pambone Abbate.

Pambo Abbas cùm animã ageret, confessus est, quòd ab eo die, quo solitudinem ingressus fuerat, panem non gustarit, neq; quicquã cuius ipsum pœniteret proloquut° fuerit, & se tamen sic è vita discedere, tãquam qui modò cœpisset, non tãquam qui profecisset. ibidem.

De Romualdo Abbate.

Romualdus Abbas ordinis Camalduensis institutor, dum in eremo vitam ageret, panem & fabam aqua maceratam comedit. ibidem.

De Maxentio Abbate.

Maxentius Pictauiẽsis Abbas pane hordeaceo, & aqua victitauit. Arido in loco cùm monachi siti laborarent, terram virga percutiens, fontem scaturire fecit, vt scias elementa ei seruire, qui gulæ & ventri dominatur.

De Gregorio Lingonensi Episcopo.

Gregorius Lingonensis Episcopus panes hordeaceos triticea crusta oblitos esitabat, in aquæ poculum tantillum vini addere solitus, vt aqua suum saporem seruaret, colore mutato. sic occultabat victus angustioris visum ostentationem fugiens, & soli Deo placere affectãs: tametsi ciuitas in monte posita latere non potuit, semperque fugientem sequitur gloria, sequentem fugit. ibid.

De more in monasterio Tabernensi obseruato.

Illud quoque hoc loco puto referendum quod in monasterio Tabernensi, vbi Amos Abbas mille quingentis monachis præfuit, legimus obseruatum: fratres ad mensam congregati, pendentibus à fronte cucullis ita oculos tegebant, vt alius alium videre comedentem non posset: itaque tantum quisque sumebat, quantum collibuisset, & singulorum cõtinentia singulos latebat, ne inani gloriæ daretur occasio: sed diuino conspectui munus illud syncerius offerretur, quod submouebatur humano. ibidem.

DE SOLITARIA vita, Græcorum exempla.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Timone.

Timon Atheniensis non religione, non cælestium rerum indagine adductus, solus esse voluit, sed prauo quodam affectu rigoréque naturæ omni hominum commercio sibijpsi interdicto. is domicilium sibi in agro Attico parauit, vt hominum congressum fugeret, vixque vnus Atheniensium Pœantus ab eo admittebatur, qui cùm super cœnam iocularitér dixisset, Nónne satis pulchrum hoc conuiuium Timon? pulchrum quidem respōdit, sed adhuc pulchrius futurum, si Pœantus nō adesset. Sabel. lib. 2.

De Heracleto Ephesio.

Heracletus Ephesius, vir magno alioqui ingenio, suorum ciuium tædio ad Phanum Dianæ primò secessit: vbi aliquando irrisus, quòd cum filiis luderet astragalis, Malo hoc, inquit: nam vtilius est id facere, quàm Rempublicā vobiscum administrare. Abijt inde hominum odio in montes, herbarum & aquæ victu contentus, ferarum ritu soliuagus. ibid.

De Diogene Cynico.

Habitauit Sinopæus Diogenes in Cranio extra Corinthū: qui tametsi studiis otium quæsiuisse videri potest, declinauit tamen sedulò hominum congressum, pallióque & pera contentus, sic quoque felicissimus ab Alexandro Rege iudicatus, qui eum in Cranio vidit, vt Diogenem se esse optarit, nisi Alexander esset. ipse Cynicus haud dubiè Regē multò se inferiorē iudicauit, cui ad se venienti ne assurrexit quidem. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Numa Pompilio.

Nvma Pompilius priuatus adhuc in agris plurimùm fuisse traditur, Deorū lucis & nemoribus inambulans, omnis humani cultus negligens, procul ab omni concilio conuentúque mortalium agens: vnde opinio illa orta, familiariter eū Ægeria esse vsum Nympha. Non itaque odium hominum, sed religio quædam discendique cura secretum illud Pompilio peperit, virtutis opinio regnum astruxit. Sabel. lib. 2.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Antonio Abbate.

Fvit in hoc, qui Paulum sepelijt, maior quædā à principio solitudinis cupiditas, quippe qui spōte sua nō metu subactus in eremum profectus, vicenos annos abfuit, pane & aqua contentus. Fit inde Abbas: sed cùm locus in dies magis celebraretur, multitudinem pertesus, in desertum demigrauit, tenuitque locum, qui è cælo est illi designátus. Sabel. lib. 2.

De Hilarione.

Hilarion à prima adolescentia deserta Syriæ ingressus, quadriennio pluuias, & omnem cæli intemperiem arctissimo à se tugurio arcuit iunco & caricibus contexto: inde denos annos arcta pressáque vsus est cellula, sepulchro multò quàm domicilio propriore. ibidem.

De Onophrio Anachoreta.

Est et Onophrij solitudo ad posteros nobilitata. is monasterio digressus, adeò in deserta & deuia sese illatebrauit, vt sexaginta annos nunquam hominē viderit. promissior capillus vestiebat superiora corporis, vestiebat et barba, verenda foliis & arborū cortice tegebantur. Ter denos annos herbis & sylueſtri bacca vixit. meruit austeritas vitæ præmio leuari, cælestisque nuntij. Extremis temporibus panis dimidiatus & aqua supernè aderant, quoties à ieiunio reficiebatur. Pafnuphius Abbas in eam solitudinem progressus, semiferum se hominem videre ratus, extimuit primò eius congressum, inde benignè affatus, ac mox paulò quàm viderat, sepelijt. ibidem.

De diuo Hieronymo.

Ferunt Hieronymum Stridonensem Christianæ pietatis lumen & propugnaculum ingẽs dicere solitum, oppida & vrbes videri sibi tetros carceres, solitudinem paradisum. Putes eũ sensisse quæ dixerit, quippe qui retorridum Syriæ solum scorpionibus & feris infestũ, sacco amictus, humi cubans, aqua & herbis victitans, Romanis prætulit delicijs. ibidem.

De Maria Magdalena.

Sunt & fœminis sua exẽpla. Magdalena Lazari soror triginta annos in eremo fuit, nec interim hominem vidit, aut ipsa ab vllo visa est: cibus illi non humanus, sed cælestis, eóque suauior, quò maiore gratia datus & acceptius. ibidem.

De Maria Ægyptiaca.

Pari profectu nobilitata est Ægyptiacæ mulieris solitudo huius nunc dictæ cognominis, visa est mulier olim vulgati corporis, sed quæ postea in solitudinem abijt, à Zozimo viro sanctitate insigni, dum fortè orationi esset intenta, sublimis à terra siccis plantis Iordanem transgredi. Res mira & omni æuo memoranda sublimi incessu fertur eremi cultrix, quæ cũ prostaret, vix à terra ferebatur. ibidem.

De Paulo Thebæo.

Paulus Thebæus apud inferiorem Thebaidam cùm Decij & Valeriani persequutionem fugeret. sedecim annorum adolescens solus deserta petijt, & inuenta in mõtis radicibus saxea spelunca, iuxta quam molliter fluens riuulus terram irrigabat, & effusis desuper ramorum vmbraculis, palma solis defendebat ardores, captus amœnitate loci, vbi latere concupierat, habitare cœpit in tantum, vt cùm centum & tredecim vixisset annos, nusquam inde discesserit, hominem nunquã viderit, præterquam die vitæ supremo Antonium, à quo & humatus fuit. primò palmæ fructibus nutritus est, deinde per

annos sexaginta dimidiati panis fragmetum singulis diebus comedit, coruo alite homini ministrante: neque aliud, quàm aquam bibit: indumento palmarum folijs contexto, nuditatem operuit. Hoc tenore vitæ in Dei seruitio tandiu perdurans non effugisse mihi videtur martyrium, sed protraxisse. & qui diei vnius mortem non tulerit, mortem annorum septem & nonaginta tulisse. Mar. lib. 1.

De Martino.

Martinus ille, quem Gregorius in Maßico Campaniæ mõte vitam duxisse tradit, tanti solitudinem fecit, vt ne quando vlla ve rerum difficultate, vel dæmonum molestia superatus inde recederet, ad ferream catenã, quam saxo affixerat, vix solubili compede ipse se diuinxerit. Attamen beatus Benedictus Abbas vbi id rescuit volens, vt iugis in deserto commoratio constantiæ potius viri, quàm ferreis nexibus ascribi posset, protinus nuntium ad eũ misit, inquiens, si seruus Dei es, non te teneat catena ferrea, sed catena Christi. Quamobrem ille vincula quidem deposuit: sed tamen spelunca ingressus, aditu obstruso habitare cœpit: deinde etiam discipulos aliquot secũ adunauit, multísque præterea miraculis nobilitatus est, atque inter sanctos habitus. Nunc spatia metitur Paradisi, qui tam angustè habitauit in terris. ibidem.

De Ioanne Ægyptio Anachoreta.

Ioannes Ægyptius Anachoreta, cuius responsis Thedosium principem in suis aduersus Barbaros expeditionibus vsum accepimus, habitauit in ea Thebaidis eremo, quæ adiacet oppido Lyco: spelunca eius in præruptí montis vertice ascensu difficili aditúque obstructo erat: ita vt nemo ad eum ingressus est à quadragesimo vsque ad nonagesimum ætatis suæ annũ. Per fenestram aduenientibus præcepta salutis dabat, eísque extrinsecus, vbi commodè requiescerẽt, hospitiolum fecerat.

Ipse intus solus (si tamen solus dici potest, cum quo Deus est) morabatur, finem expectans vitæ, vt vitam, quæ finem nõ habet, inchoaret: ea spe lætus forsan etiam decantabat, Singulariter sum ego donec transeam: transiturus vtique ad consortium Angelorum, qui se à cõsortio secluserat hominum. ibidem.

De Theone.

Theonem etiam intra suam cellulam clausum habitasse apud Thebaidam non procul ab vrbe, atque etiam porrectæ de fenestra manus tactu infirmos curasse, sed tamen noctibus ad eremum progredi solitum tradunt. ibidem.

De Helia Monacho.

Helias Monachus in finibus ciuitatis Athineos (quæ quondã Thebaidis metropolis fuit) annos septuaginta in vastissima solitudine perdurauit. Erat desertum horroris plenum, semita quæ ad ipsum ducebat, angusta scrupeáque, & inuentu etiam difficilis. Antrum quoque quod inhabitabat, tetrũ atque horrens, ac statim protinus accedentibus nescio quid terroris incutiens. Hunc se ibi vidisse diuus Hieronymus testatur, iam centum & decem annorum senem: ferebatur autem interdum etiã futura prædicere, euentu haud incerto, vt super eo quoque Heliæ Prophetæ spiritum requieuisse dicerent, cuius & nomen sortitus fuerat, & sequutus propositũ, Deo in solitudine seruiendo. ibidem.

De Ioanne.

Rarissimum est quod de Ioãne quodam relatum legimus: dicitur enim cùm primùm ad eremum secessisset, tribus continuis annis sub cuiusdam saxi rupe stans semper orasse, nunquam resedisse, tantum somni cepisse, quantum rectus capere potuit: cibum quoque non aliũ gustasse, quàm Dominicis duntaxat diebus eucharistiæ sacramentum à sacerdote sibi delatum: denique de pedibus, quòd

tandiu immobiles perstiterunt, fluxisse saniem aiunt. O beatũ virum, qui tantam gratiam consequutus est, vt hæc agere vellet, beatiorem vt posset. Non immeritò igitur post hæc Angelum Domini aduenisse dicunt, vlcera eius tactu curasse, labia sapientiæ spiritalis fonte perfudisse: & vt deinceps cæteros fratres per eremum visitando instituere ac docere pergeret, simul iussisse: dignus quippe magisterio iudicatus est, cuius vel solus cõspectus potuit esse non paruum hortamentum aspera quæque pro Christo subeundi atque perficiendi. Dicerem equidem talia nemini factu possibilia esse, si quicquam impossibile esset credentibus. ibidem.

De Simone Susotionis filio.

Neque tamen (vt mihi videtur) minus stupendæ vitæ speciẽ præbuit Simon Susotionis filius. hic annum tantum cum fratribus in monasterio Antiochiæ conuersatus, ad desertum abijt, annos tres in spelũca clausus permansit. Sed hoc ei commune cum multis: illud autem proprium & peculiare, quòd deinde super columnis dicitur habitasse, quarum altissimam cubitorum triginta fuisse ferũt, in vna eũ perstitisse annos quatuor, in alia duodecim, in alia rursum duodecim, in alia iterũ quatuor, & in illa postremò, quæ procerissima erat, vsque ad obitum vitæ, sedecim: eas pro pulpitis habuisse satis probabiliter videri potest: quandoquidem multi ex gentibus rei nouitate exciti, ad videndum illum confluebant, & ab idolis ad Christum prædicationibus ipsius conuertebantur. Vtcunque tamen sit, proculdubio durum atque difficile, & quod nemo vel ante eum fecerit, vel postea imitatus sit. ibidem.

De Arsenio Abbate.

Quanti autem profectus sit, quantæq; vtilitatis Christi seruis ipsa solitariæ vitæ obseruatio, locupletissimus testis est Arsenius. Etenim antequam

religionem iniisset, rogasse dicitur, sibi à Domino reuelari, quæ se potissimum ratione saluare posset, & responsum accepisse, vti consortia hominum præcipuæque secularium declinaret: factus verò Monachus, inter precandum rursus vocem audiuit dicentis, Arseni, fuge, tace, quiesce: vt scilicet deuitaret fuga frequentiam, taciturnitate iactantiam, quiete fluxarum ac fragilium rerum solicitudinem. Proinde secedens in partes Syriæ, eo loci, qui Troë dicitur, sedit solitarius annos quadraginta: deinde in deserto vastiore vltra Babylonem Memphim versus, annos decem: postea ad Canopum Alexandriæ annos tres: & rursum in Troë annos duos, sicq; peracto vitæ cursu nonagerius terram reliquit, & ad Dominũ demigrauit, bonis cælestibus semper fruiturus. ibid.

De sancto Iudoco.

Sanctus Iudocus non dubitauit eremi angustias præponere Britanniæ regno, maluitque in deserto Christo seruire, quàm in patria Britãnis imperare. Inde fugitans ad Alzeum fluuium agri Pontini peruenit: & cùm ibidem sedem sibi ponere vellet, ab Hymeone religionis Tetrarcha prohibitus est: sed neque ideo propositi pœnitens, dum ad vlterioris solitudinis loca pergit, ab eo ipso, à quo pulsus fuerat, reuocatus, redijt, atque etiam ope illius adiutus, in qua cœperat ripa, gurgustiolum compegit, & cum vnico discipulo solitarius habitauit. Vis nosse quantum in ea solitudine manens profecerit? pro terreno & caduco regno, quod cõtẽpserat, cæleste & æternum accepit, quod concupierat. ibidem.

DE SOMNO ET vigiliis, Græcorum exempla.

De Diogene.

Fuerunt Ethnicorum plerique somni & quietis parcissimi, qui omnem voluptatis illecebram aspernati, per laborem & continentiam vitam transegerunt: sed hi non cælestium affectu, vt nostri, sed sapientiæ studio, aut Reipubl. causa seueriori sese addixerunt disciplinæ. Enimuero quid Sinopæo illo Diogene aut cultu neglectius, aut victu despicatius, aut cubatu durius habuit vnquam vita hominum? pallio duntaxat vno vsus est, cætera nudus: oleribus & pane cõtentus humi iacens somnum capiebat, aut cùm mollius, in dolio: deditque hæc ille non pietati, sed naturæ, ad quam omnia referebat, quicquid illa posceret, ius fásque esse ratus. Sabel. lib. 2.

De Aristotele Stagirite.

Tantum abfuit, vt Aristoteles excellenti vir ingenio somno & quieti indulserit, vt nocturnis lucubrationibus ænea pila vsus dicatur: cui altera manu compressa, labrum subijciebat, vt si longa vigilia fatigatus obdormisset, strepitu cadentis pilæ expergisceretur, pulchrum hoc, & conducibile: quia disciplinarum studiis datum: sed multò id pulchrius, & ad salutem aptius, si pervigilium illud sibi cælestium rerum meditatio vindicasset. ibidem.

De Annibale Barchino.

Cubabat humi Barchinus Annibal adolescens adhuc, inter stationes militum, quanquam Imperatoris filius, militari sagulo coopertus. Verùm durior ille cubatus non ad pietatem, sed ad futuram feritatem: non ad continentiam, sed sæuitiam spectabat: non pietas illi curæ esse, sed immanitas. vt satiùs fuerit ei dormire, quàm per hæc bellum & sibi & patriæ calamitosum meditari. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Scipione Africano.

Maiori Africano non tã pietas curæ fuit, quàm ciuium de se opinio, cùm antelucanis horis adolescens capi-

Universidad de Deusto Biblioteca

tolium ascendebat, assidebátq; solus Ioui, vel veriùs dæmoni, futuras hostium strages & excidiũ Carthaginis animo versans. Sabel. lib. 2.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Euagrio Abbate.

NE longior quies suis fratribus contingeret, auertérétque mentem à cultu pietatis ad voluptatem, in eremo, cui Euagrius Abbas præfuit, omnes, qui in eo fuêre, sedẽtes quietem capiebãt: certo quodam instituto, vt multò verius filij lucis dici potuerint, quàm tenebrarum. Sabel. lib. 2.

De Hilarione & Anachoretis quibusdam.

Hilarion in eremo nuda humo stratóque iunceo quoad vixit, quietis causa decubuit. Dassumio nuda terræ facies lecti vsum præbuit, in solitudine agenti, nonnunquàm etiam muricibus substrata. Onophrius nec tectum habuit vllum, nec certum, in quo consisteret, locum, vbi nox eum diuinis vacãtem oppressisset, pro lecto tugurióq; fuit illi locus. ibidem.

De diuo Arsenio.

Age nũc quàm parcus somni fuisse videri potest Arsenius Diuinarum rerum studio, & ob eam rem non indignus, qui in diuorum fuerit numerum relatus? solitus dicere est, satis videri oportere Monacho, si vna ad quietem hora contingeret. ibidem.

De Bernardo Abbate.

Nec multum huic absimilis Bernardi Abbatis vox illa, dormientem Monachum Deo mortuum affirmãtis: & illud quidem huius est, parum religiosè Monachũ dormire, cuius quiescentis stertitus audiretur. ibid.

De Germano, & Martino antistitibus.

Nisi idẽ persuasum habuissent Germanus Antisiodorensis, & Martinus Turonensis, nunquam hic sibi lectum cilicio

strauisset, ille cinere, & sacco: non lectum, sed luctũ dicerem, vbi iacentis suspiria, & gemitus non ronchi exaudirentur. Difficilis est terram spectantibus via, quæ ad cælum ducit: sublimia petentibus prona, & facilis. ibidem.

De diuo Innocentio.

Docebat Innocentius ex Calagoritani Dominici familia, passim cultum pietatis Euangelico testimonio, verùm diurno labore fessus, sarmentis lassum corpus ad altam noctem reclinabat: sed cùm mollius vellet, paleas substernebat: cùm mollissimè, saccum. ibid.

De diuo Bernardino.

Durius adhuc asperiúsq; Bernardinus Senensis, Francisci Assisiatis abstinentiæ, & laboris non minus æmulus, quàm professionis cultor, nudo pauimento, vt erat tunica amictus, quietem capiebat, tantúmq; interim aberat, vt culcitram, aut vestem stragulam desideraret, vt lecti etiam nomen tanquam dirum, & exitiale auersaretur. ibidem.

De Paula Romana muliere.

Vendicat, & muliebris pietas in hac relatione sibi locum Paula Romana mulier patritia domo orta, clarisque natalibus lumen veræ pietatis complexa, vel cùm febre laboraret, humi in cilicinis stragulis affectum corpus reclinabat. ibid.

De Othilia.

Nec minus tetricè Othilia corpus afflixit, vrsina pelle pro stragula vsa, pro puluino muricoso lapide. Monasterij hæc, quod in Bauaris visebatur montibus, sacerdos fuit maxima: sed sororiũ omnium abiectissima & esse, & videri voluit. ibid.

De Pastumio.

Pastumio quandiu in eremo moratus est, nudum atque interdũ ex industria sparsis scrupulis asperatum solum lectus fuit. Quid hoc est, nisi nolle vnquàm ita resoluto corpore obdormiscere, vt mens ad Deum

non vigilet: hinc sanè & Isaias Propheta semper cum Deo esse anhelãs, ait, Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Maru. li. 1

De Onophrio.

Onophrio verò nec tectum vllum, nec certus quietis locus fuit. ibi somnus erat, vbi per desertum vaganti nox occurrisset: sed & ipsa quoq; nox pernigilio magis, quàm dormitione peragebatur vt illud seruaret à Propheta dictum, In noctibus extollite manus vestras in Sãcta, & benedicite Dominum. ibid.

De Vincentio.

Non mediocre ordinis Prædicatorum ornamentum Vincentius: diem penè totum sermonibus ad populum faciendis, noctis multam obsecrationibus lectionibúsque partem eius minimam somno dicitur impendisse: cubitasse autem, cùm durius, armentis substratis, cùm mollius, paleis: cùm honestius, sacco. ibidem.

De Petro.

Petrus quoque eiusdem & ordinis, & sanctitatis vir, dum etiam ipse interdiu prædicando excubat, & noctu deprecando, psallendo, legendóque vigilat, ad martyry vsq; palmam peruenit: & quia per omnia sanctorum Apostolorum vitam exprimeret, ad eorum proiectus est gloriam. ibidem.

De Bernardino.

Bernardinus verò nec Deo illis (mea quidem sententia) minor, quia de collegio Minorum fuit, etiam antequàm religionem profiteretur, religiosi vitam vixit. Quódque ad rem pertinet, tũc quoque ad offerẽdum Deo laudis sacrificium noctu consurgens, ne quieti occuparetur, contemptis lecti stratis, super pauimento vestitus iacere consuerat. Cum hoc vigiliarum præludio ad monasterium venit: tantò deinde minus somno concessurus, quantò perfectius viuendi subibat institutiũ. Et quoniã sacris initiatus, omni sanctitatis genere præcelluit, etiam vigilantißimum fuisse nemo dubitat. Quod ergo noctu didicerat vigilando, hoc die alios docuit prædicando: multósque, qui peccatorum oppreßi veterno in morte dormiebant, excitauit in salutem. dederat enim Dominus verbũ euangeli Zanti: dederat voci illius vocem virtutis. Nisi somni semper parcißimus fuisset, nunquam tãtum in Dei seruitio profecisset. ibidem.

De more obseruato in monasterio Thebaidis.

Legimus etiam in monasterio Thebaidis, in quo Euphraxia virgo summis effulsit virtutibus, moris fuisse, in terra cilicino tectas, stragulo cubitare: ac quoties aliqua sororum minus pudici somni præstigiis ludificatam se cognouisset, Abbatissæ confiteri, & quantum visa displicerent, cinere stratis inspersò testari. Quis igitur dubitat quin iis, quæ somniatum crimen, vt commissum dolebãt, dormitio ipsa multò plus solicitudinis attulerit, quàm quietis, semper verentibus ne quam eiusmodi somnorinam speciem mẽti obuersari contingat? Præter hæc autem Euphraxia, cùm quicquam tale per quietem passa fuisset, biduannis triduanisque ieuniis sese macerabat, vt in cinere iacens, etiam cùm obdormiuisset, cibos potius, quàm abominationes somniaret. ibid.

DE ORATIONE, Græcorum exempla.

De Anchise.

ANchises, vt Poëtica fides his adijciatur, ostento cõmotus, quod circa Ascanium fieri contigit, nocte illa, qua Ilium est à Græcis excisum, Iouem precaturus, manus & oculos ad cælum extulit. Sabel. lib. 2.

De Ænea.

Æneas huius filius in tẽplo Delij Apollinis, cùm his, qui aderant, in terrã procubuit. Cæ-

Universidad de Deusto Biblioteca

terùm in Creta noctu apud Deos penates patrium morem imitatus supinus manus, & oculorum aciem in cælum ablegauit, Deos rogaturus. ibidem.

De Didone.

Nec Dido vno orasse modo traditur, quippe quæ hospitalē Iouem propitiatura, vinum leuiter libauit, mox alibi aram tenens manibus, orationē peregit. ibidem.

De Athenienſibus.

Athenienses à Lacedæmoniis frequenter bello fracti, ac profligati, humano destituti consilio, diuinum implorantes, Hāmonis Iouis Oraculum cōsuluere, quidnam causæ foret, cùm ipsi lectas ad sacra bidentes, tauros eximios, & eos quidem cornibus inauratis, Deos immortales placaturi, ad aras mactarent, nihilque huiusmodi facerent Lacedæmonij, victoria sæpius ad eos Lacedæmonios verteretur. Proinde responsum acceperunt Athenienses, tacitam & nullatenus ambitiosam Lacedæmoniorum orationem magis, quàm Athenienſium pompam inanem Diis probari: quibus semper est peculiare, multò dantis animum, quàm munus impensius intueri. Guido Exemplorum lib.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Rom. mulieribus.

Accidit sæpe, vt Rom. rebus bello accisis, cùm nouus terror ab hostibus impēderet, Romanæ mulieres pacē malorum petituræ, solutis crinibus templorum pauimenta verrerent. Sabel. libro 2.

De Africano Maiore.

Scipio, qui primus tulit Africani cognomen, noctu Capitolium solus ascendebat, adoraturus Deos: vt verò quidam autumant, Iouem consulturus: in quo subit illa reputatio admiratione digna, nunquàm eum, tametsi antelucanus locum adiret, à canibus arcis custodibus allatratum. ibid.

De Romulo.

Romulus Sabino bello, quod circa Capitolium Palatiūmque gestū est, cùm turpem suorum fugam quodam prælio sistere non posset, statori Ioui ædem voto nuncupauit, si fugientibus suis metum ademisset, sisterétque Romanum aduersus hostem, qui à tergo victor instabat. Vix bene preces effuderat, atque illico factus est voti compos: restituta enim acie, non tantùm æquata est pugna, sed ad Curtium vsque lacum Sabinus qui victoria exultabat, est cum cæde & strage pulsus. ibid.

De Numa Pompilio.

Quid Numa (succeßit is Romulo è Curibus Sabinis in regnū accersitus) quàm efficax illius precatio, aut quàm audax, quę è cælo Iouem elicuit, vel certè elici posse arbitrata est? res (quod satis constat) non solùm credita, sed ab aliis etiam tentata: Tullus enim Hostilius, qui post illū regno potitus est, quia parum scitè id sacrum obiisset, cum tota domo fulminis est igne concrematus. ibid.

De Tullo Hostilio.

Potuit Tullo mitiore precatione contentus esse, vel quali Fide nati bello fuit vsus: qui cùm ad Tyberis & Anienis confluentem in Fidenates & veientes aciem direxisset, cognita Albanorum ad hostes defectione, duodecim Salios vouit Marti, extitítque confestim victor exercitus, qui pro victo iure habebatur, tam spe & viribus impar hostibus factus. ibi.

De Tucia Vestali.

Tucia Vestalis iussa dicere causam criménque diluere, quod ab accusatore intendebatur, Vestam precata est, vt sic castè sanctéque eius sacris ad id tempus operam dedisset, propositum teneret. Hoc tantùm precata est, simúlque ad ripam fluminis progressa multis comitā-

tibus, vt rei euentum cognoscerent: cribrum fluuiali aqua plenum ad Pontificum cõspectum, quorum ea cognitio erat, detulit. adijciunt huic miraculo, accusatorem attente requisitum nusquam apparuisse amplius. ibidem.

De Claudia Vestali.

Pari miraculo illustrata Claudia eiusdem cæremonię cultrix, cuius liberior vita cùm calumniam incurrisset, vt eã hominũ animis opinionem magno aliquo testimonio eximeret, facinus adorta est, plus admirationis, quàm fidei ad posteros habiturum: nauem, qua Deorum mater vehebatur, Tyberino vado hærentem, vestam prius supliciter precata, cingulo alligat: mox eã remolita est, traxitque aduerso flumine: quod pars Romanæ ciuitatis post multos & varios conatus nequiuerat. ibi.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Bartholomæo Apostolo.

Bartholomæus Christi discipulus centies quotidie submittẽs genua, adorabat: nec minus frequens nocturnis supplicabat horis. precandi modũ Apollonius Abbas postea preclarè retulit. Sabel. lib. 2.

De Isaacho Syro.

Peregre olim venisse fertur Spoletum in Vmbriam Isaachus Syrus, ab initio Monachus, Abbas deinde factus, impetratóque ad preces emittẽdas loco, totum triduum genibus innixus, in precatione perseuerauit, & vt res erat difficilior opinatu, eò suspectior esse cœpit spectantibus. Ceu igitur sanctitatis ostentator, non deprecator percussus est à quodam contẽptim: nec cælestis vltio multùm dilata: sed confestim percussor à dæmonibus exagitari cœptus est, haud dubiè periclitaturus, nisi os illud quod impia nuper manus perstrinxerat, tempestiua precatione affuisset. ibidem.

De Anna Helcanæ.

Anna Helcanæ vxor in modico numinis adorandi ardore, vt temulenta et insana in templo increpata est à Sacerdote. ibidem.

De altera Anna.

Fuit altera huius nominis mulier in eadem gente sanctitate insignis Viduæ cognomen à priore discreta. hæc nũquam tẽplo egressa est ieiunio & precibus indefessè operata. ibid.

De Sara Rhaguelis.

Et totum triduum Sara Rhaguelis filia perpeti precatione consumpsit cœnaculo inclusa, quo pietatis affectu post multa virorum funera stabile & mansurum connubium sortiri merita est. ibid.

De Deipara virgine.

Sed quo te ore referam vigẽs cæli decus, spes labentium, Deipara virgo, cuius vitam nullus vnquam satis laudare potuit? Ferunt te postea quàm ad templum tenera adhuc ætate ducta es, à prima luce ad horam tertiam diei precari solitam, inde ad meridiem honestè & ingenuè puellare aliquod opus obire, atque id serium, & conducibile: mox reliquum diei diuinarum literarum lectioni sedulò impendisse, ita vt cùm ritè sanctéq; cœlestia curares, humana nõ omnino despiceres, Marthæ & sororis vtrunque munus complexa. ibidem.

De Saluatore nostro, ac Domino Iesu Christo.

Saluator noster ac Dominus sicuti nos orare docuit, ita etiã ante orationem, vt piè nos præparemus iubet, fidem, spem, charitatem exigens à nobis: fidem ibi, Omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes accipietis: spem ibi, Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnũ: charitatem ibi, Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem.

Universidad de Deusto Biblioteca

Quo deinde corporis gestu, quaue humanitate orandum esset, suo sæpe exemplo monstrauit, dum (sicut veritatis scriptores retulerũt) nunc procidẽs in faciem, nunc positis genibus, nunc eleuatis in cælum oculis, obsecrat Patrem.

Locum quoque orantibus aptum designauit vel dicens, Domus mea domus orationis vocabitur: vel monẽs, Cùm oraueris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuũ in abscondito: vel faciens, quando dimissa turma, ascendit in mõtem solus orare: vel tempus etiam orandi præscripsit, & vespertinum, vespere facto orans in monte & nocturnum, pernoctans in oratio, & antelucanũ, valde diluculo surgens, & in desertum locum secedens, vt ibi oret, & penè continuum dicens, Vigilate omni tempore orantes.

Assiduitate denique in orando opus esse tum verbis docuit, tum exemplo significauit: dormientibus Apostolis, ipse vigilãs, iterùm & tertiò eundem repetẽdo sermonem, orasse dicitur. Et, vt Lucas ait, factus in agonia prolixius orabat, ne scilicet aliter egisse videretur, quàm præcepisset. Præceperat, autem, similitudinem afferens, ac dicens, Si quis nocte intempesta ad amici pulsans fores, perseueret, ipsa poscẽdi improbitate coget illum de stratu suo surgere, & panes, quos petierat, sibi mutuò dare. Parabolam etiam proponens iudicis Deum hominesque contemnentis, qui viduæ quotidie interpellantis victus tædio, cam ab aduersarij sui calumnia tandem decreuit vindicare. Audite, inquit, quid iudex iniquitatis dicit, Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patiẽtiam habebit in illis. Non vindictam intelligas contra inimicos, quos diligere iubemur, sed contra tentationes, quibus resistere nemo valet, nisi Domini ope auxilióque adiutus fuerit. Quandiu ergo cum his nobis colluctandum est, tãdiu & orandum. Neque huic sententiæ illam contrariam putemus, quam idem salutis nostræ autor ac doctor protulit dicens, Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciũt: ethnici enim, id est Gentiles, longas orationes orabant, orandi affectum non habebant. Itaque nõ multum orare prohibuit: sed eos, qui labijs multum, corde parũ orant, imitari: ideóque subiũxit, Nolite vos assimilari eis. Marul. lib. 2.

De Apostolis.

Siquidem & Apostoli postquam ille deuicta morte ad cælos, vnde venerat, rediit, in Hierusalem reuersi, cùm cœnaculũ ascendissent (vt Lucas in Actis eorum testatur) perseuerantes erant vnanimiter in oratione, cum mulieribus & Maria matre Iesu, & fratribus eius. Indè refert Spiritum sanctum aduenisse, domum, vbi erant sedentes, repleuisse, supra singulos eorum linguas, tanquam ignis apparuisse, vt intelligas perseueranti ac iugi oratione Spiritus sancti gratiam conciliari solere ibidem.

De Petro & Ioanne.

Petrus & Ioannes ascendebãt in templum ad horam orationis nonam, & languido ante vestibulum mendicanti pro eleemosyna sanitatem dederũt. Itaque documento nobis sunt, ne soli orationi vacantes, misericordiæ in egenos obliuiscamur. Scriptum est enim, Non apparebis ante conspectum Domini vacuus. ibidem.

De Pharisæo & Publicano.

Arrogantiam quoque in orando fugiendam humilitatémque sequendam hinc Pharisæus, hinc publicanus monẽt: alter insolenter sese efferens, & inani iactatione cæteris præponens reprobatur: alter verò cælum intueri non ausus, sed in terram pronus, pugnis pectus verberãs rediit (vt veritas ait) iustificatus præ illo. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exalta-

bitur. Oratio humiliantis se (vt Ecclesiasticus inquit) nubes penetrabit. ibidem.

De Paulo & Iacobo Alphæi.

Hinc ipse vas electionis Paulus in Apostolorum gestis vbique memoratur, positis genibus preces Domino obtulisse: Iacobo Alphæi vtrunque genu in modum camelorum procumbendi assiduitate incalluisse. ibidem.

De Antonio Abbate.

Antonius Abbas, & ipse non nisi submissis genibus orãs, sæpe diem noctémque peregisse dicitur precatione perpetua. Nescio quod maius miraculum, an illo corporis gestu tam diu immotũ perstitisse, an tam cõtinẽter orasse, vtrum que sanè difficile, sed timor gehẽnæ, & amor Christi omnem vincunt difficultatem. ibidem.

De Pastumio Abbate.

Pastumius quoque Abbas vsque adeò orandi studio ducebatur, vt nulla corporis debilitas animi sedulitatẽ coërceret, aduersa valetudine pressus cùm de lectulo surgere non valeret, iacens orabat. Iam languor vehemens expeditius loquendi ademerat facultatem, & tacitus labiorum motus etiam tum illum orare testabatur: denique discedens anima non prius orationem, quàm corpus reliquit. Orantem adhuc Angeli exceperunt, & ad cælum tollentes Domino obtulerunt, vt semper lætari possit, eam se beatitudinem impetrasse, quam semper petierat. ibidem.

De Sisinio Elpidij Abbatis discipulo.

Sisinius Elpidij Abbatis discipulus cùm annos septem sub illius institutionibus fuisset cõuersatus, tandem discedẽs, quodam satis grandi monumento lapideo se obcludens per triennium semper rectus orasse dicitur, neque interim aut sedisse, aut iacuisse, aut inde pedem extulisse. Quid prius mirer nescio, an angustè habitantem, an immobiliter stantem, an continenter orantẽ: cuncta quidem dura factúque difficilia, nisi quòd corporis lassitudinem animus Deo intentus minus sentire potuit. Qui enim tam perseuerãter orauit, is in cælo magis, quã in sepulchro fuit. ibidem.

De Paulo.

Paulus in finibus Africæ quingentorum Monachorum quondam pater nullo vitæ suæ die quicquam prius egit, quàm trecentas orationes genibus proualutus Domino obtulisset, eas calculos in sinum ingerẽdo, numerabat. ibidem.

De Stephano presbytero Constantinopolitano.

Sed nequando (vt vsu venire solet) inter orandum sopore correpti dimidiatas relinquamus preces, Stephani presbyteri Constantinopolitani exemplum nos hortatur. Qui cùm totum Psalterium singulis noctibus perlegere moris haberet, atque aliquando citius, quàm consueuerat consopitus ipsum semilectum dimisisset, monitus est à Petro Apostolo in somnis, vti surgeret, & cœptum opus intẽtius perficere curaret. Quæ res argumento est, non nisi peractis finitísque orationibus, dandum esse quieti locum. ibidem.

De Martino Bituricensi Monacho, & alio quodam.

Nequando etiam à missarum auditione orante tunc pro nobis sacerdote res aliqua non ita necessaria nos abducat, meminisse debemus quòd quidam à Martino Bituricensi Monacho vocatus, vti die Dominico missam vnà secum audiret, nondùm finita, ne tardiùs negotio tũc vrgenti occurreret, abire voluit: sed ascenso equo frustráque calcaribus fatigato, vbi bestiam, vt inde se moueret compellere nequiuit, semetipsum reprehendens desilijt, & missam perfectè integrêque audiuit. Atque eodem equo statim, quò optabat, est euectus, & in tempore domum reuersus, rei gerendæ oc-

casionem non amisit: sed promptiorē expeditioremque, quàm si præuenisset, habuit. ibidem.

De Ioanne Patriarcha Alexandrino.

Hac eadem in re Ioannis Patriarchæ Alexandrini laudāda est solertia, qua populum audito Euangelio mox ab Ecclesia dilabi solitum curauit continere. Etenim ipse intermissa celebratione, sequi egredientes cœpit, dicens, vbi oues, ibi pastorem adesse oportere. hoc modo redargutis pudorē iniecit: ita vt nunquam postea prius ab altari discederēt, quàm sacerdos peracto sacrificio benedictionem daret. ibidem.

De Martino Turonensi Episcopo.

Martinus Turonensis Episcopus diem obiturus extremum, frigescentibus mēbris, iam immotus iacebat: labia tamen mouebantur. denique orare nō destitit, donec subito lumine circumfusus reddidit spiritum. diū ergo moriendo orat, & orando moritur, mortis tenebras non sensit. ibidem.

De Seruatio Traiectensi Episcopo.

Seruatio Traiectensi Episcopo oranti igneus supra verticem radius apparuit, qui mox in sublime euolans, cælum petijt, testatus (vt mihi videtur) in ignis specie orationum eius feruorem, in splendore vitæ puritatem, in ascēsu meritorum altitudinem. ibidem.

De Philiberto Abbate.

Philiberti quoque Abbatis apud Rhotomagum Galliarum vrbem in ecclesia deprecantis oculi, veluti duo sidera, fulgere visi sunt, vt ex hoc cognoscas humiliter intentéque deprecātium oculos Spiritus sancti fulgore illuminari, ne vnquam obdormiant in morte. ibidem.

De Trasilla virgine.

Huiuscemodi solicitudinis mirandum exemplum in Gregorij Pontificis dialogo relatum legimus. Ipse enim testatur, in Trasillæ virginis amitæ suæ, cū vita defunctam lauare vellent, genibus cubitisque concretam callorum duritiem apparuisse: palámque factum exanimi iam corporis indicio, quanta illi adhuc viuēti sanctarum precum cura studiúmque fuerit. sic cōseruatur virginitas, sic ad cælestis thalamum sponsi peruenitur. ibidem.

De Elizabeta Lantgrauij vxore.

Sed neque coniugatis quominus orationi animum intendāt maritalem torum impedimento esse Elizabeta Lantgrauij Turingiæ Principis vxor suo ostendit exēplo. Impetrata enim à viro noctis cōtinentia, ad orationē secedebat, super pauimentum distento tapetulo cubitans, ne mollius iacēti altior somnus horas interciperet orandi. Vir quoque sanctitudine illius delectatus, ad ea quæ Dei sunt, magis magísque inflammabatur inde & quod petitus erat, facilius concedere, & ipsemet impensius orare. Dicerem eos idemtidem recordari illud ab Apostolo præceptum, Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Ita ambo eiusmodi curæ pariter incumbentes, spiritui magis, quàm carni seruiebant. Sed illa deinde viduitate facta liberior, tantò soli Deo intenta orauit ardentius, quantò à rebus familiaribus iam aliena vixit expeditius. ibidem.

DE ORATIONIS VIRTVTE.

De Ammone Ægyptio Abbate.

Ammonis Ægyptij Abbatis oratio immanē atque terribilem draconem, & qui iumēta hominésque enecaret, per medium crepare compulit, puerúmque pestifero illius afflatu interēptum suscitauit, alteri vitam, alteri mortem dedit. Quoniam qui nocet, morte dignus est: cui nocetur, miseratione. ibidem.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

De Rophilo Popiliensi & Mercuriali Liuensi.

Rophilus Popiliensis & Mercurialis Liuensis, ambo Episcopi draconem æquè pecori atque hominibus infestum, stolis suis non repugnãtem, sed quasi mãsuefactum ligauerunt, atque post se trahentes in puteum altitudinis immensæ nunquam inde exiturum deiecere. Literæ ibidem in lapide incisæ factum hoc indicant, & adhuc extantes legẽtibus fidẽ faciunt. ibid.

De Romualdo Abbate.

Romualdus Abbas (qui ordinis Camalduensis fuit autor) cùm à Parentio Liburniæ oppido soluens nauigaret, & nauis magnis fluctibus iactaretur, omnésque qui cum eo erant, de salute desperarent, pelagi ventorumq; sæuitiam oratione placauit, illum vtique deprecatus, qui ventis & mari imperat, & obedunt ei. ibid.

De Fantino Syracusano.

Fantinus Syracusanus cùm Messanæ à Stradicone præfecto ad martyriũ quæreretur. Angelique monitu solus nauiculam ascendens, fugeret, iam propè erat, vt ab insequentibus caperetur, quando Deum precatus, myoparonem illorum stare fecit, ita vt neque velo, neque remis vltrà impelli posset: sicq; aduersariis post relictis, Dei, quem inuocauit, ope periculum euadens, Rhegium vsque delatus est. ibidem.

De eodem.

Idem Tabrianam Calabriæ ciuitatem accedens, cùm Balzanio diuiti quidem viro, sed Gentili, pro seruo se locasset, vt haberet, quo aliorũ inopiæ subueniret, & superbus dominus equos, quos illi pascendos commiserat, strigosiores cernens, furore concitatus, ipsum persequi cœpisset, neque ei ad fugam iter pateret: Deum rogauit, & Motabrum flumen, quo intercludebatur, virga percutiens, diuisit, atque per siccum alueum transiens, persequẽtis iram rursum iungentibus se aquis cuasit. persequutor autem præ stupore iam placatus, obsecrauit hominem, vt se quoque eodem modo transire faceret: percussóque iterum fluuio, idem sequutum est miraculum. Tunc cognita Christi virtute, Balzanius credidit, & simul cũ multis baptisma suscepit: sicque Fantinus orando, mortis periculum effugit, & ijs, quos effugerat, vitam, quam non habebant, dedit. ibid.

De Pharaone Maldensi Episcopo.

Æquè admirandum Facinus & Pharaonis Maldensis Episcopi fuit. Etenim submersam in flumine simul cum vectoribus nauem miseratus, cùm in ripa se prosternens, Deum orasset, ab imo fundo in summas aquas enatare fecit, saluis omnibus, qui in ea erat. Tale quid & Apostolo euenisse credimus qui ad Corinthios scribens, ait, Ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. ibid.

De Thoma Aquinate.

Thomas Aquinas Christianæ disciplinæ egregius Philosophus, quoties aut ad legendum accederet, aut disputationẽ iniret, aut scriptionem aliquam diuinæ tractationis assumeret, semper prius orare solitus fertur: nihil rectè auspicari, nihil agi ratus sine maiestatis diuinæ inuocatione, cuius donũ est quicquid bene feceris, bene dixeris, bene cogitaueris. ibid.

De Odilone Cluniacensi Abbate.

Defunctorum animas, quæ nondum ita ad purum expiatæ sunt, vt cælo dignæ habeantur, viuentium orationibus iuuari non solùm Ecclesiæ traditione, sed etiam reuelationibus exemplisq; sanctorum constat. Benedictus decimus Pontifex Maximus postq; vita defunctus est, apparuit Ioanni Portuensi Episcopo, séq; ne æternis pœnis addiceretur, Odilonis Cluniacensis Abbatis interceßionibus cõsequutũ dixit, & tantummodo temporariæ afflictioni, donec vitæ maculas diluat, deputatum. Id vbi resciuit Abbas pro

illo solicitus orauit, simúlq; monachis, vt pariter oraret iniuxit: & ecce, non multò pòst idem Benedictus fulgore renitens, visus est primum Eldeberto monacho, deinde ipsi Odiloni, cui & gratias egit, asserēs se suis fratrumq; precationibus à pœnis Purgatorij ad beatitudinis quietem translatum. ibi.

De eodem.

Hic idem sanctus Abbas diuinitùs monitus, solennes pro mortuis precationes die festo omnium Sanctorum proximè sequenti fiendas instituit, primúsque celebrauit. ibid.

De Arnulpho Turonensi Episcopo.

Arnulphus Turonensis Episcopus cuiusdam nuper defuncti animam à dæmonibus ad gehennam trahi vidit, & procidens diuinam clementiam, vt eius misereretur, implorauit. Tum demũ reddito corpori spiritu, surrexit qui fuerat mortuus ac se precibus Arnulphi seruatum palàm est testatus. ibid.

De Malachia Ceneroth Hiberniæ vrbis Episcopo

Malachias Ceneroth Hiberniæ vrbis Episcopus, cuius vitam scripsit Bernardus Abbas, quotidie pro sorore sua defuncta missale sacrificium Domino offerebat, cúmque magnis quibusdam occupationibus impeditus, offerre intermisisset, illa per noctem quiescenti apparens conquesta est, iam triginta dierum inediam se sustinere (tantum autem temporis ab oblatione missæ cessatum erat) proinde petens, vt ipse tandem necessitati suæ subueniret. Quo visũ ille admonitus easdem pro sorore supplicationes nullo non die celebrans, iterum ipsam vidit, & primùm quidem in limine Ecclesiæ stare, deinde Ecclesiam ingredi, postremò altari proximam quorundam albatorum choro iungi. Quo indicio patuit, ipsam fraternarum precum assiduitate, multò celerius, quàm suis meritis purgatam, ad consortium peruenisse beatorum. Oratio ergo pro defunctis, quemadmodum & cætera pietatis opera, cibus eorum est, quo refocillati agilius illuc se transferunt: vbi (vt Hieremias ait) erũt quasi hortus irriguus, & vltrà non esuriẽt. ibi.

De Stephano abbate.

Sed sicut mortuis, vt purgentur, ita etiam viuis, vt corrigãtur, suffragari solet oratio iustorum. Stephanus Abbas ordinis Grandimontensis institutor, dum montis Moreti (qui est in Aquitania) solitudinẽ incoleret, pro milite quodam, vt flagitium, in quo obstinacior videbatur, dimitteret, orauit: hinc ille, qui neque iam ab eo desistere se posse, neque si posset, velle dixerat, repentè mutatus peccatum suum fleuit, vitámq; correxit. ibidem.

De Geraldo.

Geraldus præcipuus castitatis cultor, cùm generis nobilitate & diuitijs polleret, atque in cuiusdã villici serui sui filiam oculos coniecisset, forma eius captus, an se illi venereo amore iũgeret deliberare secum cœpit: diu voluptas cũ honestate contendit, & tandem vicit. decreuit puellam domi suæ conuenire: sed priusquam id fecisset, orauit. Vt verò peracta oratione illam adijt, vsque adeò sibi deformis apparuit, vt parentibus eius hanc ipsam esse, quam adamauerat, vix crederet. Itaq; intactam relinquens, ad se redijt, & turpis propositi pœnitens, filiam dote, patrem libertate donauit, ac deinceps vixit cautiùs. Postremò Monachus factus, meruit in Catalogo redigi sanctorum. At si tunc non orasset, cecidisset: si cecidisset, fortasse nec Monachus, nec Sanctus fuisset.

De Anselmo Episcopo.

Anselmus Episcopus cùm fratrem quendam ex languore morti iam proximum pauitare, atque horrore concuti animaduertisset, causam rogauit, & ille respondens, duos ibi lupos adesse dixit rabida toruitate terribiles, minacitérque ringentes, & inde se timere, ne dilanietur abeis. Tunc Episcopus pro ipso do-

minũ orauit, ac post orationem eadem fratre referente, audiuit feras illas bestias discessisse fugatas flamma ex ore orantis in fulguris morem promicante. Hoc demum remedio frater pauoris molestia liberatus, ac securior factus, ad Dominum migrauit. Quæ res documento est, tunc maximè nobis opus esse precibus Sanctorum, cùm è vita decedimus, nullo tempore acrius in nos insurgente dæmonum pugna. ibid.

De Barbara virgine.

In Barbara virgine, vt constans sanctæ Trinitatis confessio, ita efficax fuit pro necessitate deprecatio: dum enim infidelem & iratum fugeret patrem, & fugã prærupti mõtis crepido inhiberet, orauit dominum, ac protinus illo, in quo hæserat, saxo in aduersam altitudinis partem se inclinante, euasit: neque tamen tanto miraculo inclinatus est impius pater, vt vel sic elapsam quærere cessaret. Proh nephas, pater persequitur, saxa miserantur: & ad inuocationem Christi montes mollescunt, hominis infidelitas obduratur. ibid.

De Theodora Romana.

Theodora Romana Sisinij cõiux à Clemente Pontifice conuersa, & ob hoc à viro infideli odio habita, pro conuersione eius orauit, & exaudita est. Petrus Apostolus oranti apparens, Sisinium precibus eius à Domino concessum nuntiauit. hinc demum deposito errore, Sisinius christianitatem accepit, & vir infidelis per mulierem fidelem saluatus fuit. Non illum suasionibus, non argumentis est aggressa, ne peruicacis animi hominem, dum lenire nititur, grauius irritaret. Tacita Dominũ rogauit, & lupus in agnum mutatus est, factáque sunt prauia indirecta, & aspera in vias planas. ibidem.

Quid mirum autem tantum virium inesse orationibus sanctorum, cùm hæ vsque ad illius solium aurésq; peruenianf, qui quodcunq; vult facit in cælo & in terra? Angelus ad Tobiam, Ego, inquit, obtuli orationem tuam Domino, Et in Apocalypsi dicitur, Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Sancti orant, Angeli ministrant, Deus dat gratiã. Qui facit mirabilia solus, & cuius potentiam, sapientiam, bonitatem admirari licet, comprehendere non licet. ibid.

DE TENTATIONIBVS TEMPORE ORATIONIS.

De Sulpitio Bituricensi Episcopo.

Sulpitius Bituricensis Episcopus, dum nocturnis precibus incumberet, horrendos circa se strepitus vocésque terribiles audiuit: neque tamen aut loco cessit, aut orare desiit, donec sedatus est tumultus. Qui enim confidit in Domino, sicut mons Sion non commouebitur in æternum. Par terrori erit, atque dicet, Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meũ: si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. ibi.

De Maximo Monacho.

Qui Sulpitium terrere volebant, idem Maximum Monachum (qui postea Rhegiensis Episcopus fuit) seducere conati sunt. Nam cùm noctu ad litus processisset, vt oraret (monasterium enim non procul à mari erat) vidit nauem applicuisse, à qua descendentes nautæ, ipsum reuerenter adierunt, atque laudibus attolere cœperunt, quòd scilicet fama eius vsque ad Syriæ fines peruenisset, quódque multi eum videre desiderarẽt: quòd denique si illò proficisci vellet, saluti plurimis foret, & si modò secum ire dispõneret, se iam in rem paratos esse, pro lucro habituros si talem virum vehere sibi contigisset. his inanis gloriæ officiis diaboli calliditas nitebatur subuertere hominis mentem, vt qui in orando humilitatem imitabatur Publicani pectus percutientis, iam tandem imitaretur iactantiam Pharisæi sese arroganter efferen-

tis. Attamen Maximus antiqui hostis captiosas tendiculas circunspecto sagacique animo percipiens, positis in litore genibus, sicuti præposuerat, orauit: & statim auersi sunt erubescentes, qui dixerunt illi, Euge euge. Discamus eius exẽplo cauere adulantium adopertos delinificis sermonibus dolos, melléque circumlita venena: cùm etiam Solomon præcipiat dicẽs, Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.

De Launoniarico Abbate Carnotensi.

Launoniarico Abbati Carnotensi noctu oranti lucernam ter à Dæmonio extinctam fuisse ferunt, & ter Ab Angelo rursum accensam. Non est passus Dominus illum deridiculi gratia in tenebris derelinqui, qui orando seruiebat luci. Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Quid tunc solatij, quid gaudij cepisse Launoniaricum dixerim, cùm pro se contra nequitiæ spiritum stare Dominum videret? Potuit lætus concinere Dauidicum illud, Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas. In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. ibidem.

De Leonardo Corbiacensi Monacho.

Leonardo Corbiacensi Monacho oranti serpens à pedibus in sinum vsque sursum versus reptauit, quem quidem ille vsqueadeò nihil expauit, vt immobiliter permaneret, donec precum finem fecit. Quinetiam peractis precibus vltro sese pestiferæ bestiæ ingerebat dicens, ne facere differret, quicquid faciẽdi facultatem aduersus ipsum à Domino accepisset. Sed illa sicuti orantem non terruit, sic etiam omnia pati paratum minimè læsit. Quotus quisque vel viso tantùm iuxta se serpente, non cõtinuò trepidus exiluisse? At Leonardus etiam in gremium illabentem contempsit. cur ita, nisi quia verũ est quod

in Prouerbiis Solomon ait? Fugit impius nemine persequente: iustus autem vt Leo confidens absque terrore erit. ibid.

De Diuo Francisco.

Serpens autem ille antiquus, qui fraudulentis perniciosisque suasionibus seducere mortales non cessat, neutiquam decipere potuit humillimũ precatorem, fidissimúmque Dei seruũ Franciscum: qui cùm die quodam prolixius oraret, audiuit clamantem Francisce, pœnitentibus ignoscit Deus, non se tam pertinaci fatigatione conficiẽtibus. Agnouit in verbis dolos: & sicut cœperat, orando perseuerauit, atque etiam ad perferendos pro Christo labores magis exarsit. sciebat enim, inimici consilia semper eò spectare, vt fallant, nunquam vt doceant, scriptúmque esse, Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij. ibid.

De eodem.

Rursum tamen humani generis perpetui hostes, quoniã fraudulenta inductione nihil profecerant, terrificationibus aggredi illum decernunt: dúmque ipse nocte quadam precationi operam daret, super tectum domus immaniter strepere, atque horribiliter mugire cœperunt. At ille intrepidus exurgẽs, En adsum, inquit, nequissimi spiritus, venite, exercete in me, quicquid vobis permissum est: quòd si corpus hoc verberibus affeceritis, quid aliud, quàm vindicabitis me de aduersario meo? his dictis confusi discesserunt: ille ad preces Deo persoluendas rediit, nullis tentationibus cedens, sed fiduciam habẽs in Domino semper. ibid.

De eodem.

Cæterùm nec sic superata Satanæ improbitas conquiescere potuit, iterúmque orãti illi plus etiam molestiæ intulit tacita suggestione, quàm intulerat manifesta infestatione. Intimo nãque medullarum titillatu cogitationem ei libidinis excitauit,

atque ille intermissa precatione, repente exurgens violentum mentis motũ dura corporis flagellatione repressit, venarúmque calescentium pruritum, semet in gelida niue nudum prosternens, extinxit. Hoc enim est genus illud quod non eijcitur nisi per orationem, & ieiuniũ. ibidem.

De Agathone Abbate.

His iam dictis exemplis Agathonis Abbatis sententia probari potest, qui interrogatus, cuinam spiritualium actionum plus laboris inesset, Precationi, respondit: quoniam precationis tempore ipse nequam spiritus plurimum nobis negotij exhibet: nunc apertè oppugnans, nunc occultè insidians, modisque omnibus enitens, vt confundat deprecantium mentes, atque conturbet: haud ignarus, quanti apud Deum momenti sit constans, continua, perseuerans humiliter orantis intentio. ibidem.

DE CONTEMplatione, Græcorum exempla.

De Homero.

Homerus vates cùm ridiculam quæstionem ac profectò indignam, quæ argumenti fœditate referatur, a piscatoribus sibi propositam soluere nequiuisset, saxo sedens secus mare, siue nimia attentione rei indagandæ, siue dolore non repertæ, animam (quod satis cõstat) efflauit. Magno humanæ caliginis documento, vt ingeniorum lux sordidorum sit hominum ludibrio extincta. Sab. lib. 2.

De Epimenide Cretensi.

Meditatúsne sit an perpetuo somno pressus iacuerit Epimenides Gnosius siue Phestius, in dubium venire potest: qui septem & quinquaginta annos latuit. tametsi enim scriptorum vulgus ad somnum inclinat: nemo tamen dormiendo sapientior est factus vnquã, nisi vulgari de Hesiodo opinioni quis temere accedat. Epimenides (quod nemo inficiatur) diuinarum fuit humanarúmque rerum scientissimus: nam & Cylonium expiauit scelus, & Solonem iuuit leges suis scribentem ciuibus. ibidem.

De Pythagora Samio.

Quid tam altis immersus tenebris egerit Pythagoras, qui per annum sub terra fuit, possit iure dubitari: sed meditationẽ illam non somnum fuisse credere par est. Quæ mentis agitatio: vt intentior sibi contingeret, oculorum lucem, qua nihil est homini charius, cum perpetuis tenebris Democritus Abderites commutauit. ibid.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Numa Rege.

Notior Numæ Romani Regis fama. Peruigil sacrorum cura, quæ tam religiosos illi ingessit affectus, vt dearum congressu sibi frui videretur, cùm secretum sortitus esset, aut certè ipse ita videri voluit, vt quicquid ex illa solitudine manasset, sanctum & inuiolabile haberetur. Sab. lib. 2.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Aurelio Augustino.

Adijt mulier quædam obscuri nominis Aurelium Augustinum in secreto sedentem, cæterùm profundæ meditationi intentum. stetit illa coràm, de re (vt credere æquum est) graui ac seriapium sapientémque Antistitẽ consultura, ac nonnihil effata, quoniam nullum dabatur responsum ad ea, quæ dicebantur, inconsulta abijt sibi & Antistiti irata, suam credere humilitatem cõtemptui fuisse. Postridie reuersa incidit in eum sacris operantem: cæterùm Spiritu abrepta, visa est sibi cernere Augustinum de trinitate disserentem, ac simul arcana voce doceri se arbitrata est, non neglectam fuisse se ab humanissimo Antistite, sed non animaduersam. Sabel. lib. 2.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Thoma Aquinate.

Quid Thomas Christianæ pietatis propugnaculũ assertórque veritatis acerrimus? an cum multùm diúque animo penderet, impẽsiúsque diuinam contemplaretur naturam, non mirificè attolli librarique supra terram cubitali altitudine obseruatus est? sequebatur corpus tametsi graue, & onerosum potiorem hominis partem quæ cælo amica est. ibid.

De Francisco Asisiate.

Sed vix vllius vnquàm hominis contemplatio maiorem sortita fuit effectũ, quàm Francisci Asisiatis, quæ Dominicæ passionis argumenta, quæ animo inscripserat, manibus et pedibus repræsentata cum literis stigmate insigniter tulit. ibid.

De Maria Magdalena.

Mira hæc: sed quæ de Magdalena fœmina in primis memorabili prodita sunt literis, maioris adhuc admirationis. hanc in solitudine stantem quotidie statis horis Angelorum ministerio in cælum attolli solitam, cõmoratámq; ibi diutius, quàm mortalis necessitas pateretur. ibidem.

De Maria Ægyptiaca.

Altera huius nominis mulier cognomento Ægyptiaca, cuius vitæ mollitiem fregit eremi asperitas, cubitali altitudine inter precandum sublimis à terra in vacuo pondere visa est. ibidem.

De Elisabeta Regis filia.

Elisabeta à Rege orta abalienata mente statuæ similis stare solita est diu immobilis, cùm intentius preces funderet. ibidem.

De Clara diui Francisci sorore.

Iacuit à cœna Domini ad resurrectionis diem defectæ similis Clara Francisci Asisiatis soror, dum totum crucis schema altius contemplatur. Cæterùm ad se reuersa, visa sibi est ne horam quidem vnam quieuisse. ibidem.

De Catarina Senensi.

Catarina Senensis tulit suo corpore stigmata Redemptoris, Asisianæ scilicet pietatis, & meditationis æmula. Sabel. libro. 7.

De Ioanne Scoto.

Prædicari audio Ioãnem Scotum, quo nemo subtilius diuinas tractauit literas, animo linqui solitum, ac velut axanimẽ eodem, quo deprehensus esset, loco per diem interdum, & amplius immobilem sedisse, mente & sensibus sopitis, aut certè procul à corpore aberrantibus, atque ita demum ab hominibus eius rei ignaris pro defuncto elatum. ibidem.

De Bonicio Aruernensi Episcopo.

Bonicius Aruernensis Episcopus dum noctu in ecclesia meditationibus inuigilat diuinis, ecce pulchram vt luna, electam vt sol, beatam Mariam virginem choris comitatam ad se venire videt: iussus missam celebrat, indumentum miri candoris ab ipsa Dei genitrice sibi oblatum accepit. Visio abijt, ille a se reuersus, insomnium fuisse putabat, donec ipsum indumentum iuxta se iacere conspexit: quod adhuc extare dicitur, & cernentibus rei fidem facere, nemine deprehendente neque lini, neque texturæ genus. Marullus libro 2.

De Romualdo Abbate.

Romualdus Abbas ordinis Camalduensis autor, cũ ad Sutrij mõtis monasteriũ deuenisset, et ibidẽ missã celebraret, aliquandiu in ecstasi raptus stetit, posthæc Psalmorũ effici meruit expositor, quorũ paulò antè ne lector quidem satis idoneus fuerat: dum enim ipsum Dei verbum (quod tunc manibus contrectabat) intentius considerat, sanctorum verborum percipere meruit anagogicum latentémque sub litera sensum. ibidem.

De Diuo Hieronymo.

Meruit diuus Hieronymus spiritalis contemplationis ingẽtem & ineffabilem haurire dulcedinem: in eo quippe libro, quem de virginitate seruanda edidit, Post multas, inquit, lachrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & lætus gaudénsque cãtabam, Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus. Et ad virgines Deo dicatas scribens ait, Experto itaque seni deuotè consulenti credite filiæ, si semel gustatis, quàm dulcis est Dominus, ad quem accedentes, lapidem viuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum poteritis ab eo illud audire, Venite, & ostendã vobis omne bonum: & tunc ostendet vobis talia qualia non nisi mentes assuetæ norunt. Scio quid loquor charissimæ. Nam vt meam insipientiam loquar ego homunculus sic abiectus, sic vilis in domo Domini, adhuc viuens in corpore, Angelorum sæpe choris interfui, de corporis per hebdomadas sustentationibus, & nutrimentis nihil sentiens diuinæ visionis intuitu, post multorum fortè dierum spatia præsciis futurorum redditus corpori flebam. Quid ibi manens felicitatis habebam, quid inenarrabiliter delectationis sentiebam, testis est ipsa Trinitas, quam cernebam: nescio quo intuitu testes sunt & ipsi beati spiritus, qui aderant: testis est etiam conscientia mea, qui tantis bonis ipse fruebar, quot & qualia nescit proferre mollicies corporis mei. Denique subiungit dicens, Non potest ad tantæ contemplationis dulcedinẽ cor secularibus plenũ negotijs aspirare: sed oportet, vt seculo moriatur, vt soli Deo per tãtas meditationes & desideria supernis inhæreat. Vnde granũ frumenti cadens in terram, nisi mortuum fuerit, semper sic solum manet, vt cecidit: quòd si moritur, fructum plurimum affert. ibidem.

De Bernardo Clareuallensi Abbate.

In Bernardo Clareuallensi Abbate satis clarum signum mentis in cælo versantis fuit, quòd cùm aliquando equum ascendens, fratres Cartusienses inuisere perrexisset, & præpositus eorum ephippio nimis decoro illum vsum arguisset, quærere à comitibus cœpit, quale equi sui ephippium esset: neque enim aut insiliendo, aut desiliendo, aut etiam insidendo animum aduerterat, quale foret. Iterum prope ripam Lausanensis lacus diei iter fecerat: cúmque iam occaso sole ad hospitium diuertisset, & fratres qui eum comitabantur, inter se de lacu ipso verba iactarent, rogauit, vbi lacus ille fuisset. postquam audiuit, miratus est, seque eum penitus non vidisse asseruit. Nec tamen mirum videri debet, si rem oculi cernere nõ potuerint, cui animus non attenderit, qui sæpius quidem cum Deo, quàm cum hominibus erat. ibidem.

De Benedicto Abbate.

Æquè altæ contemplationis indicium in Benedicto Abbate mirabilis visus præbuit: nocte intempesta cælum per fenestram intuens, Deum adorabat, quando lumen vidit, quo nox ipsa ita resplenduit, vt cùm die posset contendere. mox totum mũdum conspexit arctè atque angustè constipatum perexiguæ pilæ instar: cælum quippe intuẽs, supra cælum mente euectus est, & per creaturæ considerationem ad Creatorem vsque peruenit. Illius ergo lucem, quam animo agitauerat, oculis vidit, & in illius luce tanquam in speculo mundum vniuersum: sed ideo quidem tam paruum, quoniam tanquam momentum stateræ (vt Scriptura ait) sic est ante Deum orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, qui descendit in terram. ibidem.

De Elizabeta virgine.

Elizabeta virgo egregium Comagiensis monasterij decus, cùm sese cælestium contemplationi dedidisset, obstupefactis

interdum corporis membris, ac sensibus, diu velut exanimis iacebat. Inde illi non pauca, quæ futura erant, diuinitus reuelata fuisse perhibent, solitámque beatæ Virginis frui colloquijs: librum etiam, qui Viariũ Dei dicitur, Angelo dictante, ab ea scriptum. Cùm hæc ita sint, nõne paradisum habuit in terris, quoniam mente semper in cælis fuit? ibidem.

DE LECTIONE ET studio, Græcorum exempla.

De Platone.

PLato humanæ sapientiæ lõgè princeps tantum Pythagoricæ disciplinæ tribuit, vt Philolai Crotoniatæ (fuit is Pythagoricus) magno pretio emerit libros: emptos tãto studio lectitarit, vt ad eius defuncti caput sint reperti. Sabel. lib. 2.

De Magno Alexandro.

Didicit Alexander Macedo non pauca ab Aristotele, sed puer: adultus verò medióque gerendarum rerum ardore, Homeri carminis lectione captus, tanto eius rei studio tenebatur, vt aureũ scrinium gẽmis prædi tũ in Dariana præda repertum in eum vsum legerit, vt Homeri opera eo inclusa bellicis gestarentur expeditionibus. Dignus qui tantum vatem sortitus esset, aut certè talem, vt ne suum Æacidæ inuidere debuerit. ibidem.

De Demosthene.

Demosthenes, cuius commemorato nomine maximæ eloquentiæ consummatio audientis animo oboritur, cùm inter initia iuuentæ artis, quam affectabat, primam literam dicere non posset, oris sui vitium tãto studio expugnauit, vt ea à nullo expreßius referretur. deinde propter nimiam exilitatem acerbã auditu vocem suã exercitatione continua ad mãturum & gratum auribus sonum perduxit. Lateris etiã firmitate defectus, quas corporis habitus vires negauerat, à labore mutuatus est. Multos enim versus vno impetu spiritus complectebatur, eósque aduersa loca celeri gradu scandens, pronuntiabat, ac vadosis litoribus insistens, declamationes fluctuũ fragoribus obluctantibus edebat, vt ad fremitus concitatarũ concionũ patientia duratis auribus in actionibus vteretur. Fertur quoque ore insertis calculis, multum ac diu loqui solitus, quò vacuum promptius esset, & solutius. Præliatus est cum rerum natura, & quidem victor abijt, malignitatem eius pertinacißimo animi robore superando. Itaque alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est. Maximus libro 8.

De platone Philosopho.

Plato autem patriam Athenas, præceptorem Socratem sortitus, & locum & hominem doctrinæ fertilißimum, ingenij quoque diuina instructus abũdantia, cùm omnium iam mortalium sapientißimus haberetur, eò quidem vsque, vt si ipse Iupiter cælo descendisset, nec elegantiore, nec beatiore facundia vsurus videretur: Ægyptum peragrauit, vbi à sacerdotibus eius gentis Geometriæ multiplices numeros, cælestium obseruationem rationum percepit: quóque tempore à studiosis iuuenibus certatim Athenæ Platonem doctorem quærẽtibus petebantur: ipse Nili fluminis inexplicabiles ripas vastißimósque campos, effusam barbariem, & flexuosos foßarũ ambitus Ægyptiorum senum discipulus lustrabat. Quo minus mirer in Italiam trasgressum, vt ab Archyta Tarenti, à Timæo & Arione & Ceto Locris Pythagoræ præcepta & instituta acciperet. Tanta enim vis, tanta copia literarum vndique colligenda erat, vt inuicem per totum terrarum orbẽ dispergi & dilatari posset. Altero etiam & octogesimo anno decedẽs, sub capite Sophronis numeros habuisse fertur: sic ne ex-

trema quidem hora agitatione studij vacua fuit. ibidem.

De Democrito Philosopho.

At Democritus, cùm diuitiis conseri posset, quæ tantæ fuerunt, vt pater eius Xerxis exercitui epulum dare facilè potuerit: quo magis vacuo animo studiis literarum esset operatus, parua admodum summa retenta, patrimonium suũ patriæ donauit: Athenis autem compluribus annis moratus, omnia temporum momenta, ad percipiendam & exercendam doctrinã cõferens, ignotus illi vrbi vixit, quod ipse quodam volumine testatur. ibidẽ.

De Carneade Philosopho

Carneades laboriosus & diuturnus miles sapientiæ: siquidem nonaginta expletis annis, idem illi viuendi ac philosophandi finis fuit. ita se mirificum doctrinæ operibus addixerat, vt cùm cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhærẽs, manum ad mensam porrigere obliuisceretur: sed eum Melissa, quam vxoris loco habebat, temperato inter studia animo, non interpellandi, sed inediæ succurrendi officio dexteram suam necessariis vsibus aptabat. Ergo animo tantummodo vita fruebatur, corpore verò quasi alieno & superuacuo circũdatus erat. Idem cum Chrysippo disputaturus, helleboro se antè purgabat, ad exprimendum ingenium suũ attentius, & illius refellendum acrius: quas potiones industria solidæ laudis cupidis appetendas effecit. ibidem.

De Anaxagora Philosopho.

Quali porrò studio Anaxagoram flagrasse credimus? qui cùm post diuturnam peregrinationem patriam repetisset, possessionesque desertas vidisset, Nõ essem, inquit, ego saluus, nisi ista periissent. Vocem petitæ sapientiæ compotem. Nam si prædiorum potius, quàm ingenij culturæ vacasset, dominus rei familiaris intra penates man-

sisset, non tantus Anaxagoras ad eos redijsset. ibidem.

De Archimede Philosopho.

Archimedis quoque fructuosam industriam fuisse dicerem, nisi eadem illi & dedisset vitam, & abstulisset. Captis enim Syracusis, Marcellus machinationibus eius multùm ac diu victoriam suam inhibitam senserat: eximia tamen hominis prudentia delectatus, vt capiti eius parceretur edixit pene tantum gloriæ in Archimede seruato, quantum in oppressis Syracusis hostibus reponens. At is dũ animo & oculis in terram defixis formas describit, militi, qui prædandi gratia domum irruperat, strictóque super caput gladio, quisnam esset interrogabat: propter nimiam cupiditatem inuestigandi, quod requirebat, nomen suum indicare non potuit, sed protracto manibus puluere, Noli, inquit, obsecro, istum circulum disturbare: ac perinde quasi negligens imperij victores obtruncatus sanguine suo artis suæ lineamẽta confudit. Quo accidit, vt propter idem studiũ modò donaretur vita, modo spoliaretur. ibidem.

De Socrate Philosopho.

Socratem autem constat ætate prouectum fidibus tractãdis operam dare cœpisse, satius iudicãtem, eius artis vsum serò, quàm nunquàm percipere. Et quantula Socrati accessio illa futura scientiæ erat? sed pertinax hominis industria tantis doctrinæ suæ diuitiis etiã Musicæ rationis vtilissimum elementum accedere voluit. Ergo dum ad discendum semper se pauperem credidit, ad docendũ fecit se locupletissimum. ibid.

De Cleante Philosopho.

Te quoque Cleante tam laboriosè haurientem, & tam pertinaciter tradentem sapientiam, numen ipsius industriæ suspexit: cùm adolescentẽ quæstu extrahendæ aquæ nocturno tempore inopiam tuam sustentãtẽ, diurno Chrysippi præceptis

percipiendis vacantem, eundémque ad vndecentesimum annum attenta cura erudientem auditores tuos videret: duplicè enim labore vnius seculi spatium occupasti, incertum reddendo, discipulúsne, an præceptor esses laudabilior. ibid.

De Solone.

Nam Solon quanta industria flagrauerit, & versibus complexus est, quibus significat, se quotidie aliquid addiscentem senescere, & supremo vitæ die confirmauit, quod aßidentibus amicis & quadam de re sermonē inter se cōferentibus, fatis iam pressum caput erexit: interrogatúsque, quapropter id fecisset, respondit, Vt cùm istud quicquid est, de quo disputatis, percepero, moriar. Migrasset profectò ex hominibus inertia, si eo animo vitā ingrederentur, quo eam Solon egressus est. ibid.

De Themistocle.

Quàm porrò industrius Themistocles, qui maximarū rerū cura districtus, omnium tamen ciuium suorum nomina memoria comprehēdit? per summam nanque iniquitatem patria pulsus, & ad Xerxem, quem paulò antè deuicerat, confugere coactus, priusquam in cōspectum eius veniret, Persico sermoni se assuefecit, vt per laborem parta commendatione, regiis auribus familiarem & assuetum sonum vocis adhiberet. ibid.

De Cyro & Mithridate.

Cyrus omnium militum suorum nomina Mithridates duarum & viginti gentium, quæ sub regno eius erant, linguas discendo: ille, vt sine monitore exercitum salutaret: hic, vt eos quibus imperabat, sine interprete alloqui posset. ibid.

De Archelao.

Archelaus nunquam aut è lecto surgebat, aut lectum ibat, quin quasi solenniter aliquid ex Homero lectitaret, ad amasium suū ire se dictitans. Guido Exemplorum lib.

De Achille.

Achilles vir ille laboriosissimus nullum vnquam studium prius reliquit, quàm eundem largiùs esurialis fames diuexasset. ibidem.

De Democrito Abderite.

Adeò doctrinæ studiosus atque amator Democritus Abderites fuit, vt omnibus relictis in Chaldæam proficisceretur, ob id solùm, vt Astronomiæ operam daret: neque eo contentus, in Persiden transiuit, & Geometriæ mensuras didicit: Athenas postea profectus, doctrinæ penitus amore captus, vt ei magis ex sententia sua vacaret, neque vllius rei gratia ab ea auerteret, luminibus (vt à quibusdam est scriptum) se priuauit, corporique tenebras obiecit, vt animo plus cernere posset. Bapt. Fulgosus lib. 8.

De Diodoro Siculo.

Summum studium atque industria in Diodoro Siculo fuit, qui triginta annos, dum orbis terrarum historias scribendo complecteretur, consumpsit. Et ne in iis erraret, in quibus permultos errasse agnouerat, magno sui incōmodo maiorem Asiæ atque Europæ partem perlustrauit. ibid.

De Epicteto philosopho.

Mira profectò res, & quæ ante alia, in quibus studium atque industria enituit, efferri laudibus debeat: ea fuit, quam Epictetus Philosophus præstitit. Nam seruus atque omnium inops, adeò vt vnde fores obseraret pauperis tugurij, non haberet: his superatis incommodis permulta in Philosophia peritißimè scripsit. ibid.

De Cleante Philosopho.

Cleantes quoque Philosophus permagno studio atque industria vsus est: qui cùm pugil esset, adeò se Philosophiæ studiis accendit, vt cùm ob inopiam comere in scribendi vsum papyrum non posset, quod audiebat, in tegula vel osse notabat. ibid.

De Apollonio Tyaneo Philosopho.

Apollonius Tyaneus Philosophus non satis duxit, temporis sui Philosophos in ea regione, in qua ipse viueret, doctrina æquasse, Vespasiano atque post eum liberis imperantibus, mirum in modum discendi studio incensus, omnia petebat loca, in quibus aliquid discere se posse intelligeret: nec eum viarum longitudo incommodáue, neque pericula, aut impendia retinuerunt. Nam vt Brachamanum scientiam haurire posset, Persas, Caucasum ipsum, Albanósque, ac Scythas, atq; Massagetas prætergressus, in Indiam penetrauit: denique Phisonte amne superato, ad illos ipsos, quos optabat, Philosophos Brachamanes peruenit. Vbi audito Hiarcha in his, quę ad naturalem Philosophiam atque Astronomiam pertinerent, permulta quoque alia ab eo didicit. Inde autem per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Parthos, Assyriósque, Phœnicas, Arabes, atque Palæstinos, in Ægyptum omnibus in omni scientiarum genere doctior regressus est. Sed ne tunc quidem extincta haurienda rum siti, in Æthiopiam ad Gymnosophistas transiuit, vbi eorũ Principem Thespesionem audiuit, vt ab eo quoque erudiretur. Tunc discendi sibi modum ponens, cùm viuere destitit, pane herbisque, ac simul aquis tantùm vescebatur ob id solùm, vt ingenio ad discẽdum prõptior esset. Paternas autem opes, quæ satis magnæ fuerunt, non stultè, quemadmodũ Crates Thebanus in mare proiecit (vt expeditiùs vacare Philosophiæ posset) sed parte fratri tradita, quod superfuit, pauperibus, qui propinquitate aut amicitia iuncti essent, distribuit. ibidem.

De Antistene Philosopho

Antistenes Philosophus tãto doctrinæ studio tenebatur, vt cùm disputãtem Socratem audiisset, ipsius disciplinæ amore captus, ad discipulos, quos ipse habebat conuersus, vt alium præceptorem quærerẽt monuit: sibi enim se præceptorem inuenisse aiebat. Et cùm ita dixisset, illis fortunísque omnibus relictis, vno tantùm pallio tectus, Socratem posteà sequutus est opibus liber, atq; curis, quæ eum à studiis auertere possent. ibid.

De Lasthenia Mantinæa & Axiotea Phliasia.

Pari studio scientiæ arserunt Lasthenia Mantinæa & Axiotea Phliasia, quas Dicearchus scripsit, virilem habitum induisse, vt expeditius Platonis doctrinam sequerẽtur, minimè à fragili lasciuóque sexu impeditæ, quò minus cum aliis Platonis discipulis diligentia studióque proficerent. ibidem.

De Hyparchia Maronea.

Hyparchia Maronea diues, & formosa fœmina doctrinæ capta studio, viros, quorum matrimonia honestissimis conditionibus offerebantur, vnà cum opibus spreuit, vt inopem Cratem Philosophum sequeretur, quocum vt Cynicam sectam planè imitaretur, nudis pedibus orbem terrarum philosophando peragrabat. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De M. Tullio.

Quantùm Plato vir summus est Philolaum miratus tantùm nec minus Platonem M. Cicero: qui vsque adeò eius copiam effinxit, vt penè ille ipse sit factus: pari affectu Isocratis iucunditatem est æmulatus, ac vim Demosthenis quorum virtutes aut exæquauit homo ad eloquẽtiam natus, aut propria vi nixus superauit. Sabel. lib. 2.

De Vergilio vate

Quid Vergilius Maro, qua indagine censendus est Ennium legisse? quoties repetitum dextera læuáq; pertractasse, rerum pondera exegisse, verba pensitasse? qui fortè rogatus quid

ageret, se aurum colligere dixit ex Ennij stercore. ibidem.

De Tiberio Cæsare.

Tyberius princeps tanti Parthenium fecit vatem, Arianum, & Euphorionem, vt triũ poëtarum carmen & imagines inter vetusta & illustria vatum nomina omnibus bibliothecis religiosè propemodũ dicarit. Quos nisi frequenter legisset, tam impensè fauisset nũquam: sed ingens sylua hæc: nõ vnus in omnibus est affectus. diuersa variáque sunt hominum ingenia: alij alios probãt, atque vsqueadeo iudicia hæc variant, vt Liuium & Maronem duo præcipua Latialis linguæ lumina infensè oderit Caius princeps fax humani generis. ibid.

De Catone superiore.

Cato sextũ & octogesimum annum agẽs, dum in republica tuenda iuuenili animo perstat, ab inimicis capitali crimine accusatus, causam suam egit: neque aut memoriam eius quisquam tardiorem, aut firmitatem lateris vlla ex parte quassatam, aut hos hæsitatione impeditum animaduertit: quia scilicet omnia ista in statu suo æquali ac perpetua industria cõtinebat: quinetiam in ipso diutissimè actæ vitæ fide disertissimi oratoris Galbæ accusationi defensionem suam pro Hispania opposuit. Idem Græcis literis erudiri concupiuit: quàm serò inde æstimemus, quòd etiã Latinas penè iam senex didicit: cũmque eloquentia magnam iam gloriam partam haberet, id egit, vt iuris ciuilis quoque esset peritissimus. Max. lib.

De Catone inferiore.

Cuius mirifica proles Cato propior nostræ ætati, ita doctrinæ cupiditate flagrauit, vt ne in Curia quidem, dum Senatus cogitur, temperaret sibi quo minus Græcos libros lectitaret: qua quidem industria ostendit, aliis tempora deesse, alios temporibus superesse. ibidem.

De Terentio Varrone.

Terentius autem Varro humanæ vitæ exemplo & spatio nominandus non annis, quibus seculi tempus æquauit, quàm stylo viuacior fuit. in eodem enim lectulo & spiritus eius & egregiorum operum cursus extinctus est. ibidem.

De Liuio Druso.

Consimilis perseuerantiæ Liuius Drusus, qui & ætatis viribus, & acie oculorum defectus, ius ciuile populo benignissimè interpretatus est, vtilissimáque discere cupientibus monumenta composuit. Nam vt senem illum natura, & cæcum fortuna facere potuit: ita neutra interpellare valuit, ne non animo & videret & vigeret. ibidem.

De P. Crasso.

Iam P. Crassus, cùm in Asiam ad Aristonicum Regem debellandum Consul venisset, tanta cura Græcæ linguæ notitiam animo comprehendit, vt eã in quinque diuisam genera per omnes partes ac numeros penitus cognosceret: quæ res maximum ei sociorum amorem cõciliauit, qua quis eorum lingua apud tribunal eius postulauerat, eadem decreta reddenti. ibidem.

De Roscio.

Ne Roscius quidem subtrahatur scenicæ industriæ notissimum exemplum, qui nullum vnquã spectanti populo gestũ, nisi quem domi meditatus fuerat, ponere ausus est. Quapropter non ludicra ars Rosciũ sed Roscius ludicram artẽ commendauit: nec vulgi tantùm fauorem, verùm etiam principum familiaritates amplexus est. Hæc sunt attenti, & anxij, & numquam cessantis studij præmia, propter quæ tantorum virorum laudibus non impudenter se persona histrionis inseruit. ibidem.

De C. Iulio Cæsare.

Quantum Iulius Cæsar lite-

ris impenderit, ex eo facile intelligi potest, quòd ne in bello quidem vnquam studiũ, quod literis impendebat, intermisit: neque ludos aut alia publica munera sine lectione spectabat, sed omnium testimonia de hac re scribentium Commẽtarij de rebus ab eo gestis scripti longè superant ab eo inter armorum strepitum, ac bellorum tum externorum, tum ciuilium curas literis mandati, vt scriptoribus materia pararetur. Ita eruditi limatique habiti sunt, vt nullus eis apponere manum ausus sit, cùm styli nitorẽ militarémque illam sine vllo fuco facundiam non superare modò, sed ne æquare quidem posse, haud iniuria nemo sibi persuasit. fuit autem in omni disciplinarum genere hæc ipsius tãta eruditio magis miranda, quòd honorum cupidus atque ingenti ambitione laborans, inter arma magistratúsque omnem transegit ætatem. Bapt. Fulg. lib. 8.

De Augusto.

Iulij Cæsaris ex sorore nepos atque idem per adoptionem filius Augustus ei in literarum studio persimilis, quanquam prima ætas imperij administratione occupata esset, multa facunde ornatéque carminibus Græcè Latinéque scripsit: Mutinnensique bello, cùm omnia armis obstreperent, semper vel legit, vel scripsit, vel declamauit: cùm nec vita, quæ in summo discrimine versabatur, nec militaris cura ac molestia eum auerterent, quominus studij lõgè enixius, quàm alij in magno otio soleãt, operam impenderet. ibidem.

De C. Plinio.

Omnium studia diligẽtiámque C. Plinius studio suo superauit, qui quãquã in armis et magistratibus obeundis totam transegerit vitam, neque aliquid quod agendum esset, omiserit, tam multa, tam doctè atque ornatè scripsit, vt etiam otioso perdificilè sit, omnia, quæ is scripta reliquit, perlegere. Nã præter Naturalis historię libros opus diffusum, atque varium, infinita penè alia edidit. Nec verò cùm otium esset, tantùm literis operam dabat, sed in mẽsa quoque legentem audiebat, aut notabat, etiã cùm aliud agere eũ oportebat: qui lectica quoque vehebatur, vt in via vel legere, vel scribere posset, & si equo ferebatur, etiam inter tempestates ministrũ manuleatum in pugilaribus excipere iubebat quæ ab ipso dictabantur. intelligendi autem tanto studio tenebatur, vt dum nimis progreditur, incendij, quo Vesuuius deflagrabat, causas inspecturus fumi magnitudine præfocatus interierit. ibidem.

De Adriano Imperatore.

Adrianus Imperator habitus est tam doctus, atque poëtices studiosus, vt persæpè ei adcrimen ascriberetur. Arithmeticæ peritissimus, item Geometra fuit, pinxit egregiè, Musicen excellenter calluit, & ante alia Astronomiæ scientia ætatis suæ omnes anteire visus est. Neque verò (etsi imperij occupationib° destinebatur) antè vnquam earum disciplinarum studiũ intermisit, dum simul scriberet, dictaret, audiret, loqueretúrque. Itaque pro prodigio numerari potest, tam multarum rerum scientiam in imperatore fuisse, cuius vel dimidia pars in priuato, atque eodem otioso homine si inueniretur, id etiam amplissimum videri posset. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Paula Cornelia.

Paula Cornelia Romæ principum genere orta, non ob id tantùm clara, quòd Hebraicis, Græcis, atque Latinis literis plurimùm excelluit, sed etiam, quòd veriorem Philosophiam, atque peritiorem doctorem sequuta, relicta patria, in Palastinam abijt, vt illic Christiana dogmata, qui-

bus nulla maior est philosophia, à Hieronymo, qui illic agebat, audiret. Illicque opes, quas ingentes habebat, ne à Cælestiũ contemplatione abstraheretur, in pia opera distribuit. Bap. Ful. lib. 8.

De Dydimo Cæco Alexandrino.

Omnium industriam atque studiũ, quos vnquàm legerim, Dydimus Alexandrinus superauit, qui amisso oculorum visu, cùm ad quadragesimum ætatis annũ peruenisset, in Grammaticum, Geometram, atque Dialecticũ cõsummatissimum euasit. nam cùm in supputandis numeris dimensionibúsque atque in scribendo aliena vteretur manu, multa subtilissimè scripsit, atque haud pauca in sacra Scriptura commẽtatus est. ibidem.

De Origene Adamantio Alexandrino.

Dydimi Conciuis Origenes Adamãtius, quanquã magna premeretur inopia, quòd paternas opes catholicæ fidei causa amiserat, sex millia voluminum (vt Hieronymus se vidisse testatur) ingentis doctrinæ scripsit, cùm assiduè septem notarios scribendo ac totidem aduitos ei pueros fatigaret. ibid.

De Alphonso Aragonio Siciliæ Rege.

Perrarò ad magnam doctrinam sine igenti studio peruenitur. id quod clarè docuit Ambrosius, qui æger ad mortem senioque confectum; his duobus absterreri non potuit, quin assiduè aliquid dictaret: & cùm postremis diebus æger iaceret, Psalmum quadragesimum tertium commentabatur, quam cõmentationẽ morte interceptus, non peregit. ibidem.

De Alphonso X. Castulonensi Rege.

Mirum Alphõsi decimi Castulonensis Regis studiũ atque industria fuit: in qua re prisis illis doctissimis æquiparandus videtur. nam quanquã regnorũ curis gerendisq; bellis occupata haberet tempora, assidue tamẽ studijs opẽ dedit, in quibus ante alia Astronomiæ deditissimus fuit. In ea verò tãtùm excelluit, vt tabulas ipse composuerit (opus in ea arte difficillimum) quæ ab eo nomine dictæ, nunc quoque ab Astronomis in magna existimatione habentur. ibidem.

De Alphonso Aragonio Siciliæ Rege.

Vt in alio virtutum penè omnium genere, ita inter studiosos quoque atque industrios Alphonsus Aragonij Siciliæ Rex locum sibi vendicat: quem non septem regnorum administratio curæq; non bella ingentia, quæ gessit, retinere potuerunt, quominus Rex iam quinquagenarius, qui tot populis imperitabat, literario præceptori se subijceret, ne Latinè loquendi vsu careret. Et ne Hispani literarum expertes Liuiana lectione fraudarentur, ipse Liuium è Latina in Castulonensem linguam transtulit.

De Aurelio Augustino.

Qualis rerum lectio, talis legentiũ profectus: non tam multa legenda sunt, quam vtilia, diu multúmq; Aurelius Augustinus inter Dialecticos Sophistas verum indagauit: sed non solùm non id est adeptus, sed longè aberrans, in Manichæum incidit deliriũ: nec tam graui lapsu prius vẽdicari contigit, quàm Tarsensis Pauli legerit Epistolas. Sabel. lib. 2.

De Thoma Aquinate.

Fuit Aquinatis Thomæ lectio adeò diligens, & pensiculata, vt nec in proximo stantes viderent oculi neque interpellantium voces audirent aures. Enimuero corporei sensus vt animo adesset, suum quisque officium relinquere, aut certè relicti præstare non potuerint. ibidem.

De Hilarione Abbate.

Tractarunt alij diuinarum rerum lectionem solertius for-

Universidad de Deusto Biblioteca

tasse, sintque ob eam rem maius nomen adepti: sed qui Hilarione religiosius fecerit, fuit (vt fertur) nemo: quippe qui Dauidicum carmen, & prophetica aliorum scripta tanquàm præsente numine recitabat: sæpe ac multùm testatus, religiosè & considerate ea esse legenda, quia ab almo Spiritu profecta. ibidem.

De Diuo Hieronymo.

Sed quàm parũ sit Cælo probabile hoc nostrum scire, quod ex ethnicorum fonte est, Stridonẽsis Hieronymi postulatio demonstrat, qui ad diuinum tribunal constitutus, vehementer increpitus est, quod humanarũ rerum studijs vir Christiani nominis plus nimio sese addixisset, éstque in arcana verba iurare coactus fore, vt nullum deinceps literarum genus præterquam diuinarum attingeret. ibidem.

De Diuo Seruulo.

Quantò tutius Seruulus vir mendicus, æger, omnisque literariæ disciplinæ adhuc expers, qui ex mendicata pecunia sacrarum literarum mercatus est opuscula, quæ alijs sibi explicãda tradidit: vsque adeò lectioni intentus, vt audiendi assiduitate curáque, & diligentia percipiendi ea, quæ legerentur, sanctioris doctrinæ gnarus, oppidóque sciens euaserit. ibidem.

De Diua Cæcilia.

Cæcilia patricia domo Romæ orta, sedulò Euangelicæ historiæ librum aut legit, aut in gremio habuit obuolutum, ne non semper præsto esset, in quo mens cælo addicta, cũ vellet velut concentu quodam suauique harmonia reficeretur. ibidem.

De Diua Marcella.

Par studium studiique affectus in Marcella & ipsa nobili Quiritij generis: quæ cum incredibili cura diuina lectitaret, illud est postremò assequuta, vt semper in eius ore Dauidicum illud esset, Abscondi in corde meo eloquia tua. Cætera nota sunt: est enim carmen sententiæ

grauitate haud ignobile. ibidem.

De Syluia Ruffina.

Maiore quadam indole Syluia Ruffina Alexandriæ præfecti filia in Thebaidis solitudine constituta, assidua lectione adepta est, vt non sola sibi esse videretur, cùm omnino esset sola. Quin eorum virtutes, quos legebat, contemplans, effinxit, effingendo, ad profectum æmulata est. ibidem.

De Bernardo Abbate.

Citra fidem proditum videri potest quod de Bernardi Abbatis solertia legere est, qui nullo vnquam præceptore vsus: cæterùm assidua lectione & ingenij acumine adeò profecit (in quo non parum est & cælitùs adiutus) vt in mysticis scriptis explicandis nullus hodie sagacior numeretur. ibidem.

De Basilio Magno.

Basilius ille Magnus cùm primitùs mundanæ philosophiæ studijs plurimùm delectaretur, vbi deinde scientiæ spiritalis dulcedinem gustare cœpit, illa contempsit, & huic soli totum se dedit. Sunt qui eum dicant, panis ac vini vsum sibi interdixisse, donec mysteriorum intelligentiam plenius perciperet. Parum erat secularem sapientiam diuinæ postposuisse, duo præcipua vitæ humanæ sustentamenta panem & vinum à se abdicauit, dum cibos colligit vitæ æternæ. Quorum suauitatem Propheta quoque admiratur dicens, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel ori meo! Marul libro. 2.

De Bernardino.

Bernardinus, cuius prædicationibus Fratrum Minorum collegium creuit, primùm quidem Pontificij iuris disciplinis operã dedit: postquã autem ad Theologiam animũ applicuit, ei studio se prorsus totum tradidit, adeóque ipsum delectauit de Deo sermo, vt mox relicto seculo, religionem sit ingressus. Itaq;

iuris peritia virum quidem bonum constituit: sed Theologiæ ratio etiam perfectum reddidit. Altera neminem offendere docet: altera semetipsum quoque abnegare, & crucem tollere, & Christum sequi omnibus suadet, multisque persuadet. ibidem.

De Aequitio Abbate.

Æquitius Valeriæ vrbis monasterij Abbas, ne qua die deesset quod legeret, quocunque ibat, scorteas manticas libris refertas secum deferebat: nec illi oneris huius molesta erat grauitas, dum lectionis sacræ compensatur vtilitas. Sic nec militem strenuum ferrea lorica, cassis, ensisque grauāt, quæ sibi saluti fore sperat: vt qui ijs munitus, in certamen prodire & confidenter cum hoste congredi solet: ita qui sese lectionibus diuinis libenter instruit, omnia diaboli machinamenta facilè contemnit. ibidem.

De Geruasio & Protasio fratribus.

Geruasius & Protasius gemelli fratres, qui se vno partu editos non magis forma, quàm morum similitudine comprobabant, cùm persequutionem fugientes, annos decem domi latuissent, toto eo tempore nihil aliud, quàm orasse, atque legisse narrantur. Quantæ autem hoc vitæ institutum perfectionis esset, diaboli inuidia patuit, qui in idolo loquens, dum consuleretur, non se prius responsa daturum dixit, quā Geruasius, Protasiúsque sibi thura adolerent. Sed qui legendo fidem, orando constantiam perceperant, occidi potuerunt, cogi autem, vt Christum negarent, non potuerunt. Itaque mimici malignitas, atque doli in contrarium cessere: quos perdere cupiebat, martyrij corona honestatos vidit. Armis enim, quæ de manibus illorum eripere cogitauerat, ipse victus succubuit, hoc est oratione & lectione. ibidem.

De Eadmundo Cantuariensi Archiepiscopo.

Quàm verò grata acceptáque sit Deo sācte lectionis cura, miraculorum quoque testimonijs probari potest, Eadmundus Cātuariēsis Archiepiscopus dum Bibliam legit, soporatur, candela ardens super paginas delapsa, ipsa consumitur, sed librum inoffensum relinquit: flamma ceram deuorauit, chartam non adußit, verita literas delere, quas Dominus extare, vt perlegerentur, voluit. ibidem.

De eodem.

Idem cùm aliquando inter legendum obdormisset, mox expergiscens, lucernam extinctam reperit, & legendi sibi occasionem sublatam dolens, sanctam Virginem inuocauit, lucernáque repente illuxit. hinc ille legendo quod cœperat, prosequutus est, cum prius Deo, & Deiparæ virgini gratias egisset, quòd sic fauerent ijs, qui sacris lucubrationibus libenter inuigilant. ibidem.

De Deipara Virgine.

Traditum est, sanctam Dei genitricem virginem Mariam ab hora diei nona vsque ad occubitum solis lectionibus veteris Instrumenti sese exercuisse, vt scias huic rei tempus certū decerni oportere, sicuti et orationi, cæterisque huiusmodi negotijs. Nam vt arborum fructus, qui statutis diebus proueniunt, paulatim aucti dulcescunt. qui autem præcoces vel serotini, id est non suo tempore apparent, sæpe decidui sunt, & prius corrumpuntur, quàm ad maturitatem peruenerint: ita religiosæ actiones ordine seruato iuuant: confuso, tædium sui faciunt, & plerunque mētis affectum languere cogunt. ibidem.

DE VESTITV, Græcorum exempla.

De Diogene Cynico.

Inopeus Diogenes Cynicæ assectator disciplinæ: pallio vixit vnico cōtentus, tanto Antisthene rigidior, qui eius sectæ princeps pallium du-

plicauit, baculũ & peram primus sumpsit. Sabel. lib. 2.

De Menedemo Cynico.

Minus horrida hæc aspectu, quàm furialis Menedemi habitus fuit, & hic Cynicus. Tunicam sumpsit pulli coloris balteo puniceo strictam, pileum Arcadicum duodecim elementis intextum: Tragici ad hæc cothurni, virga fraxinea manibus erat, & prolixior barba: habitus (vt dicere liceat) magis superstitiosus, quàm sapientiæ affectatore dignus. ibid.

De Phocione Athenienſi.

Quinque & quadraginta magistratus gessit Phocion Athenienſis: sed quo sit vestis genere interim vsus, calceandi ratio in eo demonstrat. Inoluit adagium inter vrbanos, vt cùm immensum frigus & intolerabile significare vellent, Phocion, dicerent, calceatus est.

De Lysandro & Archidamo.

Lysander & Archidamus viri probitatis in hoc extremæ ea recusarunt indumenta pretiosissima, quæ Dionysius Siciliæ Tyrannus ad eorum filias miserat, timentes maximè, ne deformiores hisce fierent. Guido Exemplorum lib.

De Dionysio Syracusano.

Dionysius Syracusanus cùm singulos malefactores grauissimis afficeret suppliciis, his tamen præsertim ignoscebat, qui vestium & lubricantium ornamentorum fures essent, quò facilius Syracusani luxuriis abstinerent. ibidem.

De Epaminunda.

Epaminundas vnam tantum habuit vestem, quam cùm ad fullonem misisset, ipse se domi continebat, ob alterius indigentiam. His præditus facultatibus, cùm sibi Persarum Rex magnam auri vim dono misisset, non accepit. Ælianus lib. 5.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Portio Catone.

Habent & Romani sua exempla. Cato Portius, qui à nobilissima cẽsura, quam gessit, Censorij tulit cognomen, nunquam toga vsus est pluris, quàm drachmis centum empta. Sed magis in Vticensi huius pronepote frugalitatis exemplum, qui sine calceis, sine tunica: cæterùm funiculo cinctus per forum cũ familiaribus post prandium deambulauit. Sabel. lib. 2.

De Serranorum familia.

Mulierum, quibus apud omneis gentes ornatus corporis pecularior ferè fuit, quàm viris, vnum apud Romanos inclaruit exemplũ: nec ad vnã aliquã fœminam, sed ad vniuersam pertinens familiam. In Serranorum gente nulla vnquam est linea veste vsa, ob mollitiẽ & luxum repudiata. Plerique hominum nudi agunt, vel quia texturam ignorent, aut potius non egeant: nec in eo continentiam spectant, sed commodum. sed nunc mores censentur, & vitæ moderatio, non gentium ritus. ibidem.

De Augusto Cæsare.

Augustus Cæsar quantùm indumentorum superfluitates habuit odio? veste siquidem non alia fuit vsus, quàm domestica, quam ad hæc vxor, soror, & filia neptesque confecerant. Cuius dictum erat vulgatissimum, Vestitus insignis, ac mollis superbiæ vexillũ est, nidúsque luxuriæ. hic neque toro quidem cubitauit, nisi humili & modicè instrato. Guid. Exempl. lib.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Bartholomæo Apostolo.

Bartholomæi Apostoli purpureum pallium viginti annos, quibus in perpetuo fuit vsu, neque sordes vllas, neque vetustatem sensit. Mansit immota purpura, vt vnius exemplo discerent mortales, cœlestia terrenis anteponere, pietatem

regiæ fortunæ, cuius illud erat insigne. Sabel. lib. 2.

De Iacobo apostolo.

Iacobus, qui ab indiscreta facie est Christi frater dictus, nõ laneo vsus est, sed lineo amiculo: intonsus vixit, nunquã cinctus, nunquam balteo vsus, sanctus à matris vtero, sanctior dein Christi disciplina factus: cuius notum est præceptum, vt discipulorum singuli singulas haberent vestes. ibid.

De Ioanne Euangelista.

Id præceptũ (vt credere est) cùm cæteri Apostolorum sanctè custodierunt, tum Ioannes Zebedæi filius, qui sindone cũ magistro amissa, nudus in Bethaniam reuersus est. ibid.

De Aurelio Augustino.

Nec multùm ab his diuersus Aurelius Augustinus, qui vestitu calceatuque indiscreto vixit cũ ijs, quibus sanctitate, scientia, & dignitate longè præfuit. ibid.

De Paulo primo Eremita

Paulus, qui primus in eremo vixit, pietatis studio non scorteam habuit vestem, non lineã, aut ciliceam, sed palmaceis contextam foliis, magnò exemplo humanæ luxuriæ à natura repudiatæ, quando sit ipsa modicis contenta. ibid.

De Antonio Abbate.

Antonius Abbas, qui eum sepeliit, in deliciis habuit defuncti exuuias, quas festis duntaxat diebus induebat, tam memorabili exẽplo, quàm Hieronymi optatu clarum, qui scriptum reliquit, maluisse se in Pauli veste, quàm in regia purpura conspici. ibid.

De Timotheo Anachoreta.

Non folia, sed capilli texerũt Timotheum Anachoretam, adeóq; deformarunt, vt à Pafnuphio in solitudine repertus, immanis fera primo aspectu, non homo sit creditus: vox inde arguit humanitatem, quæ efferaciore tegebatur cultu. ibid.

De Onophrio Anachoreta.

Haud multùm huic absimilis Onophrius, & ipse eremi incola, qui cõsumpta veste, quæ vnica illi fuit, cùm è medio discessisset, nudus egit, foliis verenda tegentibus: sed hæc aliquantò vetustiora, & à conspectu hominum magis remota. ibidem.

De Francisco Asisiate.

Est exemplum quod sequitur, multò recentius, Franciscus Asisias paupertatis cultor diligens, non in solitudine vt illi, sed medio luxu insaniáque diuitiarum crassi, natiuíque panni tunicam nudo induxit corpori, inductam funiculo compressit, nudis pedibus ligneos subiecit socculos, vt quatenus liceret, corpus à terræ contactu vindicaret, vnde mens procul recesserat cælestium assectatrix. ibidem.

De Elisabeta.

Trita ferè veste amiciebatur Elisabeta Regis filia, gestiebátque magis mendici habitu, q̃ regum purpura spectari, aspernari videlicet regium stemma in quo orta erat sapiẽs mulier, vt cælum adipisceretur. ibid.

De Bernardo Abbate.

Bernardum Abbatem veste quidem satis vili, sed minimè squalenti vsum, memoriæ proditum est, ac etiam dicere solitum, tunicam sordibus obsoletam testem desidiæ atque socordiæ esse: & eius immundiciem interdum ad hypocrisim spectare: quæ inanis gloria dum videatur, contemni queritur. Cùm ergo etiam cilicio sub veste latenti carnem attereret, vbi id rescitum est, & ipsum deposuit. Nec vnquam deinde asperius indumentum, quàm cæteri fratres ferre voluit, ne fortè illis præstare sanctitate videretur, quorum seipsum minimum reputaret. Marul. lib. 3.

De Ioanne, & aliis.

Palmeis quidem tegminibus & illi quatuor in vastissima Ægypti eremo à Pafnuphio inueti, Ioãnes, Andræas, Tha-

dæus, & Philippus amicti erãt. hũc tamen tam sylueſtrem veſtitum haud multò tempore poſt cum veſte immortalitatis commutarunt. ibid.

De Serapione Abbate.

Serapionem Abbatem primitus quidem ſola tunica ſimplicique palliolo contentum, deinde his etiam carere pietas cõpulit, quippe ſeipſum deſpoliãs, pauperes contexit. Nec erubuit nudus incedere, dũ nuditatem miſeratur alienam. ibid.

De Hilarione Abbate.

Hilarionem Abbatem accepimus nihil aliud, quo corpus ſuum operiret, habuiſſe, præter ſaccum ac pelliceũ empeditem ruſticúmque ſagum: capillum ſemel in anno Paſchæ die totondiſſe, nunquam lauiſſe, quòd ſuperuacaneum eſſe diceret, munditias in cilicio quærere, neque tunicam alteram ſumpſiſſe, niſi cùm prior penitus diſciſſa eſſet. ibidem.

DE OPERIBVS MANV EXERCENDIS, Græcorum exempla.

De Philopœmene Megalopolitano.

Philopœmenes Megalopolitanus tãtum abfuit, vt otioſus aliquando fuerit, vt cùm ſolus iter faceret, aut deambularet ſpeculabundus, occurrentium locorum ſitum contemplaretur, ſemetipſum explorans. Quid ſi tibi ductanti exercitum fiat hic hoſtis obuius, aut à lateribus eò repentè velut ex inſidiis conſurgat? qua figura aciem inſtruas? continendus miles, an illicò ſigna inferenda? & ſi tenendus, quomodo præſidiarios loces? aut ſubſidia diſponas? Fecit eiuſmodi meditatio, vt in præſtantiſſimis Græciæ ducibus ſit demum Philopœmenes celebratus, quo vita defuncto nullum amplius Græcia præcellentem ducem emiſit. Sabel. lib. 2.

De Cyro maiore.

Cyrus maior (ſi vera ſunt quæ de eo Græci ſcriptores prodiderunt) mirificè eſt terræ cultu delectatus. Satis conſtat à Lacedæmonio hoſpite mortalium feliciſſimum iudicatum: quòd præter regnum, quod ampliſſimum illi fuit, terram ſcientiſſimè coleret. ibidem.

De Demetrio & Æropo.

Demetrius qui Poliocertes cognominatus eſt, bellicas machinas & naues fabricare ſolitus dicitur, cùm à re bellica, cuius fuit ſcientiſſimus, vacaret. Pulchrius hìc quàm Æropus Macedoniæ Rex, qui ſi quid otij nactus eſſet, vt id in negotium verteret, lucernas & paruos fabrefecit abacos: vile opus (quis neſcit) & ridiculum, præſertim in Rege: ſed ſic melius, quàm ſi nihil feciſſet. Nihil magna ingenia minus ferũt, quam otium. ibidem.

De Parthorum Regibus.

Parthorum Reges ne deſidia torpeſcerent, telorum cuſpides acuere conſueſſe traduntur, ſedulóque id facere, vt non ſolùm animi oblectationem ex ea re ſibi quærerent, ſed & laudẽ. ibidem.

De Attalo Philometore.

Honeſtius & hoc multò vtilius, quàm Attalus Philometor, qui in regio horto aconitũ, cicutam, aliáſque noxias coluit herbas, legebátque ſemẽ, ceu ſalubrem aliquam frugem, cùm haud dubiè hominum perniciẽ legeret. ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Maiore Africano.

Maior Africanus rogatus quid ageret, cùm ſolus eſſet, ita occurrit, vt nunquã ſe minus ſolũ eſſe dixerit, quàm cùm ſolus eſſet. Demonſtrauit id reſpõſum, quoties vir ille Senatoris fuiſſet forenſibúſue curis vacuus, non otio & inertia deditum, ſed magna & vtilia meditari ſolitum. Sab. lib. 2.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

De Tarquinio superbo.

L.Tarquinius terræ cultu delectatus videri potest, qui ex horto funestum illud Gabinæ ciuitati Corinthóque translaticum dedit filio responsum.

De Domitiano Principe.

De Domitiano Principe memoriæ proditum est, eum solitum in secreto muscas stylo configere, indéque iocandi materiam nactus Aulicorum vnus rogatus, an cum Principe esset aliquis, Ne musca quidem, respondit. ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Christi Apostolis.

CHristi Apostoli cùm prædicando Euangelium, precando, legendo omne ferè tempus absumerẽt, quoties ab eiusmodi operibus requies contigisset, manibus aliquid operari solebant. Tarsensis Paulus, vbi classicum illud inflarat, quo pacto multò maximam humanarum gentium partem ad Christi signa conuertit, funes texuit. Petrus Bar-Iona & Ioannes Zebedæi filius medio apostolatu piscati sunt, non quia non esset quod docere possent, aut non haberent quod vtilius operarentur: sed vt sibi concessum otium verterent in negotium, satius esse rati aliquid agere, quàm nihil agere, modo id quod ageretur, honestè fieret. ib.

De Luca Euangelista.

Age verò quid Lucas Euãgelij autor annon & ipse cælestium rerum meditatione fatigatus aliquid semper depingere solitus est? declarãt hominis studium in eo genere tabulæ, quæ hodie haud vno loco visuntur, cum Deiparæ iconibus ipsius manu affabrè figuratæ. ibidem.

De Stephano Anachoreta & Serapione.

Stephanus Anachoreta in eremo palmaceos funes texuit. Maius tamen & Seuerius Serapionis institutũ, qui cùm Abbas esset, ita inter Monachos comparauit, vt sibi quisque manu alimenta quæreret, si quid inde superesset, id egenis impartirent, iis præsertim, qui aut in vinculis iacerent, aut custodia tenerentur. ibidem.

De Ioanne Abbate.

In Thebaica solitudine Ioannes Abbas pacem à cælesti nuntio accipere solitus, fiscelas pro festis diebus texere, atque inde sibi victum quæritare. ib.

De Antonio Abbate.

Subiyt aliquãdo eremi tediũ Antonium Abbatem, dubiúsque cõsilij clamasse fertur, Ceruari cupio, sed cogitatio adversatur. Hic mirum accidit: media illa animi fluctuatione inuitus est hominem monastico habitu nunc calathos texẽtem, nunc orationi intentius vacantem, auditámque supernè vocem, Et tu sic facito. Quod oraculum sequutus, per hæc duo tam constanter perseuerauit, vt omniũ monasticæ disciplinæ sit obseruãtissimus iudicatus. ibid.

De Paconio Abbate.

Mille & quingentos sub Paconio Abbate proditum est fuisse monachos in Thebaidis regione, qui labore & industria sibi victum quæsiuere, nulla extraria adiuti ope. peperit ea res aliquando non infacetum scomma. Parabat sibi victum monachorum quidam diurno labore, vt in Scythiotico cœnobio moris fuit: mirari sedulam huius operam ex nouitiis vnus, rideréque simul monachum operi intentum, Euangelicum illud voce testatus, Maria optimam partem elegit: cætera nota sunt, præferens haud dubiè contemplationem terrenis operibus. cæterùm à nullo sub noctem ad cœnam vocatus, cùm attonito similis staret, defixus rei nouitate, audiuit Mariam indigere Marthæ ministerio. ibidem.

De Elizabeta Regis filia.

Elisabeta, quæ tam humiliter vixit, quàm clara est inter homines & illustris, regia for-

tuna, in qua orta fuerat, aut lanã carpere ab oratione, aut texere, aut certè aliud serio operari, ne per otium & quietem vllum sibi tẽpus elaberetur, nullam (vt credere equum est) maiorem iacturã arbitrata, quàm temporis, in quo sita est villicationis ratio, quam Euangelica celebrat historia. ibid.

De Hilario Abbate.

Manuum labore victitasse fertur Hilarius Abbas in mõte Æmiliæ commoratus, atque ibidem suis impensis Ecclesiam construxisse. Cùm ergo corpus exercendo, animæ integritatem conseruarit, & tãdem cælestem beatitudinem consequutus sit, apparet verissimum esse illud in Ecclesiastico scriptum, Vita sibi sufficientis operarij condulcabitur, & in ea inuenies thesaurum. Marullus lib. 3.

De Venerio Abbate.

Venerius Abbas cùm solitarius in Palmaria insula, quæ à continenti Lunensis oppidi octo millia passibus abest, vitam durè admodum asperéque ageret, diu herbis pomisque sylvestribus sustentatus, tandem ad agri se culturam accinxit, tanto Domini fauore, vt vnum sarculum, hordeique modicum habens, die vno humum proscederit, semen sparserit, messem secuerit? Quo miraculo & hominis necessitati consultum est, et palàm factum, quàm istud exercitij genus Deo esset gratum. Nisi enim illi perplacuisset, nũquam tam præcoqua fruge, tam repentino prouentu laborantis curam compensasset. Hinc illud est in Ecclesiastico dictum, Non oderis laboriosa opera, & rusticationem ab Altissimo creatam. ibidem.

De Daniele Ægyptio Abbate.

Danieli Ægyptio Abbati & presbytero in Scythiotico monasterio degenti sicut facere aliquid operis post spiritales labores libuit, ita quæ confecerat, ad vicum aliquem deferendo, venditare rubori non fuit. Pretium omne pauperibus dilargiebatur, eleemosynas de propriis laboribus impendens: comperta ratione, qua & minimè otiosus, & maximè pius esset, vtq; dignus appareret, cuius exemplo cæteri viuerent, miraculis nobilitatus est. ibidem.

De Arsenio Abbate.

Arsenium Abbatem, dum opus faceret, lachrymas effundere solitum scriptores tradunt. Quæ res indicio est longè aliud animo agitasse, quàm quod manibus fabricaret. manus quidẽ labori intentæ erant: sed mens diuinis meditationibus assueta, ad Deum tollebatur, & eius desiderio accẽsa, fletu temperare non poterat. ibidem.

De Archebio.

De Archebio Cassianus refert, quòd dum adhuc in cœnobio cum fratribus versaretur, laborem quo ibi omnes suis horis exercebantur, sibi duplicando pro matre creditori satisfecerit, cùm ipsa ad inopiam soluendo non esset. At neque patrem, neque matrẽ agnouerat, dum religionem profiteretur: tunc vero matrem se habere intellexit, cùm illam egestate, litéque coartari vidit, vt ei scilicet, qui parentes honorare iussit, obediret: cuius amore & ipsam reliquerat, & patrẽ. Archebius igitur præceptum Domini seruauit, matri oppressæ subueniendo: otio locum non dedit laborem super laborem cumulãdo: religionis cultum non intermisit, in monasterio permanendo: & charitatis opus auxit, miserendo calamitati alienæ. ibidem.

De Paulo Abbate.

Paulus Abbas in Ægypti eremo (cui Porphyrio nome est) considens, cùm sibi ad victum hortulus, quem ipse fecerat, & palmarum ferax regio satis essent: quotidie tamen aliquot horis palmæ texturæ operam impendebat. ea verò quæ texuerat, annis singulis cõcremabat: septima enim, & eò amplius, mansione ab hominum

habitaculis remoto neque dare illa cuiquam, nec vēdere promptum erat. Quotidianus igitur labor non nisi fugiendi otij causa insumebatur. Quod si desidiæ torporique se dedidisset, neque in deserto solus permanere, nec ad perfectionem sanctitudinis peruenire potuisset: multam enim malitiam docuit otiositas. ibidem.

De Dorotheo Abbate.

Dorotheus in desertis Ægypti Abbas minimum somno indulgēs, noctis quoque partem operi manum dabat. Tunc nempe sportulas contexere solitus: interdiu autem lapides conuehere, & cellas ædificare, quas ibi habitare volentibus vltro offerebat: sportulis autem diuēditis, pretium omne indigentibus donabat. itaque semper laborando, sempérque laborata aliis largiendo, & otium declinauit, & pietatem coluit. ibid.

De Deipara virgine.

Sed nulli pulchrius diurna ratio constitit, quàm Deiparæ virgini, quæ prima luce ad tertiam diei horam sedulo placando numini vacabat: inde ad meridiem lanificio, mox à cibo, qui illi parcissimus fuit, reliquum diei diuinarum rerum lectionibus applicabat. Sab. li. 2

De Monasterij Thebaidis Antistia.

Monasterij Thebaidis Antistia Euphraxiæ Deo sacratæ virgini & adhuc puellæ præter domesticos, id est communes cum aliis labores hoc iniunxit, vt quotidie magnum lapidum aceruum de loco ad locum transferret, & translatos rursum restitueret. Quamuis enim ieiuniis vigiliisque haud parum fatigari cerneret, timebat tamen ne si quicquam paulò remissius egisset, aliqua residens iuuenili in corpore turpis cogitationis scintillula incendium excitaret peccati: eam autem sopiri vel etiam extingui posse hoc exercitationis additamento sperabat. Neque ipsam

ipsam spes fefellit, quandoquidē satis constat, Euphraxiam virginem inter sorores virtute atque integritate præstitisse. Marul. 3.

DE CORPORIS castigatione, Græcorum exempla.

De Socrate.

Socrates, qui Ethicē induxit, perdius ac pernox à primo solis ortu ad solem alterum orientem immobilis stare solitus est, ijsdē vestigijs atque eodē obtutu defixus, vt ad fortuitas vices patientia assuesceret: adeò hæc virtus præ cæteris fuit illi curæ. Sab. lib. 2.

De Diogene Cynico.

Sinopæus Diogenes præter nuditatem corporis (solo enim pallio vsus est) nudis pedibus vixit, & capite adaperto frigoris & caloris æquè patiens: abiecto prius ligneo vase alterius, cauis ad hæc manibus potare solitus: extremis vitæ temporibus crudam carnem vesci conatus est, vt nihil esset, in quo ministerio alterius egeret sobrius naturæ cultor. ibidem.

De Anaxarcho.

Magna & memorabilis Anaxarchi constantia: sed hæc non medio cruciatu (vt credere est) sed longo vsu & exercitatione quæsita. is cùm Tyranni iussu marmorea pila tunderetur, non sese, sed Anaxarchi pilam tundi testatus ist. ibidem.

De Mnesarcho,

Missus Mnesarchus ab Alexandro ad Gymnosophistas, in patentem campum perductus, nudos homines offendit feruenti arena sese exercentes: horum alij alio statu cæli & loci intemperiem ferre: hic vestigio nixus stabat, ille immotis oculis solem ex aduerso intueri: sedebant nonnulli lapidibus & scopulis immoti: alij in arenis iacebant, hic in faciem, ille supinus: omnes tamen ad tolerantiam & labores perferēdos ve-

lut ad quandam primariam virtutem exerceri..est enim fortitudinis mater virtus hæc continentiæ alumna, vt verè & sapienter sit dictum, Abstine, & patere.ibidem.

ROMANORVM EXEMPLA.

De Attilio Regulo.

NOn in pluma & epularũ luxu nata est illa Attilij Reguli in cruciatu constantia, contemptúsque mortis.parsimonia & magnus virtutum habitus tam facilem illi fecit viã ad mortem,vt captus iam, & vinctus non magis Pœnorum crudelitatem extimuerit,quàm in acie stãs timuerat arma.ibidem.Sabel.lib.2.

De Catone Vticensi.

Cato, qui Vticensis cognomen tulit,adolescens adhuc per integrum diem sermone nihil intermisso loquutus est:calores & niues nudo capite tolerauit:iter pedibus facere amicis equo sedentibus.quoties à febre laborauit, solus esse voluit:nec quẽquam admisit,nisi morbo leuatus. Per hæc virtus illa adoleuit,quã postea ciuili bello Reipublicæ præstitit: septem continuò dies per loca serpẽtib° infesta ductauit exercitũ,non equo, nõ vehiculo vectus,sed pedibus et in primo agmine iter faciens, nunquam sedens,nisi cùm cibũ, aut quietem caperet.ibidem.

NOSTRORVM EXEMPLA.

De Paulo Tarsensi.

TArsensis Paulus corporis castigationem Christi proponit cultoribus.Ego,inquit,castigo corpus meum. quòd si in eo,qui vas fertur electionis, caro huius indiga fuit remedij, quid cæteri faciant, qui ne rectorum numero sint, est vehementer adnitendum? Sabel. lib.2.

De Lodouico Francorum Rege.

Id(vt credi par est) imprimis sequutus Lodouicus Galliarum

Rex,libentius cilicina vsus tunica,quàm aurea,& purpurea. Hoc quod terreni erat regni insigne, aspernatus, illud cupidè complexus: quia augustioris imperij perpetuóque mansuri. ibidem.

De Macario Alexandrino.

Macarius Alexandrinus, quia graue & assiduum fuit illi certamen aduersus carnem, saccum sabulo plenum ad extremam lassitudinem gestabat humeris.Rogatus forte quid superuacua illa sibi vellet opera, nisi,inquit,corpus hoc grauiter affecero, periclitetur anima necesse est.ibidem.

De Monacho Lithophoro.

Diuus Hieronymus autor est, visum à se in eremo, qui iam tertium annũ bis quotidie per grande saxum tria millia passuum gestaret humeris, tantáque alacritate iniunctum onus ferret,vt ad corpus maiorem in modum fatigandum posceret, vt aliquid adhuc adijceretur. ibidem.

De Ioanne Monacho.

Mirum quidem videri possit, & à fide abhorrens nisi pia opera cælo curæ essent, quod de Ioanne quodam monasticam vitam agente proditum est memoriæ, angustæ rupi eum infixum perpetuo statu somnum & cibum cepisse. Adeò pertinax est celestium rerum cura, tantáque in virtute constantia, si fauor numinis adsit. ibidem.

De Francisco Asisiate.

Nemo autem seuerius calcauit voluptatem Frãcisco Assiate, nemo corpus atrocius afflixit. Is cùm connubij appetẽtia forte animum tetigisset, verberibus totum corpus affecit: verùm quia nec sic quidem repellebat carnis stimulũ,nudum corpus alta niue immersit, niualésque effingens imaguculas, in puerorũ speciem arctius amplexari.En,inquit,tibi vxor, en liberi, quos optasti:hos am-

plectere, hos foue & osculare: vis hæc, an in officio esse? terra simul frui, & cælo non potes. ibidem.

De Paconio Abbate.

Castigatio hæc seuera & penè atrox: sed Paconij Abbatis propemodũ atrocior, qui n modò niuali frigore afficiebat corpus, sed nudis pedibus vepres, & tribulos calcabat, vt aculeos carnis, extrarijs, corpúsque cõsauciantibus expungeret. ibidem.

De Elizabeth Regis filia.

Vix miretur hæc qui fando audiuerit, aut legerit aliquãdo, ab Elizabet Regis filia abduci solitas in secretum domesticas ancillas, hisque herile corpus atrociter verberandum præbuisse. fuitque illud haud vno modo proficere: nam & castitatem per hæc tueri & patientiæ assuescere. ibidem.

De Cæcilia virgine.

Magnum & Cæciliæ virginis exemplum in hac relatione, quæ Valeriano desponsa, ne in nuptiali quidem ornatu ciliciũ deposuit: sic duobus sponsis placitura, cœlesti interiore hoc: alteri, qui in terris erat, cultu exteriore. ibidem.

De Radigunde Regis coniuge.

Tulit & Radigundis vxor regis in Gallia sub regali vestiũ cultu vtile & asperum ciliciũ: documento haud obscuro, mẽte & ijs, quæ non cernuntur oculis, rectius pietatem coli, quàm vittis & tunica. ibidem.

De Sarra.

Sed nulla pertinacius carnem impugnauit, quã Sarra in Scythi monasterio, cuius Antistes fuit X L. annos. neque aquas præterfluentes, neque pratum cubiculo subiectum molliter virens vnquam intuita, ne scilicet terrestris illecebra oculis inspecta pernicioso allapsu mentem cælo intentam proposito auerteret. ibidem.

De Thoma Cantuariensi Archiepiscopo.

Thomas Cantuariensis Archiepiscopus tunicam & femoralia poplitũ tenus cilicina sub vestimentis gestauit. quippe indignum se, qui Ecclesiæ præesset, arbitratus est, nisi & membris suis præesse posset. Membra igitur tegminis asperitate contrita sibi subijcere studuit, nequando ipse illis subiectus, appetitum illorum sequi cogeretur, non suum. Marul. lib. 3.

De Maioro Episcopo.

Maiorus quoque in insula Britanniæ Sarinæ episcopus, qui episcopali dignitati solitudinis præposuit humilitatem spretis honoribus, eremum penetrans præter incredibilem cibi potúsque abstinentiam, semper cilicio est vsus: & quia virgo fuerat, virginitati inimicã indumentorũ molliciem declinauit. ibid.

De Eadmundo Cantuariensi Archiepiscopo.

Eadem cilicij gestatio Eadmundum Cantuariensem Archiepiscopum commendat: & hoc plus adijcitur, quòd Quadragesimæ diebus pro cilicio loricam plumbo contextam induere solitus sit. Itaque non duritia solùm cilicini tegminis, verùm etiam plumbei grauitate carnis concupiscentiam frenans, & ipse virginitatem perpetuò incorruptam seruauit. ibidem.

De diuo Hieronymo.

Si quis diui Hieronymi in legendo scribendóque laborẽ consideret, dicet, Quomodo sic occupato animo vlla turpis cogitatio potuit irrepere? Tum si ad Eustochium virginem scribenti, atque confitenti crediderit, Memini me clamantem diem crebrò iunxisse cum nocte, neque prius pectoris cessasse verberibus, quàm rediret Domino increpante tranquillitas: planè intelliget etiam inter labores cogitationum tentationi esse locũ, eásque cùm labor nequit repellere, flagellis ac verberibus ex-

cutiendas, & semper auxilium diuinæ miserationis implorandum. Neque enim ex nobis sufficimus (vt Apostolus inquit) sed omnis sufficiētia nostra ex Deo est. ibid.

De Bonifacio Archiepiscopo.

Illud quoque macerandi corporis genus, quod à Bonifacio Mysiæ inferioris Archiepiscopo seruatum legimus, non est silentio prætermittendum. Ferunt enim, cùm ad illas gentes Christum euāgelizaturus proficisceretur, equitantibus ijs, qui cum illo erant, ipsum medio brumæ tempore sine equo nudis pedibus incessisse: & cùm ad montium asperiora itinera peruenissent, equum quidem conscendisse, sed tamen calciamenta minimè induisse: ita vt sæuiēte hyeme, & niue, quæ pedibus inciderat, gelascente, plantas de stapede amouere nequiuerit, donec aqua feruente superinfusa, glacies solueretur. Hanc in illo algoris patientiam imitentur, qui bullientem in medullis libidinis æstum cupiunt extinguere. ibid.

De Hospitio.

Idcirco fortasse, & Hospitius apud Nuceriam solitarius (vt Paulus, qui Longobardorum historiam scripsit, refert) ferro solido lumbos nudos præcinxerat, vt scilicet eam corporis partem magis attereret, vnde magis voluptatis motum exurgere solere sciret. virtus enim eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. ibidem.

De Philonorio presbytero.

Philonorius presbyter intra saxeam spelūcam inclusus, & ferreis nexibus manus pedesq; reuinctus vixisse perhibetur, vt carcerem simul vinculáque perferret. hic extremo vitæ die confessus est, nullum à se temporis momentum, quo non de Deo aliquid cogitaret, prætermissum. Dum igitur corpus voluntaria castigatione premeretur, spiritus ipse terrenis affectibus liber, semper cælestia meditabatur. ibidem.

De Martino.

Martinus in Massico Campaniæ monte solitarius manēs, vt euagādi facultatem sibi suriperet, catena saxo affixa pedem vinxerat. Et cùm diu angustiam hanc libenter pertulisset, Benedicto abbate id demum resciente, iubentéque, ne committeret, vt catena ferrea potiùs, quàm catena Christi ibi illum fixum teneret, statim quidem nodos dissoluit: sed nunquam inde longius discessit, quàm discedere vinctus poterat. Durum profectò & difficile fuit, hominem veluti rabidum canem ferreis vinculis constrictum permanere: sed multò difficilius compede soluto, longius abeundi voluntatem semper ligatam tenere: vtranque autem difficultatem superauit amor Christi. ibidem.

DE CORPORIS castigatione per ieiuniū, Nostrorum exempla.

De Apostolis.

POst Dominum Iesum primi inter Christianos Apostoli ieiunio vsi sunt. ipse enim (vt in Euāgelio legimus) cùm in Matthæi domo accubuisset, quibusdam interrogantibus, quare discipuli eius, sicut Ioannis & Pharisæorum, non ieiunarent, respondit, Nunquid possunt filij nuptiarum, quandiu sponsus cum illis est, ieiunare? venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus: & tunc ieiunabunt in illis diebus. Peracta igitur spiritalis connubij celebritate, passionis ac resurrectionis tempus aduenit, & sublatus est ab eis sponsus. Exinde illius desiderio vehementer solicitati ieiunare, & esuritione se afficere cœpere: nec vnquam ab his abstinentiæ angustijs recesserunt, donec in cælesti thalamo rursum eidē quem tam ardēter desiderauē-

rant, feliciter iuncti sunt: vbi nũc ieiuniorum famem, quam hic haud multùm diu sustinuerunt, æterni perpetuique conuiuij refectione compensant. ibid.

De Nicolao Miræ vrbis Episcopo.

Apostolicum virum Nicolaum Miræ vrbis Episcopum ferunt infantulum adhuc in cunabulis vagientem, & fasciarum inuolucris colligatum, cùm in nutricis vberibus admoueretur, quarta & sexta quaque feria non nisi semel sugere lac voluisse. Mira profectò res nondum ad buas papásque peruenerat, hoc est potus cibiq; vsum, & iam ieiunia obseruabat: sed si adulti sanctitudinem consideraueritis, nõ erit mirum, quòd talis ac tanti hominis etiam infantia mirabilis fuerit. ibidem.

De Maioro Sargiensi Episcopo.

Quartæ & sextæ feriæ dies Maiorus Sargiensis Episcopus ita ieiunio suo consecrauit, vt in illis nihil prorsus degustaret: aliis verò diebus pane hordeaceo victitabat. Vis nosse quantum illi sic ieiunare profuerit? virginitatem perpetuò seruauit. ibidem.

De Eadmundo Cantuariensi archiepiscopo.

Eadmundus Cantuariensis Archiepiscopus ipse quoq; virginitatis coronam adeptus est. lasciuiam carnis domans ieiuniis feria sexta sicco pane tantùm & aqua frigida semper est vsus. Nunquã illi curæ fuit, vt pasceret corpus, sed vt sustẽtaret. Propterea quidem cibauit illum Dominus pane vitæ, & intellectus & aqua sapientiæ salutaris potauit illũ. fuit enim doctor egregius disciplinis diuinis apprimè eruditus, multis præterea miraculis clarus. ibid.

De Bonifacio martyre.

Bonifacio martyri Mysiæ Archiepiscopo quotidiana ieiunia pro deliciis erant: atque ita vt mediam per biduum quatriduúmq; toleraret, Dominicis tãtum diebus quintisq; feriis cibũ capiẽs. Cùm tamen docẽdo Gentiles per Mysiam iter faceret, vitæ ac frigoris asperitate fatigatus, ita temperauit ieiuniũ, vt quotidie dimidio pane & aquæ poculo vires reficeret. ibi.

De Antonio Ægyptio Abbate.

De Antonio quoq; Ægyptio Abbate memoriæ proditũ est, quòd semel in die hora vespertina panem cum sale comederit, & aquam frigidam biberit: & cùm perseuerantius ieiunaret, nũc bidui, nunc tridui inediam passus sit. Tum quòd eam rem illi inuidens diabolus, sumpta Monachi forma apparuerit, cibos porrexerit: & vt aliquid sumeret, nec se fame cõficiri sineret, exhortatus sit: quòd tandẽ deprehensa fraude, Antonius crucis signo se munierit, & ille euanuerit. Ex quibus facilè apparet, quàm magno emolumeto nobis ieiunium sit, cùm tantæ molestiæ diabolo sit, & ieiunantes tentari posse, superari non posse. ibid.

De Seuero Abbate.

Seuerus Abbas natione Syrus Dominico quoque die manè sacram communionem, vesperi panem vnicum sumebat, altero cibo animam alens, altero corpus sustentans. Reliquis autem diebus cibo pariter ac potu vacuus perdurabat. ibid.

De Stephano presbytero Constantinopolitano.

Illud ego magna admiratione dignum reor, quod de Stephano presbytero Constantinopolitano traditum est, quòd scilicet nondum editus, ieiunia colere cœperit. Nam (vt aiunt) mater eo grauida non vinum, non carnem, non lacticinia gustare poterat, & si gustasset, præ nausea euomebat. Post hæc ipse iam natus, cùm vberibus applicaretur, sugere matrem nisi ieiunantem nolebat. Tali ostento significatum est, quantæ ille abstinentiæ obseruator mox futurus esset. vt enim cum ætate creuit virtus, in templo beati Petri Apostoli clausuram subiens, herbas cum sale coctas absque alio condimento semper vesperi comede-

bat: deinde presbyter factus pristino victui salem ademit: & ne hoc quidem tam fatuo cibo quotidie vti voluit, sed aut bis tãtum in hebdomada eum sumere, aut ad Dominicum vsque diem inediam proferre. Postremò cùm in solitudinem cessisset, herbis crudis pascebatur, à cocto abstinebat: & Monachatũ professus, cùm à Seniore iuberetur modico vino vti propter stomachum, vnicam vini guttulam in vrceum aquæ plenum instillare cœpit, vt & obediret, & aquam tamen nihilò penè, quam antè sapidiorẽ biberet. Pauculas etiã sicus festiuis duntaxat diebus in cibo habuit: nec hoc quidem sua spõte, sed obedientiæ iure. hic igitur iam ab initio in parẽtis visceribus à Deo electus prædestinatúsq; & sanctificatus, quã magna res esset, ieiunium ostẽdit, cùm ipsam matrem ad id compellendo, tum semet vsq; in finem eò incredibiliter macerãdo, id est, à duodeuigesimo vsque ad septuagesimũ ætatis suæ annũ: tunc demum pascuis cælestibus satiatus est, tantò quidem vberius, quanto hîc vixerat abstinentius. ibidem.

De sancto Liberali.

Sancto Liberali, cuius ossa Taurisij posita honorantur, vitæ merito de cælo cõcessum fuit (omne enim donum perfectum de sursum est) vti Dominico quoque die perceptæ spiritali alimonia corporis & sanguinis Christi sine vllo alio cibo reliquum tempus perduraret. Itaq; quod ad animæ salutem sumptum erat, illius virtute etiam caro sustentabatur. ibid.

De Hilarione Abbate.

Diuus Hieronymus testatur, Hilarionem Abbatem nunquam ante solis occasum nec festis diebus, nec in grauissima valetudine soluisse ieiunium: cùm tamen duro admodũ parcissimóq; victu vsum dicat herbarum syluestrium, hordeaceiq; panis, & non coctæ, sed aqua frigida maceratæ lentis, ita vt ei aliquãdo caligarent oculi, corpus scabredine rigeret, & tunc oleũ pro remedio in cibatu addidisse. Deniq; à sexagesimo ad octuagesimum ætatis suæ annũ cùm pane quoque abstineret, sorbitiunculis ex farina & olere comminuto sustẽtatum fuisse, donec reddito spiritu conuiuij cælestis perpetua & ineffabili dulcedine, quam semper appetierat, satiari cœpit. ibid.

De Diuo Hieronymo.

De se quoque ipse Hieronymus ad Eustochium virginem scribens, loquitur, ac dicit, Repugnantem spiritui carnem hebdomadarum inedia subiugabã. Non tacuit quod olim in eremo secretius egerat, vt illam, quã docebat, suopte exemplo magis moueret: & tamen confitetur cogitationum in corde lasciuientium illecebris vix interdum se resistere potuisse. Pallebãt, inquit, ora ieiuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortua sola libidinum incendia bulliebant. Et ipsi nos tutos putabimus, si diem vnum aut alterũ in hebdomada ieiunauerimus? Nescio an etiam ieiunium dici debeat, quod consequentis diei obruit repletio: cuius famẽ succedens exuperat saturitas. ibid.

De Syluano Abbate.

Syluanus Abbas in deserto Scythi ieiunij die vnà cum Zacharia discipulo iter faciens, ad quoddam monasterium diuertit, & humaniter acceptus manducauit. Cùm discessissent, discipulum in via bibentem reprehendit, quòd eo potu ieiunium ante tempus soluisset. Et cùm ille tunc se ambos iam soluisse ieiunium diceret, cùm in monasterio comedissent, Minime, inquit. nam illud non ieiunij solutio, sed charitatis cõmunicatio fuit. Itaque existimauit absque ieiunij detrimento posse aliquid prægustari in sodalicio exterorum, id est, cùm aut ipse alios hospitio susciperet, aut ab aliis susciperetur. Quem morem apud Ægypti Monachos celebrẽ fuisse, autor est Cassianus: ita tamen,

vt illam prægustationem districtiore postea ieiunio compensarent, vsqueadeo neque charitatem dimittere, neque abstinentiæ, quicquam derogare volebant. ibidem.

De Odilone Cluniacensi Abbate.

Odilo Cluniacensis Abbas Quadragesimale ieiunium solicitus obseruans, cùm panem cinere aspersum comedisset, aquam potui poposcit, quæ accepta, est statim in vinum mutata: ministrum increpuit, quòd vinum pro aqua sibi attulisset. Illóque admirante & rursum de fonte haustam offerente, idē sequutum est miraculum: vbi tandem agnouit Dei voluntatem, timuit recusare quod ab ipso offerebatur, & asperiorem cibum molliore poculo temperauit. ibid.

De Gregorio Pontifice.

Gregorius Pontifex ingenio ac sanctitate clarus dum adhuc monasticam vitam ageret, aduersa implicitus valetudine, ieiunium Quadragesimale seruare non poterat: aduenientē verò Sabbati sancti die, flens, Eleutherium Abbatem rogauit, vti precibus à Domino tantillum sibi virium impetraret, quod satis esset ad eam saltem tam celebrem diem ieiunio excolendam. Quo orante tantum concepit vigoris, vt etiam in alterum diem inediam facilè producere posset, si voluisset: sic quidem ipsemet in tertio dialogi sui libro testatum reliquit. Quo exemplo apertè admonemur, vt si qua res ad seruandum ieiunium nobis impedimento fuerit, non negligamus, imò vt ab ea expediamur, votis precationibusque Dominum solicitemus. Petenti enim dabitur, & pulsanti aperietur. ibidem.

De Asella virgine.

Asellam virginem Hieronymus laudibus efferens, Ieiunii, inquit, pro ludo habuit, inediā pro refectione: & cum eam nō vescendi desiderium, sed humana conditio ad cibum traheret,

pane, & sale, & aqua frigida cōcitabat magis esuriem, quàm restinguebat. ibi.

De Paula.

Idem Paulæ vita iam defunctæ virtutes enarrans, Tantæ, inquit, continentiæ fuit, vt propè mensuram excederet, & debilitatem corporis nimiis ieiuniis, ac labore contraheret. Exceptis diebus festiuis vix vnquam aliàs oleum in cibo cepit: vt ex hoc vno æstimetur, quid de vino, & liquamine, & piscibus, & melle, & ouis, & reliquis, quæ gustu suauia sunt, iudicarit: in quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant: & si iis ventrem ingurgitauerint, tutam pudicitiam suspicantur. Post multa tandē, ait nulla iuuenū puellarū sano et vegeto corpore tantæ se dederat continentiæ, quantæ ipsa fracto & senili debilitatóque corpusculo. Postremò dicit, quòd cùm febre laboraret, nec medicorum consilio, nec Epiphanij Episcopi suasionibus compelli potuerit, vt vinum biberet. Et ipse Epiphanius ab ea exiens, tantum se profecisse dixerit, vt è cōtrario sibi iam seni aquam bibere penè persuasum esset. Quòd si hæc & languore & ætate confecta fœmina vinum, in quo est luxuria, vsqueadeò gustare timuit, quomodo non magis timere debeant quæ & sanæ sunt, et iuuenilis ætatis feruore, etiā cùm multum ieiunauerint, incalescunt. ibidem.

De Euphraxia.

In illo Thebaidis monasterio, in quo Euphraxia virgo omniū spiritalium vnguentorum odore fragrauit, quotidiana seruabantur ieiunia: & nō carnem, non lacticinia, non vinum, non oleum, non denique dulcium genera fructuū gustare fas erat. Euphraxia verò biduo triduóque, & tota interdum hebdomada inediā protrahebat, vacuū cibo ventrem gerens, vt animā repleret virtutibus. ibid.

De Maria Decegnies.

Maria Decegnies, cuius ortu Niuella Leodiesis Epipscopi vicus nobilitatus est, a festo exaltationis Crucis vsque ad Pascha ieiunium cum sola panis et

aquæ refectione per annos tres obseruauit. Eandem ferunt aliquando quinque, & triginta dies absque cibo perseuerasse diuinis fructem colloquiis. tres item & quinquaginta dies ante obitum suum nihil aliud gustasse, præter vitale viaticum carnis & sanguinis Christi: hinc defunctæ animam ab Angelis in cælum ferri visam, vt quæ à terrenis alimentis idemtidẽ abstinuerat, cælesti pabulo repleretur in æternum. ibid.

Cæterùm non omnibus data est eadẽ abstinentiæ mensura, idémq; modus. Alius dies multos inediã pati potest: alius nevnum quidẽ. Alij ad sedandam famem dimidium panis sat est: alij integer parum est. Tantum ergo sibi quisque ieuuniorũ imponat, quantum ferre præualet: tantum comedat, quantum ad regẽdos corporis sensus sufficiat, non ad extinguendos: quódque ad continuãda ieiunia congruere visum fuerit, non vt duorum aut trium dierum nimia abstinentia, subsequẽtium repletione indigeat, & probro locus sit dicentiũ, Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Turrim igitur ieiunij constructurus computet sumptus, atque ita moderetur, vt futuro operi ad culmen vsque educendo suppetere possint. ibid.

Omni præterea ope, & totis viribus enitendum, vt semper à vitiis magis, quàm à cibo ieiuni inueniamur. Aloquin nec à cibo ieiunasse proderit, si inter ieiunandum peccato locus sit. Non est, inquit Apostolus, regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Pietatis igitur & iustitiæ cura curam superet ieiunãdi: hoc est enim ieiunium, quod elegit Dominus, propter quod per Esaiam ait, Sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Ad hæc ne quid simulatè, ne quid iactãter fiat: Nolite ieiunare, inquit, sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Tales quippe Pharisæum imitantur, qui ait non sum, sicut cæteri homines, ieiuno bis in sabbato.

Sed dum insipienter gloriatur, Publicano, quem despexerat, factus est deterior. hos & per Zachariam arguit Dominus dicens, Cùm ieiunaueritis, et plãxeritis, numquid ieiunium ieiunastis mihi? Non enim Deo, sed vanitati & iustitiæ ieiunant, qui ieiunando hominum rumusculos, & inanes glorias aucupantur, & dici quàm esse sancti malunt, qui sæpe quidem, vt se efferant, aliis detrahunt: nec Apostolum audiunt dicentem, Tu quis es, inquit, qui iudicas alienum seruum? Qui non manducat, manducantem non iudicet, domino suo stat aut cadit: stabit autem. Potens enim est Deus statuere illum. ibid.

DE RATIONE resistendi diabolo, Nostrorum exempla.

VT vincamus, quoties ad lautiores cibos auiditas vrget meminerimus: Quia non in solo pane viuit homo: quoties ad subeunda pericula temeritas prouocat, statim occurrat, quia Deum tentare non debemus: quoties bonorum opulentiæq; cupidine solicitamur, protinus ad mentem reuocetur, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies: postremò quoties perniciosarum cogitationum stimulis agitabimur, semper resistẽdo ac repugnãdo clamemus, Vade retro Satanas: iam satis certi, eò Angelos accessuros, vnde diabolus victus recesserit. Marul. lib. 5.

At victo etiam Satana impensè cauendũ est, ne qua ex hoc surrepat inanis gloriæ iactatio. Mirabantur se Apostoli, quod dæmoniis imperarent: & audiunt, Nolite gaudere in hoc, quia dæmonia subiiciuntur vobis: gaudete autẽ, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Et videbam Satanam, inquit, sicut fulgur de cælo cadentem, qui quantò se altius erexerat, tantò inferius corruit. Qui ergo acceptam gratiam semper integram conseruare cupit, semper humilitati studeat, in omnibus

Deo gratias agat: & si malarum tentationum victor euaserit, illi soli acceptum referat. Ait enim, Sine me nihil potestis facere. ibid.

Satanas quippe iste nequissimus, cùm Domini Discipulos sicut triticum cribrare expetisset, non est permissus, nisi in eũ, qui de se multum præsumpserat, dicens, Domine tecum paratus sum in carcerem & in mortem ire. Petrus ergo & tentari & labi dimissus est, vt per pœnitentiam humiliatus disceret, iam non sibimet confidere, sed ei, cuius beneficio etiam post lapsum subleuatus est, ne periret. Igitur quisquis aliquis bonis operis propria virtute se effecturũ promiserit, diaboli vanno concutietur: & cùm triticum mundum se esse crediderit, inter decermina computabitur. Frustra aliquid conamur, nisi Domini auxilium affuerit: cum illo in carcerem vel in mortem ire tũc poterimus, cùm ipse audendi præstiterit fiduciam: vt autem præstet, rogari vult, dicens, Petite, & dabitur vobis. ibid.

Nec solùm diabolus, verùm etiam corpus nostrum aduersatur nobis vas electum Paulus: Video, inquit, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantẽ me in lege peccati, quæ est in membris meis. Deinde exclamat, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et quia ipse per se non sufficit, respondet, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Sed quoniam gratia ista solicitis, non otiosis opitulari soleat, ipse quoq; non cessat, quantum potest, reluctari aduersario suo, et flagellationum iugo premere illum, atque imperare volẽtem ad obedientiã compellere. Castigo, inquit, corpus meũ, & in seruitutem redigo. Igitur si pugnat caro, castigatione reprimenda est: reprimẽtem Dei gratia adiuuabit. carnis autem castigatio est ieiunium, vigilia, deprecatio, verberatio, labor. ibidem.

Ad hæc idem Apostolus etiam à Satana verbera sustinuit, neque hoc sine Domini voluntate: Sed ne magnitudo reuelationum, inquit, extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me: & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Qui Apostolo gratiam dederat, dedit & stimulum. Nulla enim potest esse victoria, vbi nulla est pugna: non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Rogemus ergo Dominum, non vt submoueat nobis tentatorẽ, sed vt suppeditet vincendi facultatem. ibidem.

De duobus Iuuenibus.

In illos autem præcipuè diaboli insurgere solet malignitas, qui terrenis cõtemptis religiosè vitam instituere decernunt. idcirco præceptum est, Fili accedẽs ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tẽtationem. duo Iuuenes Ioannem Apostolum sequuti, cùm deinde angi animo cœpissent, quòd facultates suas in pauperum vsus erogassent, nec iam Apostolo meliora certiorâque sperare iubenti acquiescerent, virgis in aurũ mutatis & lapillis in gẽmas, plus etiam recipiunt, quàm reliquerant. Mox cuiusdam (cui Stacteo nomen erat) à morte suscitati verbis credentes, quibus ille se vidisse affirmabat, quam ingentem gloriam in cælo paratam sibi ipsi amisissent, ad quã tanquam infelicitatem deuoluendi essent, quòd retro cesserint. Rursum ad populum reuersi, restituto, quicquid ab eo acceperant, paupertatem in vita coluere, vt potius post obitum diuites fierent. Reuocauerat eos diabolus ad pristinæ conuersationis vomitum: sed Apostoli precibus & Dei dispensatione factum est, vt deprehensis inimici fraudibus, ac dolis, quod impudentius repetierant, constantius refutarent. sic in tempore resipiscentes gloriam illã, quam sibi in cælo fuisse audie-

rant, iam amissam recuperarũt. ibidem.

De Hugone Abbate.

De Hugone quoque Bonæuallis Abbate legimus, quòd religionem professus, continuò ad seculum redire tentatus est: neque ferre ad intima vsque penetrantes inimici sagittas potuisset, nisi eis orationum scutum opposuisset. Oranti Virgo Dei genitrix apparuit, & iam dubium suspensumque ad perseuerandum in sancto proposito animauit. Non est ausus postea diabolus eum lacessere, quem pro viribus repugnantem ipsa cæli Regina, ipsa Angelorum Domina dignata est adiuuare. ibidem.

De quodam iuuene.

Sub hoc Abbate iuuenis quidam religionis voto obstrictus, cùm itidem peruersis cogitationibus multùm agitaretur, vt è monasterio fugam faceret, confessus est Abbati tam perniciosæ tentationis molestias. Tum demum eius exhortationibus roboratus, illis fortiter repugnauit: biennio post aduersa valetudine correptus, vita decessit, atque in visu apparens Abbati, gratias egit quòd eius consilio, opere, operáque religionis statum non deseruerit, & eam ob rem inter beatos collocatus esset. Tantum ipsi profuit, hasce inimici suggestiones suo detexisse Abbati, neque celatas tenuisse. ibidem.

De duobus Monachis nouitiis.

Duo etiam nouitij Monachi eandẽ improbissimi spiritus molestiam passi, ab eodem Hugone admonentur, ne discederent. Vitam enim æternam in monasterio permanendo, consequuturos, discedendo malè finituros. Alter eorum recedens ab inimicis in prælio peremptus occubuit: alter manens cùm aduersa valetudine oppressus animam ageret, beatam Virginem vidit, & ab ea consolatus, ac certior factus, quòd beatitudinem olim ab Abbate promissam, lætus diẽ suũ obijt. Vtriusque euentus apertè docet, & quantum mali consequantur, qui religionem professi ad seculum redeunt, & quantum boni, qui in ea perseuerant. ibidem.

De quodam Monacho.

Ad superandum hoc diabolicæ machinationis genᵒ multũ profectò adiuuat oratio Sanctorum. Sub Bernardo Abbate quidam nobili familia ortus, cùm se Monachum fecisset, in tantum mentis tædium lapsus est, vt palàm diceret, nunquam e hilari sedatóque animo futurum: frustra illum fratres, vt in Domino consolaretur, & spe præmij cælestis mœstitiã deponeret: hortabantur: frustra hoc ipsum Abbas admonendo, exaggerabat. At verò vbi idem Abbas pro eo orationem fecit, ita immutatus est, vt è contrario exultaret, ac se iam deinceps perpetuò contentum victurum affirmaret. Quippe diabolus orantis Abbatis virtutem sustinere non valès, ab impugnatione fratris illico desijt: & ipse spiritalis gratiæ luce perfusus, causam agnouit, ob quam gaudere iucunditatéque affici deberet, & non conturbari, neque mœstus esse. ibidem.

De Mederico Abbate.

Non precationibus tantùm Sanctorum, verumetiam rebus, quas ipsi contrectauerint, terrentur dæmonia, & fugiunt. Siquidem Mericus Abbas apud Edurum sanctitate clarus, cùm Monachum libidinosis cogitationibus æstuantem tunica sua induisset, eiusmodi molestia liberauit, discedentísque ab illo immundi spiritus vlulatus auditus est, & ipse in castitatis proposito absque lasciuiæ prurigine purè integréque permansit. ibidem.

Alius frater Mederici reliquijs de mensa collectis atque haustis vagæ mẽtis inquietudinem repressit, cùm antehac tali dæmonis illusione solicitus persistere in Ecclesia omnino nõ posset, sed semper prius, quàm

solennis precatio peracta foret, egrederetur. Itaque vehementiorum tentationum remedia à viris quidem sanctitate præstantibus petenda erunt, cùm eos impurissimi spiritus ferre iam nequeant, à quibus toties victos fugatósque se reminiscũtur. ibidem.

De Benedicto Abbate.

Bendictus Abbas cùm fratrem quendam similiter à diabolo illudi audisset, eius vicem dolens, ad monasterium, vbi is habitabat, accessit, viditque ipsum ab Æthiope puero extra ecclesiam per vestem trahi, dũ cæteri fratres psallere cœpissent. insequutus ergo eum, atque increpans, virga percussit, neque ipse postea eiuscemodi mẽtis instabilitatem passus, cum alijs in oratione perseuerauit. Sic Benedictus Monachum feriens, malignum ab eo spiritum in fugã conuertit. ibidem.

De Nathanaële Anachoreta.

Nathanaël Anachoreta cũ ipsũ solitudinis pertæduisset, ea relicta, sibi cellã proxime pagũ constituerat. Ibi dæmon forma supramodum fœda terribilique apparens, ac flagellum manu concutiens, circunstrepere ferociter cœpit, vt pauefactum inde abigeret: insuper iactabundus, quòd etiam prius habitaculum eum deserere compulisset. Quod vt audiuit Nathanaël, ne qua in re de se gloriari diabolus posset, ad desertum reuersus, ita illic postea habitauit, vt de cellulæ suæ septo annos septem & triginta pedem non extulerit. ibidem.

De eodem.

Sed rursum Satan fraude illum aggreditur: agasonem assimulat, & asellum panibus oneratum agens, dum sub onere lapsum attollere nititur, Nathanaëlis opem inclamat, vt foras euocet, suspensus ille stetit, charitas proximo auxilium ferre stimulabat, propositi ratio exire dissuadebat. Dum autem quid facto opus esset, secum deliberat, venit in mẽtem, ne fortè id quod cernebat, diaboli ad fallendum fabrica esset, & vocanti respondit, Si Christianus es, Deum deprecare, & ipse adiuuabit te: sin Christi aduersarius, indignus es, cui succurratur. His dictis visio euanuit. Et ipse Deo gratias egit quòd tam callidè dolis non sit captus, nec suum intermisit institutum. Exemplo est cùm nos in laqueos paulatim labi remissius agendo senserimus, resipiscẽtes etiã pristinæ perfectioni aliquid addamus, vt potius in laqueos incidat, qui illos parauerat, & cõuertatur dolor eius in caput eius. ibidem.

De Antonio Alexandrino Abbate.

Plurimùm autem circa conuersionis nostræ initia dæmoniũ in nos cõcitatur indignatio, quibus si eo tempore minimè cesserimus, facilior erit reliquarum postea congressionum victoria. Antonium Alexandrinum Abbatem ad eremum pergentem iam primùm verberibus discidere: semianimis relictus ad proximum vicum curandi gratia delatus est. Cũmque aliquantulum conualuisset, rursum eòdem se referri iussit: iterum verberari cædique paratus, si ita Domini ferret voluntas, nec vlla vnquam diaboli iniuria à proposito deterrendus. Hac animi constantia armatũ, cùm iam contingere nequissimi spiritus non auderent, monstrosa diuersarum imaginum facie metum illi incutere conabantur, ferarum more in eum rugientes, vlulantésque, ac simul serpentum sibilationibus præstridẽtes, rictibus ringentes, dẽtibus infrendentes, toruo oculorum aspectu scintillantes, & flammas ore, naribus, auribúsque perflantes, nulla pauoris omissa specie, qua terrere illum possent. Cæterum vbi fortissimũ Christi militem nec ictus curare, neque tam horrendo tetróque spectaculo quicquam commoueri vident, victos se confessi, confusique discessere: ille seruiendi Deo semel iam susceptum votum magno constanti-

que animo prosequutus est. ibi.

De eodem.

Post hæc veterator spiritus ne quid adhuc intentatum relinqueret, cogitationibus Antonij callidè sese insinuans, tantæ solitudinis tædio animũ eius pulsauit, vt ille quid iam agere deberet, dubius ad Deum exclamaret, dicens, En ego Domine Iesu cupio his in locis tibi famulari, & nescio quò me inuitum subinde rapit violenta mẽtis meæ euagatio. Hæc dicenti Angelus monachali habitu iuxta apparuisse dicitur: & cùm aliquandiu nunc genibus prouolutus orasset, nunc surgẽs manibus fiscellas texuisset, ad Antonium conuersus dixisse, Ita & tu Antoni: atque hoc dicto ex oculis euanuisse. tali ergo precum laborisque vicissitudine deinceps vsus Antonius, diabolicæ molitionis tentamenta facilè vicit: & cum minimè esset otiosus, minimum in eum potuit inanis cogitatus distractio. ibid.

De eodem.

Et hoc quoque relatu dignũ de illo ferunt, dum verbera terroresque perferret, lucem diuinitùs apparuisse, quà expauefacti dæmones, diffugere, Antonium verò eo splendore recreatum erexisse se, & quasi præsentem Dominum aspiceret, dixisse, Vbi eras? responsúmque accepisse, Aderam Antoni, sed euentum pugnæ præstolabar: quam quoniam imperterritus immotúsque viriliter sustinuisti, manet te victoriæ tuæ indeficiens in cælo triumphus, immarcessibilisque corona, præmiumque sempiternum. Igitur omnis diaboli vis atque decertatio sola pij propositi continuatione destruitur, atque dissipatur. Perseuerauit nempe Antonius, & mala quæ perpessus est, ad gloriæ illi cessere incrementum. ibidem.

De Macario Alexandrino Abbate.

Macarius quoque Alexandrinus Abbas & ipse quidem multùm ab ijsdem spiritibus

traditur infestatus. Parem autem eorum terrori extitisse vel inde constat, quòd in Gentilium sepulchro nocte quadam amoto cippo decubare ausus sit: cúmque ossa super quæ iacebat, in vocem prorupissent, mansit immotus: vox autem erat alteri respondentis, venire se nunc non posse, quòd eius, quem super se habebat, pondere grauatus esset. Ad quem Macarius, Exi atque abi si potes, inquit, ego hic pernoctabo. Dæmones igitur tãtam hominis audaciam perstupentes, obmutuere, ne si plura in eum conari pergerent, victi magis erubescerent. ibid.

De eodem.

Aliàs etiam terribilis dæmon falcem ferream manu vibrans, ac percussuro similis eidem occurrit: cúmque nec sic eum terrere potuisset, superatũ se fateri cœpit: superatum tamen non vigiliis, non ieiuniis, cum & ipse dormiret, nec comederet, sed sola animi semper se submittentis humilitate. ibidem.

De eodem.

Iterum illi apparuit, Medici speciem præferens, multásque vitreas ampullas circa se gerens, & quò pergeret interrogatus, quídue sibi vascula illa vellent, ad proximum monasterium iter se habere respondit, vt fratribus singulis singulas offerret potiones, eósque qui hauserint, sibi obnoxios reddat. Non multò post Macarius inde reuertentem conspiciens, quid egisset quæsiuit, atque accepit vnum duntaxat ex fratribus illis Theotiscum nomine ampullæ veneno delinitum: anxúsque de fratris periculo, protinus monasterium adit, Theotiscum conuenit, inimici in eum captiunculas detegit. Et ille his auditis expauidus, quicquid mortiferum diabolo propinante gustauerat, repentè corrigendo sese, totum id euomere curauit. Si quid itaq; quod peccatum sapiat, in animum influxerit, statim est egerendum, ne diutiùs ibi remoratum nos interimat. ibid.

De eodem.

Idem Macarius fratri, quem nequam spiritus occulta suasione eo induxerat, vt crederet, inutiliter se in solitudine vitam agere, quòd nemini alteri quicquam benefacere posset, salubriter consuluit, vt quoties in huiusmodi cogitatus incidisset, eis responderet, Hoc saltem in solitudine vtiliter ago, quòd amore domini mei Iesu Christi à tuguriolo isto non discedo. cessarunt ibi præstigiatoris insidiæ, vbi Christi amori datus est locus, & in cellula sua tranquillus permansit, qui iam de abitu cogitarat. ibid.

De eodem.

Idem cùm saccum arena plenum humeris baiulans incederet, cur id ageret interrogatus, vexare se vexatorem suum respondit: quippe voluptas, quæ otio alitur, labore fugatur. ibid.

De Hilarione Abbate.

Multa quoque expauescenda & Hilarionem Abbatem à Satana in deserto perpessum Hieronymus in eius vita tradit. Sæpè enim nocte intempesta ab eo auditos infantium vagitus, balatus pecorum, mugitus boûm, planctus quasi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rursus variarum portenta vocum, vt antè sonitu quàm aspectu territus cederet. Deniq; ipsum frõte crucis signo armata solicitè circunspicientem, splendente luna vidisse currum directis equis super se irruere: cúmq; inclamasset Iesum, ante oculos eius in terræ hiatum visa descendisse. Postremò quoties illi, inquit, nudæ mulieres cubanti, quoties esurienti largissimæ dapes apparuere, interdum orantem lupus vlulans, & vulpecula gannens transilijt, psallentiq; gladiatorum pugna spectaculum præbuit, & vnus quasi interfectus, & ante pedes eius corruẽs, sepulturam rogauit? Orabat semel fixo in terram capite, & vt natura fert hominum, abducta ab oratione mens nescio quid aliud cogitabat, insi-

lijt dorso eius festinus gladiator, & latera calcibus, ceruicem flagello verberans, Eia, inquit, cur dormitas: cachinnánsque desuper, si defecisset an hordeum vellet accipere, sciscitabatur. Dixerat enim ille quandóque corpori suo iratus, quòd se ad libidinem prouocaret, Ego te aselle iam non hordeo, sed paleis alam, ne calcitres. Huiusmodi ergo insidiis iniuriisque cacodæmones isti eos exterrent, quos proficere studio virtutis vident. Sed qui confidit in Domino, sicut mons Sion non commouebitur in æternum. ibid.

De Herode sene.

Porrò hæc versipellis bestia transfigurat se interdum in angelũ lucis, quò faciliùs id quod velit, homini persuadeat. A Cassiano relatum legimus, Herodem senem in Thebaidis deserto annos quinquaginta commoratum, sempérque ieiuniis intentum, suo tamen, non patrum arbitrio vixisse. Hic ergo à dæmone laudatus, cùm eum à Deo missum ad se de cælo angelum credidisset, credidit etiã quod ab illo audierat, se scilicet tanti iam apud Deum meriti esse, vt si ex arduo aliquo loco ad imum rueret, corpus suum affligi, lædiue non posset. Itaque immemor scriptum esse, Non tentabis dominũ Deum tuum, sed potiùs in perniciem suam illud imprudenter amplectens, Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne offendas ad lapidem pedem tuũ: noctu surrexit, & in puteum haud modicæ altitudinis se præcipitem misit ad sonitum casus exciti fratres, ipsum semineccm extrahunt: & cùm rem didicissent, à dæmonio illusum affirmant. Sed ille in sua credulitate præsumptuosáque superstitione perdurans, die tertio pòst vita defunctus est. Et quoniam in tali errore defecerat, vix illi à Paphnutio Abbate multorum precibus exorato inter dormientium in Domino fratrum sepultura memoriáque concessa est. Proh dolor, tot tantósque viri labores

vna destruxit sanctitatis præsumptio. Ea impostorem suum non agnouit, ea nulli de se nisi sibi credidit: sic vir virtutum, quamuis altè structum ædificium, repetè labi solet, vbi subtraxeris humilitatis fundamentum. ibidem.

De quodam Monacho.

De alio etiam apud eundem scriptorem traditum est suppresso nomine (quia adhuc supererat) quem captum diabolus diutulè ludificauit. Noctu ad eum ventitans, & cellam splẽdore illustrans, multáque ei occulta verè reuelans, vt postremò in erroris foueam incautum præcipitaret, nihil illi vltra ad promerendũ gloriæ culmen deesse dixit, præter Abrahæ obedientiam: proinde Deo iubente ne dubitaret, filium quem secum habebat, in holocaustum offerre. Credidit miser: sed dum præter consuetudinem cultrum in cote subigeret, & vincula præpararet, continuò pueri mens mali præsaga suspicari id quod erat, ac subinde quid ille acturus esset, paulò semotior, quàm vt ab eo comprehendi posset, spectare cœpit. cùmque iam aduersum se insurgentem vidisset, nihil moratus, è cella se proripuit, & fuga salutem petijt. Certè nisi effugisset, pater ipse pessimi paricidæ in filium scelus, non Abrahæ obsequium consummasset: & quem Deo genuerat, diabolo immolasset: eò iam vesaniæ processerat imprudens inconsultáque credulitas. ibid.

De quodã Monacho Mesopotameno.

Narrat idem Cassianus, Monachum etiam quendam Mesopotamenum, qui annos multos clausus vixerat continentiæ cæterarúmque virtutum fama supra omnes insignis, eodẽ fraudis genere, hoc est sub Angeli forma à diabolo deceptum: ita vt ad Iudaismum declinarit, & circũcisionem acceperit. Etenim multis illius non falsis reuelationibus & coram se coruscantis luce delinitus, firmissimè credidit ipsum esse cœli, non

tenebrarum spiritum. Vbi hoc persuasum est, illo tandem monstrante, videre sibi videbatur Apostolos, Martyrésque, & omnem prorsus Christianum cœtum tristes abiectósque in locis miseriæ atque perditionis esse: è contrario Iudaicum populum, cum Patriarchis & Prophetis ingenti lumine fulgere, & altè sidereis in sedibus lætos ac gestientes versari. His itaque diabolicæ malignitatis præstigiis illectus, corruit in errorem, nihil ab eo falsum ostendi posse ratus, à quo toties ea, quæ vera essent, didicisset, ignarus hanc esse piscatorum malitiam, vt hamum escis tegant, non pascendi, sed prehendendi perdendique causa. Aut quid aliud diaboli blandimenta nisi odiorum insidiæ sunt? ibid.

De Elphego Cãtuariensi.

Quod quidem bene intelligẽs Elphegus Cantuariensis Archiepiscopus, cùm ab infidelibus in carcere teneretur, & à diabolo in Angelum transformatò eductus, multũ iam itineris vnà cũ illo emẽsus esset, ambigere cœpit, reprobine, an boni Angeli opera martyrium fugeret: dúmque id sibi ostendi Deũ orasset, diabolus euanuit, ille ad carcerem reuersus, coronam recepit martyrij. Inuidia inimici seruare homini vitam hanc voluit, vt æternam differret. Sed ipse bonum, à quo auertebatur, considerans, iustam dubitandi causam habuit, & doloris euasit. ibid.

De Euagrio presbytero.

Ad Euagrium presbyterũ amborum quondam Macariorum discipulum, dũ solitarius eremium incoleret, tres dæmones clericali habitu venisse constat, qui se diuersarum hæresum esse simulantes, suum quisque dogma probare nitebatur, vt illum aliquò eorum peruerterent. cæterùm Euagrius cùm fidem catholicã aduersus quẽlibet eorũ accerrimè tueretur, ac defenderet, Deo adiuuante, omnes facilè superauit, ita vt confusi repente euanescerent, nihil aliud moliri in eum ausi,

quem in fide tam firmum cognouerant.ibidem.

De Martino Turonensi Episcopo.

Martinum quoque Turonensem Episcopum, sanctitati eius virtutibusque liuēs communis iste hominum hostis,ludificare conatus est. Aureo enim diademate, & purpureo superbus indumento,ei occurrens,Regem se Christum esse,& ad iudicandum mundum descendisse asseuerabat. At verò Martinus et diabolicæ arrogantiæ gnarus,et mãsuetudinis Domini memor, Haud talem,inquit,venturum se pollicitus est Christus, sed cum omnibus Passionis (quam pro nobis sustinuit) signis cum spinea corona vulnerumque cicatricibus;& ipso victoriæ suæ trophæo cruce. cùm talis apparuerit, eum aduenisse credam: alioquin hoc ab eo præceptum obseruabo, Si quis vobis dixerit,Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Immundus ergo spiritus verbis veritatis victus disparuit, nihil ibi suum relinquens,præter sui indicem fœtorem,Luculentus accesserat,fæculentus abijt, vt nullam illi inesse lucem nisi apparẽtem atque imaginariam credas. ibid.

De Pacomio Ægyptio Abbate.

Idem omnis mortiferæ fraudis artifex Pacomio Ægyptio Abbati apparuit,pulcherrimæ fœminæ formam præ se ferens: sed qui libidinis ardorem ieiuniorum frigore iam extinxerat, nulla carnis concupiscentia intellectum occupante,facilè perspexit inimici insidias, & frontem cruce signans,ipsum crucis fugauit aduersarium.ibidem.

De Pacomio Monacho.

Pacomius alter in Scythia Monachus queri solebat annos duodecim venereæ voluptatis cogitationibus multùm se fuisse molestatum:& cùm postremò diabolus puellæ ætate,& forma florentis imaginẽ ferens, ad genua eius procaciter lasciuiendo procubuisset,& ipse facinus detestans, atq; indignabũdus colaphum illi in faciem intorsit: quo ictu repulsus dæmon euanuit,& illa tam diutina genitalium titillatio cessauit. Quia qui visibili palpabilique specie seduci nequiuit, frustra iam deinde iis manibus cogitationum offuscis oppugnaretur. Magis enim visa, quàm cogitata mouent,multòque etiã ad tactum vsque admissa.ibid.

De Paterniano Abbate.

Sub eadẽ puellari figura nequissimus dæmon Paternianũ in deserto Ægypti Abbatem, qui postea Vris illius regionis oppido episcopatum gessit, longè quidem dolosius, sed æquè casso labore esse aggressus, cùm iam diei vesper esset, & in limine monasterij stãti apparuit dicens seruam se cuiusdã principis viri nouitiam esse:et dum ad aquam hauriendam missa esset,viam aberrasse:proinde orare,vt sui misertus, nocte illa sibi locum intra monasterij septum concederet, ne forte manentem foris solitudinis bestiæ laniarent. Pietate motus Paternianus puellam admisit,& cùm attentius eam spectasset, formam admiratus,concupiscere cœpit:veruntamen ad se reuersus, illicitum in præcordiis sensum non sine inimici opera prouenire intellexit,ac protinus è foculo,qui iuxtà erat, arrepto torre, faciem, puellæ percussit, & omnis mala tentatio cum tentatore simul dissipata effugit. Incipiẽte igitur peccati morbo, medicorum imitanda prudentia est,statim ad remedium recurrendo nec patiendo,vt malum curationis dilatione inualescat.ibid.

De Zozimo Põtifice Maximo.

Sed nequaquàm ita vigilanter sibi cauerat Zozimus Pontifex Maximus,qui diaboli supplantatione in fornicationem semel lapsus, iterum & sæpius lapsurus fuit nisi Antidij Turonensis Episcopi opera se à scelere retraxisset. Antidius quip

Universidad de Navarra

pe cum fortè (qua nocte id commissum est) multitudinem dæmonum conspiceret, inter se iactantium de illis hominibus, quos captiosa inductione in laqueos mortis impegerant, & vnum præ cæteris gloriantem audiret, quòd Zozimũ Papam annos à se septem solicitatum, tandem cum virgine quadam coire fecisset, euestigio visa auditáque ad Zozimum defert, & ille pro breui voluptate æterni supplicij metu exterritus, pœnitentiam egit, multóque deinde vixit circũspectius, nullam prorsus cum fœminis consuetudinem sibi indulgens, sed potius declinans, quantum poterat, etiam conspectum earum. Huius exemplo & qui stat, caueat ne cadat: & qui ceciderit, pœnitendo resurgat, ita vt ne rursum corruat. nã crebrius corruendo, languescere resurgendi potestatem, ac debilitari necesse est.

De Andrea Fundensi Episcopo.

Pari ac penè eadem Iudæi eiusdam visione, ob quã et ipse (vt Gregorius in dialogo ait) ad baptismum venit, seruatus est Andreas Fundanæ vrbis Episcopus: qui cùm Sanctimonialem quandam fœminam secum cohabitare, suæ illiúsque cõtinentiæ nimium confidens pèrmisisset, tandam dæmonis instigatione stimulatus, concupiscere quod semper abominatus fuerat, cœpit, ac die quadã ludens, palma tãtummodo tergum fœminę leuiter distrinxit: cæterum vbi audiuit hac ipsa de re diabolum fuisse iactatum, non solùm Monialem ipsam, sed omnes prorsus fœminas, quæ sibi in Episcopio famulabantur, expulit, atque abegit: & illa fœdæ cogitationis tentatio cum ipsis pariter eliminata prurire desiit. Vide, hominis quãuis sancto incauta conuersatio quãtùm obfutura fuit, nisi Domini erga ipsum pietate inimici insidiæ quam primùm patuissent. ibid.

De Eadmundo Cantuar. Archiepisc.

Eadmundus Cantuariensis

Archiepiscopus, cùm ad multam noctem peruigil iam tandem somno surrepente supinus decubaret, ita graue pondus impositum sibi sensit, vt experrectus mouere se omnino non posset: manum leuare voluit ad signandum se signo Crucis, & impedit° est: excutere se totis viribus conatus, plus grauitatis addi sibi cognouit, atque adeò vt vix iam sufficeret sustinere. Vbi autem spiritum ipsum, vt se dimitteret, per Christi sanguinem adiurasset, statim dimissus assurrexit, & ab eodem, à quo dimittebatur, didicit, nullum adiurationis genus magis timori esse dæmonis. ibid.

De Nicolao quodam.

Illam quoque efficacissimam contra tentationes precationem esse credimus, qua vsus Nicolaus quidam in Sancti Patricij specum apud Scotiam ad Purgatorij (vt aiunt) loca descendens, tanta ac tam varia dæmonum tentamenta, tot fraudes, tot iras, tot terrores vnus superauit. Nam quoties ad Dominum conuersus dixit, Domine Iesu Christe fili Dei viui miserere peccatoris, toties ab insidiis liber euasit Breuis quidem oratio, sed permultæ virtutis, si fideliter, si ardenter, si humiliter exprimatur. ibid.

De Sara.

Sara in partibus Thebaidis Abbatissa, cùm cogitationes eius ad libidinem incitare soleret diabolicæ malignitatis suggestio, nunquam, vt recederet tentatio, orauerat, sed vt & illa assiduè oppugnaret, & ipsa semper vinceret. In hoc carnalis lasciuiæ bello per annos tredecim fortiter contendit: sed tandem aliquãtò acrius impugnata, quàm vt sustinere posset, clamauit ad Dominum Iesum Christum, & superauit inimicum: ita vt oranti apparens dæmon diceret, Vicisti me Sara, vicisti. at illa nihil sibi ex hoc laudis vendicans, Non ego, inquit, vici te, sed Dominus meus Iesus. Hinc discamus, si quando vehemẽtior tentatio ingrue-

rit, orare solicitus, & quoties vicerimus, victoriæ gloriã Deo, non nobis tribuere. ibid.

De Theodora Alexandrina.

Theodora Alexandrina semel tantùm commißi adulterij conscia, se iam indignã maritali toro iudicarat, & viro relicto, in Monachorum cœtu nulli, quòd fœmina esset, cognita, sub nomine Theodori latens, commanebat, in multa vitæ austeritate Deo seruiens, ac peccatum suum lugens. Cæterùm diabolus, vt illam maiori tristitia oppressam ad desperationem impelleret, ei apparens, adulterij crimen exprobrauit, frustráq; illam fatigari dixit, eo quòd tam grande delictum veniam promereri non posset. Ipsa verò nequaquam de misericordia Dei diffidens, cùm se cruce signasset, tam manifesti mendacij assertorem euanescere, vt fumum coëgit. ibid.

De eadem.

Rursum ille sumpta mariti eius forma, blanditijs, assentationibúsque ipsam allicere cœpit, impensiùs orans, vel potiùs vrgens, vt domum rediret: & cùm nec sic doli succeßissent, ferocium eam belluarum imaginibus, vt à monasterio discederet, terrere conatus est. sed & hoc incassum: Theodora enim iam supra firmam petram fundata, tum ad ventorum, tum ad fluminum impetum immobilis, Deo humiliter supplicando, talem quoque visionem repulit, receßit, in nihilum redegit. ibidem.

De eadem.

Attamen inquieta, & infesta malignitate veterator diabolus, ne quid adhuc fraudis genus inexpertum dimitteret, multo stipatus comitatu, ac maiestatem quandam præferens, ad illam venit: & cùm ab omnibus, qui circa eũ erãt, plurimùm honoraretur, ipsam quoque, vt se adoraret iußit: nolentẽ verò, & quòd vnus Deus adorãdus erat, dicentẽ, flagellis verberauit: cùmq; illa ne verberibus quidem cederet: ipse fremens, & indignans, abyt patientia victus fœminæ, constantiáque superatus. ibidem.

De eadem.

Postremò vt saltem vel ad auaritiæ vel ad gulæ vitium incautam traheret, hîc auri massam, illic canistrum varijs dapibus plenum ei apparere fecit: illa autem præsentißimi contra omnia tẽtamenta remedij memor, crucem designauit, & diaboli laqueus dißipatus est: tantúmque in eam profecit malignus, vt quò magis illam tentauerit, eo plus sibi confusionis compararit, toties victus, nunquam victor. Igitur quæ semel corruerat, ita se erexit, vt nullo deinde aduersarij conatu euerti vnquam potuerit: ob quod quãtũ receperit mercedis, inde coniectari libet, quòd qua die vita decesserat, in visu Abbati apparuit, ad cælestem thalamum gloriosè sublata, tantóque splẽdoris fulgore radians, vt perstringeret oculos intuentis. ibidem

De Pelagia Antiochena.

Pelagiam Antiochenam & diuitijs & genere & impudicitia quondam nobilem fœminam fuisse accepimus: & (quod peius est) in idololatriæ errore natam, atque adultam: sed postquam ad Christum fuit cõuersa, pauperem, humilem, pudicã, & omni inter fideles probitate præstantẽ. hanc ergo conuersionis suæ initio Mammonæ spiritus ad pristinas reuocare sordes tali versutiloquio tentauit, noctu illam adiens, Opes, inquit, quibus affluis, ò Pelagia, dij patrij, quorum ego nuntius sum, tibi concessere, & tu nunc illis relictis, nescio quem Christum sequeris: illos tamen & crimen tibi remittere, si ad eorũ cultum redieris, & hoc insuper polliceri crede, tantum priori opum beneficio addituros, quantò magis ipsa nequeas optare. Facilè deprehẽdit dolos mulier, quæ iam veras diuitias Christum esse nouerat, & cùm Crucis in pectore signum dexteræ

manus ductu impreßisset, sufflauit in suasorem impietatis, & tam facilè abegit, quàm solet puluerem ventus. tantique illius promissa fecit, vt continuò ea etiam, quæ habebat, cũcta indigentibus erogaret: & quoniam Deo, non mammonæ seruuit, cælestes æternásque diuitias poßidere meruit. ibidem.

De Iuliana Virgine.

Iulianæ Virgini iam pœnis pro Christi nomine affectæ, & tantùm coronam martyrij in carcere expectante Belial diabolus formam Angeli fidelis gerens, apparuisse fertur, atque dixisse, Christum iubere, vt illa potius Dijs gentilium sacrificaret, quàm vt cruciatibus deficeret. Obstupuit Iuliana tali nuntio, & dubitans qui nam esset, à Deo sibi certius indicari postulauit. mox Diuinitus inspirata, manu illum apprehendens, vinculis constrinxit, verberibúsque affecit, volente Domino, vt scelestus Belial ab eadem, cui dissuadere ausus fuerat suppliciorum pro Christo patientiam, supplicia ipse perferret. ibidem.

De Margarita virgine.

Margaritam etiam virginem post tormenta carceri mancipatam terribilis Draco latè patenti faucium hiatu ferociter inuadens, deglutierat: verùm vbi illa signum crucis edidisset, draco crepuisse visus est, quáq; crepuerat, virginem viuam sanámque euomuisse, sicuti euomitus à pisce Ionas Propheta legitur. ibidem.

De eadem.

Iterum eidem in specie humana apparens imponere tentauit: at illa per capillos apprehensum humi allisit: & cùm quæreret, cur tam infensus infestúsque Christi cultoribus esset, accepit, cacodæmonum proprium ac peculiare esse, inuidiæ odiique facibus accendi erga eos, qui saluandi sunt, cùm pati non poßint, vt ad cælum, vnde ipsi deiecti sunt, homines trahantur. Semper ergo eos aliquid tentare, moliri, struere necesse

est, quò iustitiæ opera impediãt, & innocentes ad peccandum prouocẽt. Sub hæc dimissus euanuit, illa ad martyrij palmam gaudens peruenit, tam diaboli victrix, quàm tyranni. ibidem.

De Iustina virgine.

Sed ne Iustinam virginem Cypriani magi laruæ præstigiæq; peruertere valuerunt. Cũ enim Aglaius iuuenis eam arderet, & ipsa iam Christo iuncta mortalis hominis nuptias respueret, dæmonem misit Cyprianus, qui illius animum ad libidinem occulta carnis titillatione illiceret. Re autem infecta, reuersum, cur eam mouere nequierit, interrogat, & audiuit signo crucis perterritum effugisse: alium ergo misit nequiorem illo, qui virginalem formã habitúmque indutus, ad Iustinam accedens, etiam se sicuti illa virginitatem Deo vouisse dixit: proinde petens vt si non in societatem, saltem in seruitium reciperetur. Susceptus igitur, post dies aliquot captata occasione, suspenso tristique vultu dubitare se ait, ne virginitatem seruando, offendant potius Deũ, quàm aliquid promereantur. Scriptum enim esse, Crescite et multiplicamini, & replete terram, indéque in veteri Testamento sanctißimas mulieres, Deóque gratas viros habuisse, & filios genuisse. Cœperat Iustinæ animus iam nutare, ac de virginitatis proposito penè ambigere: mox seipsam reprehendens, Christi nomine inuocato, cruce se signauit, & dæmon crucis virtutem non sustinens, effugit. ibidem.

De eadem.

Iterum idem Aglaij formã aßimulatus, noctu ad eam venit, & nunc blandus, nunc minax, vt voto suo consentiret petijt. Sed eodem, quo prius, modo ab ea fugatus abijt. deinde Iustina virgo alijs atque alijs partim diaboli, partim ipsius magi commentis tẽtata, cùm semper cruce se muniret, semper superior euasit. Quam rem vidẽs Cyprianus, & ipse Christo credidit, & vnà cum illa marty-

rium subijt: fidelis factus, quia fidelibus dæmonia præualere non posse liquidò cognouit. ibidem.

De Euphraxia virgine.

Euphraxia Romana virgo nobilis genere, sed stirpis nobilitatem mentis humilitate superãs, cùm se in monasterio apud Thebaidem inclusisset, nec seruilia quidem opera à se aliena putabat: inuidens verò virtuti eius diabolus, vt persequutionis molestia propositum turbaret. ad hauriendã aquam se inclinantẽ in puteum præcipitauit: sed ipsa inde sana à sororibus educta, crebrius aquatũ ire cœpit. Iterũ illam, dum coquinam faceret, in bullientem ollam impinxit: sed ipsa bullore illo humefacta, non læsa, nihilo segnius cœptũ opus peregit. Rursum ligna findentem in latus impulit, & ipsa obliquato securis ictu pedem sauciauit, breui tamen curata, multò promptior ad subeundos labores accessit: denique nullis infestationibus, nulla inimici iniuria ab humilitatis officio auocari potuit. Ita victis tandem superatisque tentationibus etiam miraculorum operatione insignis fuit. ibidem.

DE MORTIS MEditatione, Nostrorum exempla.

De Ioanne Eleemosynario.

Ioannes eleemosynarius Patriarcha Alexãdrinus, ne quãdo mortis meditationem aliqua obliuionis dormitatione intermitteret, dum sibi ædificaretur sepulchrum, imperfectũ relinqui iussit. Porrò ministris suis iniunxit, ne vlla die præterirent, se de illo perficiendo interpellare. Itaque nunquam ab eo mortis memoria recedente, sic vitam instituit, vt morte multò beatior factus sit, quã si semper hic viuereret, et omnib? affluereret vitæ huius voluptatibus omnibúsq; delicijs. Terrena enim cælestibus conferri non possunt, etiam si

æterna essent. Marul. lib. 5.

De Philonorio Galata.

Philonorium quoque Galatã presbyterum tradit Heraclides annos sex in sepulchris habitasse mortuorum, vt semper meminisse posset, se mundo mortuum, & viuere Christo. ibid.

De Syluano Episcopo Nazaretano.

Mortem quotidie meditando, & ea quæ mortem sequutura sunt, in tantum quidem profecere, vt non modò non horrerẽt illam, sed etiam appeterent. Nã vt de Paulo taceamus, qui dissolui cupiebat, & esse cũ Christo, Syluanus Episcopus Nazaretanus, cùm ei diuus Hieronymus in visu apparuisset, & si quid à Deo vellet interrogasset, velle se ex hac vita migrare dixit: & subsequutus est euentus. Pergant nunc nimis anxij vitæ suæ amatores medicamẽtis sustentare sanitatem, morbos depellere, & breuissimi tẽporis spatium totis redimere patrimonijs: inuenti sunt Dei serui, qui mori optarẽt, vt in æternum viuere citius inciperent. ibidem.

De Columbano Monacho.

Columbanus Monachus Columbani Abbatis discipulus, cùm febri grauiter æstuaret, & ei vir apparuisset dicens, preces & lachrymas Abbatis ipsi obstare, ne mori posset, continuò rogauit Abbatem, vt ab oratione cessando, permitteret, se de corporis carcere quàmprimùm educi, eo quòd ad æternam beatitudinem se transferendũ minimè dubitaret. statim ergo sumpto animæ viatico, relictáque carnis sarcina, cælum petijt quò iam diu petere percupierat. O verè preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius! nisi enim pretiosa esset, haud ita expeteretur. ibidem.

De Hilarione Abbate.

Idcircò sanè nec Hilarionem Abbatem latrones cum armis circũsistentes terrere potuerũt:

Universidad de Deusto

cùmque intrepidum permanere mirarentur, nunquid necem non timeret, interrogãt. Necem non timere respondit, qui paratus est mori. Quis quæso militum ducúmue seculi tam præstanti animo vnquam fuit, vt in tanto vitæ periculo non contremuisset? vnus miles Christi nudus, & inermis inter tot armatos nihil expauit, plus quàm ipsi audaciæ ad mortem patiendã, quàm illis ad inferẽdã fuit. quem enim interimere, vel saltem spoliare decreuerãt, stupore correpti illæsum reliquêre. ibid.

De Martyribus.

Sic & multos Martyrum vitæ huius finem per supplicia quæsisse constat, dum vitam, quæ finem non habet, concupiscerent: vltrò se persecutoribus offerebant, cùm latere possent, magisque dimitti, quàm occidi metuebant. ibidem.

De Praxede virgine.

Praxedis virgo Romana, cùm facultates suas pauperum fecisset, ad illum festinans, cuius amore hoc egerat, orauit vitæ istius finem, & impetrauit. Mira res, robustissimis viris terrori mors est, virgini iuuenculæ desiderio fuit. ibid.

DE HORA MORTIS, Nostrorum exempla.

De Paulo primo Eremita

Paulum primũ Eremitam Antonius Abbas orantis gestu expirasse offendit, nec dum exanimem putabat, donec nullos (vt solebat) gemitus, nulla suspiria ipsum emittere deprehendit. indoluitque vehementer, quòd se relicto mortem obisset. Nec immeritò cum illo decedere cõcupiuit, cuius etiam defuncti corpus Deum adorare cõspexit, imò cuius animam ab Angelis in cælum ferri viderat. ibid.

De Antonio Abbate.

Ipse verò Antonius, cùm diem, qua de terra cessurus erat multò antè prædixisset, eadem defunctus est. Sed dum adhuc

æger spiraret, Monachis vitæ monita dedit, insupérque inũxit, vt cùm se humassent, curarent ne qua ibi humationis vestigia apparerent: & locum nemini vnquam indicarent, ne ab hominibus honoraretur: volens & in morte humilitatem seruare, quam apprimè in vita coluerat. ibidem.

De Hilarione Abbate.

Hilarion Abbas ad Hesitiũ Monachum testamenti vice epistolam scripsit, omnes diuitias suas ei relinquens, quæ erant Euangelium, tunica sacca, cuculla, palliolum: & cùm plerique religiosi viri ad ægrotantem conuenissent, omnes adiurauit, vt ne puncto quidem temporis post mortem reseruaretur. Sed statim se terra operirent, sicut vestitus erat cum tunica cilicina, & cuculla & sagulo rustico. Quúmque extremo anhelitu laboraret, apertis oculis loquebatur, Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta prope annis seruiuisti Christo, & mortem times? in hæc verba beatum exhalauit spiritum, statimque terra obrutum antè vrbi sepultum, quàm mortuũ nuntiauerunt. ibid.

De Ioanne Ægyptio Anachoreta.

Ioannes Ægyptius Anachoreta præter vitæ sanctitatem futurorũ etiam vaticiniis clarus, cùm diem postremum sibi imminere cerneret, toto triduo neminem ad se admisit, vt Deum (ad quem gaudens proficiscebatur) liberius expeditiúsque contemplari posset. Triduo verò elapso, complicatis genibus orando, spiritum emisit. Qui cùm tali gestu talique humilitate egrediuntur, eos ego misericordiam iam adeptos arbitror. non enim tanta gratia præuenirentur, nisi maior esset sequutura. ibidem.

De Onophrio.

Onophrio in vastissima Ægypti solitudine moranti, & nulli hominum cognito, cõsum-

ptis indumentis nudo, cùm iam vita excessurus esset, contigit Paphnutium Abbatem videre, à quo interrogatus, nomen vitámque exposuit, & ipsum à Deo sibi destinatum, à quo postera die sepeliendus esset, dixit. Cùm ergo animã (vt prædixerat) exhalasset, vidit eam Paphnutius ab Angelis in cælum tolli, cuius corpusculum suauissimo odore diuinitùs perfusum sepelire volens, instrumentum, quo terram cauaret, non habuit. Et ecce, occurrunt duo leones, tellurémque vnguibus scalpentes, fossam hominis capacem fecêre. Sicque ipse pallio suo inuolutum, atque ibi depositum humo, quam bestiæ egesserant, operuit. Eo vix sepulto, cella corruit, & palma quæ iuxta erat, radicitus auulsa, procubuit, quasi dedignantes aliorum vsui seruire, quæ tam exactæ sanctitatis viro seruissent. cuius ergo tam magnifica in terris mors fuit, quam gloriosa vita est in cælo? ibid.

De diuo Hieronymo.

Diuus Hieronymus moriturus, humi se collocari iussit, sacóque, quo induebatur, operiri. Tum discipulis conuocatis, eos, vt in Dei seruitio perseueraret, multùm exhortatus est: deinde sacramentum Corporis & Sanguinis in genua erectus, & lachrymis perfusus reuerenter hausit. Mox terram prono ore petens, dispãsis manibus, dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundũ verbũ tuum in pace: quia viderunt oculi mei Salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad reuelationem Gẽtium, & gloriam plebis tuæ Israel. Post hæc lux multa circa eum fulsit. Quidam etiã Angelos vidisse se testabantur, vocémque audisse illum ad patriam cælestem inuitantium, & ipsius respondentis, quòd libẽter cupidéque veniret. Mox discedente luce, anima quoque à corpore discessit. Exanime corpus diuinum spirare odorem cœpit omnia vnguenta suauitate vincentem. Eadem hora diuersis in locis visionibus quorundam ad quantam ille beatitudinem translatus sit, liquidò patuit. Nos eius humilitatem in moriendo imitemur, quandoquidem tantam in viuendo sanctitatem assequi indigni sumus. ibid.

De Eusebio Cremonensi.

Eusebius Cremonensis Hieronymi discipulus, cùm post illum mortem obiret, eisdem humiliationibus vsus est. Cæterùm qua hora migraturus erat, repentè caput erigens, oculis pauitantibus circunspicere, & quasi in furorẽ versus clamitare, Nõ faciam, nõ faciam, mentiris, mentiris: deinde ad terram procliuus, faciem abscõdere, intermiscere, ac quantum poterat, vociferari, Adiuuate me fratres, adiuuate me, ne peream: illi verò partim expauidi, partim mœrore concussi, rogitabant, Quid habes pater? quid hæc te exagitat solicitudo? quid times? An, inquit, non videtis dæmonum cateruã hìc in meã perniciem congregatam? ille qui præ cæteris horrendus apparet, compellit me ad blasphemias hæresúmque prauitatem: & tam dirus est, vt contrà tueri non ausim. Tunc fratrum supplicationibus dæmones in fugam versi sunt, & beatus Hieronymus apparens, ipsum ne pateret, hortatus est. eius itaque conspectu Eusebius recreatus, in Domino obdormiuit. Nemo incompto aliquo deformíq; decedentium gestu animas eorum iudicet, si vir tam sanctus ita se in morte habuit, vt de illo dubitaretur, nisi quod contigerat, palàm factum fuisset. ibid.

De Ambrosio Episcopo.

Ambrosius Episcopus tum doctrina, tum sanctitate notus, cùm animam esset actúrus, communione sacra sumpta, expansis latè brachiis demissáque ceruice tacitus intra se orauit, atq; hoc gestu habitúque, illi decedere libuit, vt talis Domino occurreret, qualis ipse pro nobis pependerat in cruce. ibid.

De Augustino Hipponẽsi Episcopo.

Et ipse inter quatuor Ecclesiæ

Universidad de Deusto Biblioteca

candelabra numerandus Augustinus, cùm febri correptus vitæ sibi finem imminere conspiceret, Psalmos, qui pœnitentiales dicuntur, conscribi, & ante se legendos parieti affigi iussit: eos dum legeret, lachrymas vbertim fudisse dicitur: neminem ad se accedere passus est, præter medicum & Discophorum puerum, ne variis multorum interpellationibus ab earum rerum contemplatione auocaretur, ad quas perpetuò fruendas iam se profecturum sperabat. Tandem Communione venerabiliter percepta, spiritum reddidit: sed prius & hoc memoratur dixisse, neminem, quanuis sanctũ & perfectum virũ, decedere debere, nisi antè confessus communicatúsq; fuisset. Nolle enim confiteri arrogantis esse: nolle communicare, inobedientis. Si autem Augustinus pœnitẽtiæ precationes cũ fletu sibi peragendas putauit, quid nos facere oporteat, qui in nullo ad eum comparandi sumus? discamus tamen nunc maximè pœnitendum dolendúmque esse, cùm periculum est, ne dolere incipiamus in eternum. ibidem.

De Benedicto Abbate.

Benedictus Abbas diem suũ postremum præcognouit, & quibus hoc indicauerat, ne cui antequàm euenisset, dicerent, iniunxit. certa autem die ante euentum aperiri tumulum iussit, & febricitare cœpit: deinde ingrauescente morbo, in Oratorii delatus, sublatis manibus, Deo se commendans, inter discipulorum manus expirauit, ea ipsa, qua prædixerat die. Quidam in visu viderunt viam in sublime tendentem, panno stratam, multisq; lampadibus quasi stellis fulgentem, & responsum accepere, patri Benedicto, perquam ad cælum ascenderet, paratam. Qualis, quæso, gloria illa, ad quam fruendam pergebat, si talis via, quam calcabat? ibidem.

De Probo Reatinæ vrbis Episcopo.

Ad Probum Reatinæ vrbis

Episcopum puer, qui ægrotanti assidebat, vidit duos viros ingredi candidis vestibus indutos, radiantique facie lucentes: & mente consternatus, qui essent, clamare magis, quàm interrogare cœpit, donec ab Episcopo Probo sedatus, audiuit illos Iuuenalem & Eleutherium esse pro Christi nomine olim supplicia necémque passos. At neque hoc ferre valens, è cella prosiliit, & rem aliis detulit: qui mox vnà cum ipso ad cubiculum accedentes, offenderũt Episcopum iam expirasse, aliúmq; ibi adesse neminem. Nec dubitarunt quin ille cum ijsdem, quos puer viderat, ad cælestem beatitudinem possidendam abijsset. dignus vtique martyrũ consortio, qui vehementis languoris molestias vehementi animo pertulisset. ibid.

De Stephano Abbate.

Stephanum quoque Abbatẽ sanctimoniæ singularis virũ ij, qui ad ægrotantem conuenerant, præ timore fugiẽtes relinquere: pars Angelos ad eũ intrantes viderant, pars nihil viderant, & omnes vnus idémque occupauit pauor. Quum sedato timore redijssent, defunctum inuenere, quem viuum adhuc dimiserãt. Quàm putas gloriosi Angelorum cœtus hominis animam excepere, cùm eorum aduẽtum illi etiam, qui non viderant, sustinere nequiuerint. ibid.

De Antonio Monacho.

Antonio monacho, qui Romæ in Gregoriano monasterio vitam piè sanctéque degebat, die quodam dictum est. Paratus esto: & quia Dominus iubet, migra. qui cùm sibi viatica ad migrandum deesse respondisset, audiuit, si de peccatis ambigeret, iam dimissa esse sciret. Multùm tamen ille de hac re dubitare cœpit, & sequenti nocte cùm se sopori dedisset, eodem Oraculo solicitatus, dubitare desiit. Exinde die quinto febris repentino æstuans ardore, animam reddidit exactori eius Deo tam feliciter, quàm libenter. Et quis

enim adeò mortis pauidus est, vt inuictus hinc cessisset, dum sic euocaretur? ibidem.

De Vrsino Nursiæ presbytero.

Nursiæ presbyter Vrsinus, cùm animam ageret, prorupit in verba salutationis, quasi qui principes viros ad se accedere cõspiceret, & aduẽtu eorũ admodũ gauderet. Optatò, inquit, aduenistis domini mei: & gratias ago, quòd præsentia vestra me dignamini, qui vester seruus sum. Deinde tanquam ab ipsis inuitatus, Venio, venio, respondebat. Tunc quid videret, vel quocum loqueretur, ab iis, qui aderant, interrogatus, Nũquid, ait, non conspicitis hic Petrum & Paulũ Apostolos, qui modò intrarunt? Et cùm rursum ad illos conuersus, iamiam se venire diceret, relicto corpore abiit. hoc ferè iis contigit, qui piè castéque vixere, vt decessuri Sanctos videant, ne in morte mortis æternæ pericula formident, & dum tali spectaculo consolantur, vltimæ anxietudinis dolorem non sentiant. ibid.

De seruulo quodam paralytico.

Seruulus paralyticus, cùm extremos iam anhelitus duceret, & quomodo poterat, vnà cum iis, quos circa se conuocauerat, Psalmos concineret, mox, Tacete, tacete, inquit, nunquid non auditis, quanti, & quàm dulces cantus resonant in cælo? Et dum intentos in cælum oculos tacitus tenet, vita elapsus est: corpus verò donec sepulturæ mandatum est, miro odore fragrauit. ibid.

De beato Martino.

Beatus Martinus Turonensis Episcopus obitum suum multò antè prædixit, quo iam proximo mala valetudine grauiter affici cœpit. Tunc discipulis flentibus, Nec mori, inquit, timeo, quia pij Domini sum seruus: nec viuere recuso, si vobis adhuc necessarius sum. languens autem & morbo tantùm non consumptus, cubabat in cilicio, & cinere: neque alio in statu Christianum mori oportere aiebat. Sublatis in cælum manibus indesinenter precabatur: diabolũ vidit: sed cùm expirasset, cum Angelis abijt, quorum cantus in sublime euolantium quidam sentire meruerunt. tam ergo gloriosè ad immortalitatem ascendit, quàm humiliter mortalitatem finiuit. ibidem.

De Cudberto.

Cudbertus (vt Beda scribit) primò Monachus, deinde Episcopus obitum suum in proximo futurum sibi diuinitùs pronuntiatũ, Herberto presbytero, quẽ charissimum habebat, indicauit: & ille ne in morte quidem talem amicum deserere cupiẽs, obsecrare cœpit, vti se quoque ea in re comitem assumeret. Tũc Episcopus Deum aliquandiu precatus, Herberte, inquit, Dominus noster te voti tui compotem facit: proinde præpara te mecum vnà decessurus. itaque anno pòst, quanuis locorum interuallo diuersi manerent, cùm die, qua prædictũ erat, decessissent, iunctis tamen spiritibus cælum simul petiere. charitas grandis, commori amico desiderantis, sed maior felicitas, quod desiderauerat impetrãtis. ibid.

De Venerabili Beda.

Venerabilis Beda presbyter Domino reuelante præcognouit die tandem quinquagesimo se à corporis vinculis exoluẽdum. Itaque festo Dominicæ ascẽsionis dum in Ecclesia cum cæteris vesperas celebraret, nulla ægritudine affectus, atque etiã stans, in hemicyclo cubitísque innixus, finitis vesperis expirauit, mirabilísque odoris fragrãtia subsequuta est, vt plane quo die in cælum Christus ascenderat, eodem & seruum Christi relicto in terra corpore ascendisse nemo dubitaret. ibid.

De Cassio Narniensi Episcopo.

Cassius Narniensis Episcopus per visum cuiusdam presbyteri accepit, se natalitio Petri & Pauli Apostolorum die terris

migraturum, & anno tandem septimo die, quo prædictum fuerat, cùm missale sacrificiũ peregisset, mortuus est: atque inde viuere nũquam moriturus cœpit. Nosse autem mortis tempus meruit, quia omni tempore mori paratus fuit, quotidie et Deo sacram offerens hostiã, & multam pauperibus eleemosynam. ibidem.

De Paulino Nolano Episcopo.

Paulini etiam Nolani Episcopi, vt vita, ita vitæ exitus mirabilis fuit: cubiculum, in quo æger iacebat, ipso expirante, intremuit, & eos, qui aderant, repentino pauore obstupefecit. Si viri sanctitatem cosideres, ideo in morte eius concussum pauimentum dices, vt beatorum spirituum multitudinem ad suscipiendã defuncti animã eò conuenisse testaretur: dignus quippe tali tum comitatu fuit, qui dum viueret, omnia, quæ habere poterat, indigẽtibus dabat: et cùm res defecissent, seipsum dedit, vicaria seruitute redimens viduæ filium. Merito nũc cum Angelis gaudet, qui sic homines dilexit. ibidem.

De Germano Parisiensi Episcopo.

Germanus Parisiensis Episcopus supra lectulum suũ inscripserat, Quinto Calẽdas Iunias. Nemo inscriptionis causam nosse potuit, donec eodem, qui notatus fuerat, die ipsum vita defungi contigit. Quid hoc est, nisi quia digni sunt diem transitus sui non ignorare, qui semper parati sunt transire? ibid.

De Amatore Antisiodorensi Episcopo.

Amator Antisiodorensis Episcopus, qui etiam in matrimonio virginitatem seruare pomonio virginitatem seruare pomonio virginitatem seruare pom

Universidad de Deusto Biblioteca

tæ die ne intestatus obiret, hæc se fratribus suis legare dixit, charitatem, humilitatem, voluntariam paupertatem. O beatum virum, qui cùm hinc decederet, nihil habuit, quod suis relinqueret, præter exẽpla virtutum: quarum qui hæres fuerit, cælestis quoque regni hæres erit. ibid.

De Antonio Hispano.

Antonio Hispano, cuius corpus Patauij in veneratione est, cùm aduersa valetudine oppressus iaceret, Christus apparuit, cuius conspectu lætus, atque intimis exultauit præcordiis, hymnum illum, cuius initium est, O gloriosa domina, excelsa super sydera, voce qua potuit, decantauit, simúlque hymnũ & vitam hanc finiuit, illam vitam feliciter inchoans, quæ finem non habet. ibid.

De Ludouico Gallorum Rege.

Quintus Ludouicus Gallorũ Rex cum ingentibus copiis ad recuperandam Hierusalem profectus, partéque iam regionis illius occupata, febris morbo interceptus nequiuit præstare quod promiserat. dum autem ægrotaret, non in sericis, sed in cinere iacere voluit, & extensis ad instar Crucifixi manibus animam efflauit. Sic humiliatus regnum deseruit terrenum, & cum Christo regnare cœpit in cælo. ibid.

De Maria Magdalena.

Maria Magdalena domini Iesu Apostola, cùm diem dormitionis suæ iam proximũ præsciuisset, nolens sine Eucharistię sacramento decedere, à Maximino Episcopo illud accepit, & ante altare humiliter prostrata, spiritum tradidit, corpusculum odore perquam suaui fragrauit. Anima angelis in cælum sublata pro laboribus, quos in terra sustinuerat, perpetuæ felicitatis quiete gaudere cœpit: & quæ quondam lachrymis lauerat pedes Domini, nũc in conspectu eius exultat sine fine. ibidem.

De

De Martha Mariæ sorore.

Martha deinde soror Mariæ reuelato sibi vitæ fine, annum febris ignibus æstuauit: cũ autem decessura esset, lampades accendi iussit, & astantibus, vt vigilarent, inuunxit. Nocte prope media ventus irruens luminaria extinxit: dæmones apparuerunt: sed cùm illa orasset, soror è cælo delapsa, assuit, malignos spiritus in fugam vertit, ipsam consolata est, lucernas accendit. Tũc & Christus ei præsto fuit & vt secum veniret hortatus est. Ipsa igitur tã opta to itineri se accingens, efferri se sub dio fecit, cinereque conspergi, & crucem sanctam iuxtà apponi, atque Euangelium Dominicæ passionis à Luca scriptum legi. Postremò in manus Domini spiritum suum commendans, obijt. Itaque non minus, cùm ad Christum proficisceretur, solicita erat, quã olim cùm ei ministraret, nisi quod magis gauderet æternitatis hospitio, quã temporalitatis. ibidẽ.

De Maria Ægyptiaca.

Mariæ Ægyptiacæ vasta in eremo degenti, & ferarum tãtùm socia, ne in fine vitæ sine salutari viatico decederet, Zozimas Abbas occurrit. Qui dato ei Trinitatis pane, cùm postea defunctam reperisset, reperit simul in puluere scriptum, Sepeli Zozima Mariæ corpus, & terram terra tege, ac pro me ora. Tunc leo ad cauandam sepulturam operam præstitit, Zozimas ad cadauer condendum. Sic ergo & deserti bestiæ deserti habitatoribus inseruiunt, & in solitudine Christum quærẽtibus neque sacra deest communio, cùm oportet, neque sepultura. ibidem.

De Salaberga.

Salaberga apud Lugdunum Abbatissa cùm diem clausura esset extremum, iucundissima visione, ne mortem timeret, roboratur. Vidit enim se ad locũ immẽsi fulgoris adductam, & in eo pratum multiplici florum pictura decoratum, mirabilique

odoris suauitate fragrans, & id sibi præparatum audiuit: dormienti quoque Zona, qua cingebatur, soluta, neque vsquàm comparens, ipsam à corpore soluendã portendit. Nam & vox audita est, quæ diceret, die tandem ducentesima hoc euentum: dehinc sancta & prudens fœmina, vt veniens Dominus vigilantem inueniret, Psalmos legere non cessauit, nisi cùm etiã viuere cessasset, ea quidem visione confidentior facta, sed non & segnior. Neque enim tale quid apparet, vt certiore præmij expectatione operationis ardor in nobis languescat, sed vt accendatur. ibidem.

De Trasilla.

Trasillæ beati doctoris ac Põtificis sorori in visu sanctus Felix Pontifex apparuit, qui sedẽ illi ostendens multa luce nitentem: Veni, inquit, te enim hæc sedes manet. postera die Trasilla febri implicata ægrotauit. idãque in ipsius morbi accessione vehementer anxiabatur, cùm Christum vidit, atque ad eos, qui aderant, Facessite hinc, ait, abite: ecce Dominus Iesus venit. Itaque ad eum, quem videbat, toto animi affectu anhelans, expirauit. Odoris insequuta suauitas fidem fecit, verè ibi affuisse Iesum, & illam vnà cũ ipso abijsse. ibidem.

De Musa virgine.

Musa tenella adhuc & nondum adultæ ætatis virgo virginem Deiparam cum multarum virginum glorioso comitatu ad se venisse conspexit, & admonita est, ne quid vltrà puellari more leuiter, siue inconsideratè ageret, die tricesimo inter ipsas, quas videbat virgines, ad eadem cæli regna feliciter admittenda. His visis vitam mutauit, quintóque & vigesimo die in febrim incidit, trigesimo verò eãdem beatam Virginem ceruens, dicere cœpit, Venio domina mea, venio: & in hæc verba de corporis carcere exijt. Quomodo hanc vllã mortis molestiam sensisse rear, quæ se non mori, sed venire dixit? ibidem.

DE PVRGATORIO.

IN ea epistola, quam Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus de signis diui Hieronymi post obitum factis ad Augustinũ scribit, legimus per idem tempus hæresim quandam insurrexisse, quæ diceret defunctorum animas nec beatitudinem, nec pœnam sentire, donec communis Resurrectionis die suis iungãtur corporibus: hoc cum ipsis vna messura, quod simul seminarunt. Purgatorium quoque post mortem nullum esse. Cúmque falsitatis huius pestifera malignitas inualescere cœpisset, iámque altius multorum animis hæreret, quàm vt verbis euelli posset, Hieronymus Eusebio apparens iussit, saccum suũ, quo pro indumento vsus fuerat, trium virorũ cadaueribus, qui ea nocte obierant, imponi, vt vitæ redditi doceant, quanto errore tenerẽtur qui talia assererẽt. Resuscitati ergo coram omnibus qui ad ecclesiam, vt hoc miraculum viderẽt, magno cœtu conuenerant, confitebantur & beatorum præsentem gloriã & damnatorum pœnam, & eorum, qui minus plenè pœnitentiam peregissent, purgamentum. Per quæ omnia, vt viuis testari possent, à beato Hieronymo se circũductos, & sic ad vitam redire iussos affirmabant. rursum die vigesimo vnà cum Eusebio decessuros, & cum eodem, si modò æqualem interim delictis pœnitentiam egerint, vitæ æternæ præmia consequuturos. Itaque tanto támque euidẽti miraculo explosa & exhibilata hæreticorum sententia est: atque illi, qui paulò antè subuersi fuerant, statim resipiscentes catholicam amplexi sunt fidem, cùm præsertim eos, qui à morte surrexerant, pœnarum recordatione indesinenter, atque inconsolabiliter flere lamentarique viderent: ac tandem quæ prædixerãt die Eusebio moriẽte, & ipsos iterum mori, vt etiã eiusce rei euentu magis constaret, quàm vera essent ea quæ per illos dicta fuerant. ibidem.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Helia.

Ad hæc Helias quidam in deserto Ægypti solitarius multæ sanctitudinis vir, & quondam beato Hieronymo familiariter vsus, in quiete vidit (sicuti idem Cyrillus testatur) animam cuiusdã episcopi Anconitani, cum ante diuinæ maiestatis tribunal sisteretur, ob vitæ luxũ atque delicias ad æternam pœnam destinari: animã verò Theodosij Senatoris, quòd beatum Hieronymum magno semper honore coluisset, ad purgatorij tormenta deducendam decerni: cúmque diem signasset, quo ista viderat, comperit eodẽ ipsos ambos fuisse defunctos: & credidit vera esse, quæ sibi per somnium apparuerant: Ex hoc præterea liquet, quantum expediat cælestis regni ciues persanctè venerari: cum sæpe contingat, vt ipsis opitulantibus, ij qui ad infernum corruissent, infernum purgatorio commutent, et de futura beatitudine consequenda certi fiant. ibidem.

De Iusto Monacho.

Dum beatus Gregorius Pontifex (vt ipse in Dialogo suo refert) Abbatis adhuc munus obiret, quidam inter Monachos nomine Iustus grauiter ægrotans, & iam proximus morti fratri suo seculari Copioso indicauit, sibi tres aureos nummos esse, quod nemo alius nosset: cũ tamẽ ea res percrebuisset, Abbas indignans iussit, nequis Monachorum Iustũ monasticæ legis violatorem adiret, neue cum eo vllum miscere verbum præsumeret. Id ille per ipsum, qui sibi assistebat, Copiosum fratrẽ rescíens, cõsideraui secum quãtum ea re flagitij commisisset: et vt par erat magis doluit, quòd Deo peccauerat, quàm quod ab hominibus deprehẽsus esset. vbi autem vita delapsus est, corpus eius in sterquilimũ sepelierũt, cum aureis illis, quos reliquerat, dicentes, Pecunia tua tecum sit in perditionem. Hoc clarè ad reliquorum terrorem actum, illud occultè, vt scilicet Pretiosus monasterij præpositus per dies triginta quotidie pro iniustitia Iusti offerret Dominicum sacrificium. Postea tandem Iustus Copioso noctu apparens, Hactenus, inquit, in tormẽtis fui: nũc demum sacra communione percepta, ab his me expeditũ certò scias. Nemo præter Abbatem nouerat, pro quo Pretiosus quotidie rem diuinam faceret: sed vbi visio Copiosi vulgata est, et ipsi palàm fecere, eum iam trigesimum diem esse sacrificiorũ pro Iusto actorum, propterea que illum à purgatorio erutum, cæloque illatum. O quanta hæc missalis hostiæ virtus, & præter hanc quàm prudens pijssimi Abbatis erga suos cura: sic delinquentem puniuit, vt & ipsi prodesset ad salutem, & cæteris ad exemplum. ibidem.

De Decimo Benedicto Pontifice.

Decimus Benedictus Pontifex Maximus cùm mortẽ obijsset, Ioanni Portuensi Episcopo apparens confessus est, se Odilonis Abbatis precibus ab æternæ mortis periculo seruatum. Se autem ideo tunc ei apparuisse, vt ipse eundem Abbatem rogatum iret, ne sibi in flammis ardenti subtraheret auxilium, quod ferre adhuc in corpore viuenti consueuerat. Hoc nuntio sibi allato, Abbas & ille suppliciter pro illo orauit, & omnibus, qui cum ipso erant, Monachis, vt itidem facerent, iniunxit. Haud ita multò post Benedictus totus lucidus, ac refulgens apparuit Eldeberto Monacho, seque à purgatorio ad beatitudinem translatum dixit, Odilone ac Monachis pro se deprecantibus: deinde & ipsi Odiloni, sub eadem forma se ostẽdens gratias egit, eo quòd tam grande beneficium per eum potissimè accepisset. Non frustra igitur pro fidelibus defunctis orat Ecclesia, non incassum solennem pro eis instituit supplicationem, statutáque sacrificia. Quam quidem rem nequaquã faceret, si nullum esset post mortem Purgatorium. ibidem.

De Iuda Machabæo.

Hoc etiam ante Euangelium sub Lege factitatũ esse Machabæorũ historia testatur, de Iudæ

Israelitarum ducis erga eos pietate, qui in bello desiderati fuerant, sic loquens, Fortissimus Iudas collatione facta duodecim milia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificiũ, bene & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. Et quia considerabat, quod ij, qui cum pietate dormitionem acceperãt, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur. Sic soluti vox illa in Psalmo ad Deum est, Misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. ibidem.

DE REVELATIONIBUS infernalium pœnarum, Nostrorum exempla.

De Stacteo Ephesio.

STacteum Ephesium, dum efferretur, ad vitam reuocatum Ioannes Apostolus percunctatus dicitur, quid in alio orbe de illis duobus fratribus suis discipulis viderit, qui sibi aliquandiu religiosè adhærentes, rursum per inconstantiam lubricitatémque descciuerant. Cùm ergo is quantam beatitudinem cum quali infelicitate permutassent, coràm recensuisset, continuò illi ambo omnes diuitias paulò antè repetitas acceptásque (hæ autem erant virgæ in aurum versæ, & lapilli in gemmas, vt is redimerent possessiones quas pro amore Christi distraxisse dolebant) ad pedes Apostoli effudere, multis cum lachrymis, rogantes veniam, ac dicentes omnia se perpeti paratos, tantùm vt sibi pristinam gratiam apud Deum sibi recuperare liceret. Nequaquam tam citò tãtas opes contempsissent, & ad apostolicam reuersi fuissent egestatem, nisi certò cognouissent & omnibus opibus maiorem

esse Paradisi gloriam, & omni egestate angustiorem inferni aerumnam. ibid.

De Macario Alexãdrino.

Macarius Alexandrinus dũ aliquando per Scythioticam solitudinem deambularet, caluariam hominis humi iacentem conspicatus, cœpit per Christum Iesum obsecrare, & interrogare cuias fuisset, dum viueret, quóue nunc in loco animus quõdam habitator suus degeret. grande miraculum, aridum os carnéque & neruis nudũ prorupit in vocem, ac se Gentilem fuisse, proximique vici indigenam respondit: nunc verò in foueam barathri infernalis tam altè retrusum angustiari, quàm procul à terra distet cælum: sed etiam se inferius corruere Iudæos incredulos, & ipsis inferius hæreticos Christianos, qui reuelatam diuinitùs veritatem mendacibus peruertere sententijs moliuntur. Meritò quidem ipsi hæretici & Gentilibus & Iudæis damnabiliores sunt. Nã vtrique illi apertè cum Ecclesia pugnant: hi verò amicitiæ simulatione ex insidiis nocent: & cùm se Christianos nuncupent, nulli Christianos perniciosius lædunt. ibid.

De Eadmundo Cantuariensi Archiepiscopo.

Eadmũdo Cantuariensi Archiepiscopo die quadam in visu apparuisse ferunt latè patentem campum, squalentibúsque aruis vastum, & in eo rustici cuiusdam sola vitæ prauitate non ignobilis exanime corpus ab ingenti coruorum multitudine certatim impeti, distrahique & dilacerari. Deinde compertũ ea ipsa die rusticum illum fuisse vita defunctum. Quid mali, quid iniuriæ vsquã esse potest, quod nequissimi spiritus damnatorum animabus illic in inferno non irrogent, si hîc in cadauera eorum tam auidè debacchantur? ibid.

De Iosaphat Auenir Indorum Regis filio.

Iosaphat Auenir Indorum Regis filius Barlaam Eremitæ

industria & disciplinis ad Christianitatem cõuersus, meretriculæ cuiusdam forma blãditiisque & procacitate captus fuisset, nisi diuina miseratione contigisset, vt parumper obdormiscens, & Sanctorum gloriã, & damnatorum pœnas videret, eo somno cõfirmatus in castitatis proposito perseuerauit. ibidem.

De Cyrillo.

Cyrillus refert, dum mæstus oraret, indicari sibi petens, qualiter se haberet nepotis sui Ruffi nuper defuncti anima, se fœtorem primò sensisse supramodum grauem, nec naribus omnino nisi compressis tolerabilẽ: mox deinde ipsum Ruffum cõspexisse catenis candentis ferri præcinctum, flammas fumo mistas ore vomentem, & toto prorsus corpore ex ardoribus, quos intra se haberevidebatur, scintillantem. Cúmque hoc spectaculo conterritus miraretur, & vehemẽter expauidus quæreret, quamobrem iuuenis moribus integer, & ob id quondã omnibus charus talibus pœnis dignus iudicatus esset, ab eodẽ didicisse, nihil ei aliud crimini fuisse datum, pro quo ita vexaretur, præter aleæ lusionẽ: quoniam ipsa identidem vsus esset, & leuissimum vel nullum peccatum existimans sacerdoti illud confiteri neglexisset. O seuera diuinæ iustitiæ iustitia, & expauescendum examen, si vnum in homine vitium tot virtutibus, quæ eidem inerant, non compensatũ, vt ipse à dãnatione liber esset, quomodo illis cõpensabitur, qui pleni flagitiis nulla cum probitate decedunt? Et si tam sæuos patiebatur cruciatus aleæ lusor, quales quæso passuri sint fœnerator, fur, adulter, homicida, vel hæreticus, vel idololatra? Nõ dubitamus, quin isti grauius peccent. proinde nec dubitemus præter hæc Ruffi supplicia esse adhuc quædam multò grauiora. ibid.

Exempla quæ sequuntur, de beati Pontificis Gregorij dialogo recitabo, ne quis ambigat, quin ea verissima sint, quæ tãto teste proferentur. Quidam

in finibus Valeriæ prouinciæ ægrotãs, priusquam Seuerus presbyter, ad ipsum à peccatis absoluendum aduenirẽt, diem suum obijt. Mox diem eiusdem Seueri lachrymis ac precibus annuẽte Domino reuixit. Interrogatus quid sibi cùm è corpore migrasset, contigerat, respondit, se à quibusdam hominibus nigrioribus, quàm Æthiopes sunt, & qui ore naribúsque ignem efflabant, repentè correptum fuisse, & per opaca loca: atque aspera raptim deductum: sed dum adhuc duceretur, à candidissimis iuuenibus, multáque luce coruscantibus obuiã factis, dimitti ac vitæ pristinæ restitui iussum, quòd diceret, Seuero presbytero Deum poscenti hoc concedere. Igitur tũ peccata sua eidem confessus, pœnitentiã peregisset, die septimo iterum, sed felicius obdormiuit. Terribiles illi nõdum confesso, cùm per tenebras traheretur, dæmones fuêre, haud dubiè terribiliores futuri, si ad gehennam vsque pertraxissent. At verò quàm fortis Seueri pietas, quàm potens meritum, qui de ore tam rapacium luporum eripuit prædam, & animam ab orci faucibus auulsam inseruit cælo? Ex quo liquet, tunc maximè Sanctorum precibus nobis opus esse, cùm expiramus, iam iudicatis nihil proficiunt preces: nulla est in inferno redemptio. ibidem.

De Theoderico Italiæ Rege.

Neque enim Theodericum Italiæ regem Arrianum, ne in interitum rueret æternum, sua tenere vis, suúsque valuit potentatus. Quem Solitarius quidam in Lipara Siciliæ insula Deo seruiens, in foueam illam, quæ flammas eructat, vinctum deijci vidit à Ioãne Papa Symmachóque patritio, quos ille catholicã tuẽtes fidem non multò antè occiderat. Meritò ab ipsis præcipitari visus est, quos ipse præcipitatos in mortis igno miniam putauit, dum martyrio coronarentur: deprehensum quoque est eodem die ipsum interuisse, quo talia de illo Solita-

rius viderat.ibid.

De monte Ætna.

Opinor locum illum, in quem est deiectus, sicuti & alia, quæ in illis circa Siciliam insulis, atque in ipsa Sicilia perpetuò ardere constat, infernæ fornacis infumibulum esse, & flammas ac fumum ipsum inde à gehennæ igne sursum versus euaporari. Si enim is ignis eiusdem cum alio igne naturæ esset, vnde illi materia sufficeret, per tot iam secula aßiduè flagranti? Nonne iampridem insulas illas omnes in nihilum redegisset? Is ergo ignis est, qui ad cruciandum factus est, non ad consumendum, nisi fortè quòd consumptum, aut terroris aut pœnæ plus adijciat. Si quis autem nosse cupit, quàm alta profunditas sit à summo ore bullientis foraminis ad vltimum vsq; inferni fundum, Theodericum interroget, quem ideo totum præcipitium illud emensum credimus, quia nullum crimen grauius est, quàm ab Ecclesiastica dissentire veritate, & hæresum prauitatibus implicari. Quò autem minus dubitemus esse apud inferos tormentorum ignem, hucusque illum nostris oculis visendum diuina prouidentia iußit promicare. ibid.

De Eumorpho Romano.

Quod ita esse, Eumorphi quoque Romani Gallæ viduæ filij exẽplo probari potest. Qui cùm animam ageret, clamare cœpit dicens, Pergite citò accersitum mihi Stephanum Optionem. Ecce enim nauis ambos nunc ad Siciliam vectura, in portu nos præstolatur, iam oram soluit, iam vela suspendit. Insanire putabatur, donec rursus morantes famulos increpans, Non insanio, inquit, agite iam, ite si libet: & quod vos volo perficere, ne cunctamini. Dum eunt, audiunt Stephanum illum deceßisse: dum redeunt, Eumorphum extinctum offendunt. vtriusque exitus eodem temporis puncto contigit, vt talis euentus doceret ad Siciliam eos euocare haud temerè visum, vbi Ætna sicut & infernus, igne flagrat inextinguibili. ibidem.

De Reparato Romano.

Quo tempore Gotthi Italiam vastabant, Reparatus Romanus improbus magis, quàm ignobilis vir, dum defunctus plangeretur, reuixit, Et mittite, inquit, ad Ecclesiam Laurẽtij martyris sciscitatum, quid Tirburtius presbyter agat. vidi enim eum rogo impositum, acriter torreri: vidi & alium rogum, qui flammæ mucrone cælum lambere videbatur, de flãma quoque vocem erumpentem audiui, quæ indicaret, quis ille esset, cui pœna hæc parabatur. His enarratis repentè obmutuit, nõ sude, sed morte percussus, atque iterum illuc, vnde redierat, abiit. Tiburtius etiam infelicem animam tunc exhalasse compertus est. de quo hominum quoque præiudicium factum fuerat, nemine non vitam illius detestãte: cùm enim presbyter eßet, nihil presbyteri habebat, præter figuram ac nomen. Reparato autem alios admonendi non sui à perditione liberandi copia data est, Deo per illum cæteris consulente, vt cauerent eorum vitia imitari, quos ad gehennam damnatos satis certo indicio cognouißent. ibidem.

De quodam Curiali.

In Valeriæ prouinciæ regione fuiße Curialis quidam perhibetur: qui cùm in vigilia Paschæ filiam cuiusdam sibi amicißimi iam adultam ad Baptismum tenuisset, contracta spiritali neceßitudine, eam illo die secum manere petijt, concessam lautè atque opiparè accepit, & quasi à se genitæ amoris signa ostendit, longe alium amorem celans in corde. Nocte enim superueniente misellã nihil tale timentem inuadens, vitiauit: cæterùm cùm illuxißet, tanti sceleris conscius, ad Ecclesiam procedere verebatur: ne tamen de se suspitionem alijs generaret, si tam solenni festo mißæ non interesset, perrexit non cum modico diuinæ vindictæ timore: sed diei

illius impunitas, reliquorum securitatem suppeditauit: quasi verò malorũ obliuiscatur Deus, si non ita citò castiget. Die igitur septimo post commissum flagitium, cùm sanus ambularet, repente concidit mortuus: cúmque sepelissent eum, flamma de tumulo erumpens ardere non desiit, donec cadauer simul cũ conditorio consumpsit: hinc conjectari libet, quantò vehementius anima eius viuens ac sentiens torqueatur in inferno, cuius exanime & insensibile corpus comburi dignum fuit in sepulchro. ibidem.

De Petro Monacho.

Monachus quidam natione Iberus, cui Petro nomen fuit, cùm non satis monasticè viueret, mortem obijt. mox autem corpori restitutus dixit se vidisse inferorum tormenta, perpetuúmque gehennæ ardorem: cúmque prope esset, vt ei ipse in ignem projceretur, ab Angelo fuisse ereptum, & mortalem vitam, quam reliquerat, redire iussum: hoc addito, vt iã disceret, qualiter sibi deinceps viuẽdum esset. In tantum itaque postea immutatus est, vt ipsa corporis maceratione se verè vidisse testaretur, quod tantopere timeret. ibidem.

De Stephano Romano.

Stephanus Romanus vir sua ætate illustris Constãtinopolim profectus in valetudinem incidens, vita decessit: & quoniam ij, qui illum comitati fuerant, officij gratia corpus eius ad patriam referre volebant, quæsitus est polictor qui illud exenteratum sale condiret, ne in itinere putresceret: polinctore tũc non inuento, iis qui mortuus iacebat, die postero exurrexit viuus, vixitque postea non parum diu, sed minus quàm debuit emendatè, adeo quosdam ne visa quidem horrenda ita terrent, vt corrigant. Igitur narrare solebat tunc se ad inferos deductum vidisse formidabilia illa, quæ olim audita non crediderat: & dum veluti reus ante iudicis tribunal sisteretur, dimitti iussum reprehenso errore

eorũ qui ipsum adduxerãt, cùm non ipse, sed Stephanus Ferrarius adduci iussus esset. se itaq; restituto, eadem hora Ferrariũ hunc vicinum defunctum fuisse, & tantæ visionis fidem fecisse, ne somnium putaretur. Quòd autem non se satis correxit, hoc, quod sequitur, exemplo perspicuum erit.

De quodam Milite.

Miles quidam in eadem vrbe Roma pestilentiæ morbo extinctus, cùm reuixisset, dixit apparuisse sibi pontem angustum fluuiúmque subterlabẽtem, tetrum admodum, & caliginosum, ac fœtore incredibili grauem. At verò ad vlteriorem ripam loca amœna, & quæ oculos florum varietate, nares odorum fragrantia multùm præcipuéque oblectarent, tum habitacula passim disposita diuini cuiusdam nitoris, ac formæ: sed inter ipsa vnum cæteris maius elegantiúsque, quod totum aureis laterculis adhuc construebatur. cui autem construeretur, scire se nequiuisse: considerasse tamen quòd iusti pontem securè pertransirent, reprobi verò laberentur, & in fluuium ruerent. Tunc vidit (vt aiebat) peregrinum presbyterum tam inoffensè per angustias illas gradum tulisse, quàm hic piè vixerat: sed inter eos quoque qui ceciderant, quósque rapidi gurgitis spumosi vortices agitabant, vidit petrum ecclesiasticæ familiæ Irenacham, qui quadriennio antè obierat, ferris vinculis complicatum, & de horribili alueo enatare frustra conantem, atque idcirco ei supplicio mãcipatum audiuit, quòd reos olim, quos puniẽdos accipiebat, sæuiter magis, quàm obsequenter puniret. vidit & Stephaphanum, de quo modo diximus, qui cùm transire pontem vellet, ad medium perueniens, pedibus delapsus est, ventri adhæsit põti. Per pedes ergo ab immundis spiritibus in fluuium trahebatur, per manus ab Angelis, ne mergeretur, tenebatur. Interim qui talia vidit, vitæ restitutus, pendentis in põte, qui finis fuerit, scire non potuit. De

Quo ne beatus quidē Gregorius præiudicium facere audens, lapsum, adhæsionémque tantum interpretatur dicens, Deorsum deprimit carnis lasciuia, sursum attolit eleemosyna. Ex iis autem duobus quid in Stephano magis excelleret, incertum erat. Ideo nec totus mergi visus est, nec totus emergi. Nos inde discamus, non sic incedere, vt lambamur, cùm tam atra & sæua sit perditionis æternæ vorago, cúmque tam virosam exhalet methetim, vt non minus fœtore ipso cruciet, quàm vortigine fremitúque ruientium aquarū. ibidem.

De quodam adolescente.

Fuit Romæ in monasterio beati Pontificis Gregorij (vt idem tradit) adolescens quidam secularis, cum fratre monacho manens, ita mundanæ vanitati deditus, vt nulla pie conuersationis præcepta admitteret: proteruus, leuis, vecors erat, vt qui magis rei familiaris defectu, quàm amore fratrem sequutus esset. hic ipse pestilentia percussus, cùm iam moriens extremos ederet anhelitus, monachis assidentibus, & pro salute eius Deum deprecantibus, magno omnes pauore turbauit, dicens, Facessite hinc, cur prohibetis, ne à dracone isto deuorer, si illi datus sum? Iam ignitis faucibus hausit caput meum, et stridentibus squamis, quasi serris tractim terens enecat me: abite, quæso, nam præsentibus vobis totum absorbere non potest: & idcirco magis cruciat. Cúmque admoneretur, vt se crucis signo illum defenderet. Quid possum, inquit, cùm & manus & pedes meos caudæ suæ spiris circūuolutos colligarit? Hoc audito, fratres in terra cum lachrymis prouoluti, ardentius pro eo supplicare cœperunt. Inde ipse meliusculus factus gratias Deo agere, quòd exauditis fratrum precibus, à se tam immanem bestiam effugasset: insuper vitam se aliam, si cōualesceret inchoaturum policeri, terrenáque omnia contempturum. Conualuit, et quod promiserat præstitit. tam sanctè posthac viuens, quàm antea petulanter. Timeamus & nos credulissimum hunc draconem, qui non tantùm caput, sed totos penitus cupit deglutire, totos perdere, & in ardentē flammis aluum dimittere, vt veluti fornace cōclusos torreat semper & excruciet. ibidem.

De quodam Monacho.

In monasterio (quod Tongalaton dicitur) Monachus erat, qui simulata sanctimonia, magnam apud omnes æstimationem sibi comparauerat. At verò cùm ægrotans ad diem vitæ suæ supremum accessisset, expauefactus, fratres conuocat, hypocrisim, quādiu celauerat, prodit: Et en videte, inquit, quò me perduxit diu mentita sanctitas: ieiuniis me idemtidem affligi fingebam, sed occultè comedens, nunquam ieiunabam: nunc inimico traditus sum. Ecce, me terribilis serpens toruosi corporis voluminibus implicatum tenet: ecce in os meum, quo clandestinis dapibus replebatur, caput indidit suum, et lethifero morsu sanguinem suctans, adimit spiritum. sub hæc verba miser defecit, quibus profectò non illi, sed nobis consultum est, vt cognito hypocritæ fine, hypocrisim euitemus. Nimis animæ suæ infensus est, qui tam diri serpentis venena non perhorrescit: cùm etiam in Hieremia scriptum sit, Ecce ego mittam vobis serpentes pessimos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos, ait Dominus. ibidem.

De Chrisario Romano.

Chrisarium Romanum opulentum quidem, sed scelestum hominem fuisse constat: ita vt diuitiis magis abundarit, incertum sit. cùm autem graui valetudine quateretur, & iam expirans anxiaretur, apparuere illi teterrimi dæmones, ipsum certatim prehensantes, trahéque ad inferna nitentes. qui conterritus ac tremens, maximi filij sui opem flebiliter implorare, seque super lectum, in quo iacebat, huc atque illuc vertere miseris cœpit modis. nemo spiritus videbat: &

tamen nemo ibi conuenisse dubitabat, cùm illius gestus lamẽtáque considerasset. Postremò ipse cùm iam amicorum auxiliũ desperasset, ad hostes conuersus, Inducias oro, inquit, inducias, vel tantum vsq; mane. Dũ hoc poscendo ingeminat, animã exhalauit. Quàm dura igitur & inexorabilis dæmoniorum improbitas, à quibus nõ solùm pax nulla impetrari potest, sed nec breuissimi temporis induciæ: perijsse horam arbitrabantur, quà ab inferenda homini molestia fortè cessarint. Assiduus itaque & perpetuus eorum, qui damnantur, tortor & carnifex est diabolus: nec solùm animas perditas vexans, sed interdum etiam ossa pereuntium sepulturis quiescere non sinens. ibidem.

De quadam Moniali.

In Sabinorum prouincia Monialem quandam fuisse traditum est, quæ corporis castitatẽ seruans, linguam procacitatis vitio polluebat. cùmque diem obijsset extremum, & in Ecclesia sepulta esset, ædituus nocte intempesta Ecclesiam ingressus vidit illam ante altare distentam secari per mediũ, partémque superiorem igne cremari, inferiorem verò relinqui intactam. Mane igitur visa fratribus narrans, dum locum, in quo eam vri conspexerat, ostendit: deprehensa sunt in marmoreo solo ardoris vestigia. Qui ergo linguæ intemperantis est, timeat tam cruentam sectionẽ, timeat ignem, non ignem, qui tunc in Ecclesia visus est, sed qui per illum significatus est, ignem gehennæ quouis alio igne acriorem. ibidem.

DE REVELATIONIBUS cælestis beatitudinis, Nostrorũ exempla.

De Petro Apostolo.

IN Petri apostoli martyrio à multis Angelos visos tradunt coronas illi rosarum, liliorúmque porrigẽtes, atque etiam

que etiam iuxtà stantem Christum, apertúmque librum manu tenentem, in quo ea scripta conspiciebantur, quæ Petrus ad populum fando expromebat: & dum plebs eum subtrahere neci vellet, ne oblatã gloriam impedirent, petijt. Sed quota hæc beatitudinis eius pars, quæ tãtùm ad fidelium consolationem, vel ad infidelium conuersionem se ostendit? cùm ille etiam inuisibilibus intra se iam frueretur bonis, quæ plenius liberiúsque affectans amplecti, crucifigi optauit, & tam immane supplicium gratanter subijt, nec mors ei grauis, sed dilatio mortis erat. ibidem.

De Paulo Aposto.

Pauli Apostoli caput à corpore dissectum ter per humum prosilijt, ter Iesu Christi nomen inuocauit, tres fonticulos, qua saliendo terram contigit, scaturire fecit. de vulnere eius lac primò, deinde sanguis emanauit. Quorsum tot miracula in morte Sancti huius, nisi vt hæc tã magnifica oculis nostris obiecta pensitantes, quantò illa in cælo magnificentiora sint, eius præmia, quæ oculus videre non potest, cogitemus? ibidem.

De Andrea Apostolo.

Andreas quoque Apostolus, cùm in crucem, Egeæ procõsulis iussu, actus esset, deliberãtibus turbis, vt ipsum per vim irruentes eriperent, non acquieuit, dissolui cupiens & esse cum Christo. Cùm igitur iam biduũ de cruce ad illos verba fecisset, vitæ æternæ promissis omnes erigens, si religionem à se prædicatam constanter tenuissent. Postremò animam Deo commendans, luce de cælo lapsa circumfusus expirauit. In quanto ergo lumine viuunt Sancti, si etiam moriendo luce sepiuntur? ibidem.

De Odilone Abbate Cluniacensi & aliis.

Sic & Odilo Abbas Cluniacensis, qua die defunctus est, Gregorio Monacho multa luce refulgens apparuit, séque æternæ beatitudinis præmio potiri

dixit. Sic quadraginta martyrũ apud Sebasten Armeniæ combustorum ossa in fluuium proiecta, sub aquis veluti micantiũ stellarum imagines lucere visa sunt, et ab Episcopo, qui ea quæsitum ierat, latenter collecta, reuerenterque seruata. Sic supra Nicolai Rhemensis Episcopi & sororis eius tumulum, quos capta vrbe effera Vuandalorum gens Christum confitentes peremerant, & lampades ardere visæ, & Angelorum cantus auditus. Sic denique multorum vel in sepulchris corpora, vel in visu apparentes imagines, dum miro fulgore splenduissent, fidẽ fecere illos æterni luminis beatitudinem in cælesti gloria consecutos: contra eorum prauitatẽ atque dementiam, qui ad vltimum vsque iudicij diem & bonis differri dixerunt paradisum, & infernum malis. Quod si ita esset, profectò plus gloriæ cadauera Sanctorum nũc suaui odore fragrantia, nunc ingenti luce conspicua haberent, quàm ipsæ animæ, nescio vbi, neque quo veterno consopitæ. ibidem.

De diuo Hieronymo.

Diui quoque Hieronymi corpus, cùm spiritum reddidisset, subita lux circũfulsit: visi sunt Angeli, & Christi vox audita, quæ illum ad possidendum cæleste regnum inuitaret. Lux cum spiritu abijt, odor suauissimus cum corpore remansit. Eadem hora Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus animam eius angelicis manibus gestatam cælum versus tendere conspexit. Eodẽ die sancta hæc anima miro radians fulgore, Augustino Hippone apparuit. Turoni etiã duo Monachi lucentem globum aëra transire, & inde dulciter canentium choros audiri, dum admirantur, intellexerunt Hieronymi presbyteri animam tũc apud Bethleẽ defuncti ab Angelis ad Paradisi quietem fergeli: & hoc quidem pro laboribus, quos ipse in vita exhausit, Dei laudibus & hominũ vtilitati semper intentus. Tot præterea signa de illo, tot miracula enumerantur, vt mihi certè vel præcedere reliquos beatos apud

Deum dignatione videatur, vel paucos habere pares. ibidem.

De Paulo primo Eremita.

Pauli etiam primi Eremitæ beatam animam angelico ministerio ad cælũ tolli vidit Antonius Abbas: mox defunctũ esse deprehendit, & questus est, quòd se itineris comitem nõ assumpsisset: nihil dubitans quin è corpore statim ad beatitudinẽ translatus esset. Idẽ Antonius non modico interuallo discretus Ammonis Abbatis obitum cognouit, cùm animã eius multo candore illustrem, & in sublime tendentem conspexisset. ibidem.

De Augustino Hipponensi Episcopo.

Augustinum quoque, quo die corpus eius mandatum sepulturæ fuit, Monachus quidã procul inde manens & in spiritu raptus vidit infula & põtificalibus indumentis insignẽ, sedere intra nubẽ candoris eximij: de oculis eius promicantes radij totam illuminabãt ecclesiam, & vbique incredibilis odoris fragantia nares oblectabat. Post hæc à Bernardo Abbate visus est, dum per noctẽ sermones eius à fratribus in ecclesia legerẽtur, limpidissimas ore aquas vomens, quibus totum ecclesiæ pauimentum supramodum inundabat. verè enim ille, quasi quidam inundans fluuius Ecclesiam Dei salutaribus documentis inundauit, & lumine ingenij Scripturarum obscura clariora fecit, sanctitatis etiã virtutúmque suarum odorem tam latè effudit, vt nomen eius in terris celebre sit & in cælo. Palàm igitur factum est, quibus potissimè meritis ad æternitatẽ vitæ peruenerit, inæstimabilémque mercedem. ibidẽ.

De Hugone Abbate & Anselmo Archiepiscopo.

Quo die Abbas quidã duos lectos ineffabili ornatu comptos multóque nitore splendentes ab Angelis ferri viderat, atque audierat in altero Hugonem

Abbatem Cluniacensem collocandum, in altero Anselmũ Archiepiscopum Cantuariensem, cognouit ambos tunc simul vita ista defunctos, & in lectis veræ felicitatis requieuisse: de quibus dictum est, Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. ibidem.

De Dominico Prædicatorum patre.

In Dominici quoque Prædicatorum patris obitu, ad quantam ipse migrasset beatitudinem, testatum est duorum visione Guali præpositi conuentus Brixiensis, & Rhaonis fratris. Alteri somnianti apparuit cælum apertum, & Angeli Dominicum eò de terra transferentes, & Iesus Christus multa cum iocunditate eundem suscipiens, ac susceptũ Mariæ matris offerẽs amplexibus. Alter cũ missã celebraret, sensibus corporis consopitis tãtũ spiritu vigilãs, illũ cum reuerẽdo quodã comitatu virorũ ab vrbe Bononia processisse vidit aurea corona, micantique fulgore conspicuum, quem nondum vita audierat defunctum. Quanti ergo esset apud te, Domine, Dominicus tuus, neminem latere voluisti: quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso: cælum illi sicuti Protomartyri tuo Stephano patere fecisti: & sicuti Ioãnem Apostolum tuum, ita & hũc seruum tuum Virgini matri virginem commendasti, vt pariter ostenderes, quãtum ipse meruisset, & prædicandi officio & proposito castitatis. ibidem.

De Francisco Asisiate.

Francisci etiam patris (à quo Minorum ordo cœpit) vt vita, ita vitæ finis nobilis ac magnificus fuit. Quo expirante, quidam fratrum animam eius in stellæ specie de ore emicuisse, cælúmque petijsse vidit. Eadem illa hora minister terræ laboris grauiter ægrotans, cùm iam deficiente spiritu & languescente lingua obmutuisset, repentè in vocem prorupit dicens, Expecta me, Pater, expecta me. Et

interrogatus, Patrem Franciscum se videre dixit, multa cũ luce cælum versus tendentem. Hoc dicto de corpore exijt, & verba re comprobauit, illũ continuò sequens, quem cernere se aiebat: nunc cum illo simul cælestibus fruitur diuitijs, quocũ simul terrenas cõtempsit. cæterũ Franciscus sicut hic multis humilior, ita illic clarior. Quod ne dubitaremus, in visu apparens, figuram stellæ fulgentis præ se tulit. Nam etsi alij quoque Sancti stellis comparentur: stella tamen à stella differt in claritate: sic & ipse in gloriæ dono. Nec mirum, si illic proximus accedit Christo, qui hic stigmata portauit Christi. ibidem.

De Martino Episcopo.

Martini Episcopi vultus, cũ obiisset, splendidus apparuit, vt nõ mori eũ, sed ad immortalitatem transire fidẽ cuiuis faceret. Angelici præterea cantus circa ipsum auditi. eadem hora Seuerus Colomiẽsis Episcopus animam eius ab Angelis ad cælũ ferri vidit. Seuerus etiam Monachus ipsum in quiete conspexit niueo tegumento, vultu rutilo, radiantibus oculis librum manu gerẽtem, summa cęli petere, & euigilans audiuit eundem tunc decessisse. Ambrosio quoque missam Mediolani celebranti, & in spiritu rapto visum est, se exequijs eius interesse: & cùm ad se redijsset, nuntiauit astantibus, Martinum Turonensem Præsulem obijsse. Tot itaque testimonijs declarata est eius beatitudo, vt si pietatis iustitiæq; opera, quæ fecerat, laterent, beatus tamen crederetur. Rursum tanta omnis probitatis fama celebris fuit, vt si nulla in morte signa apparuissent: in Sanctorum tamen numero ab omnibus habendus esset. ibidem.

De Nicolao Mireæ Episcopo.

Nicolaum Mireæ Episcopum adhuc infantem vitæ æternæ prædestinatum esse signis quibusdã miraculisque apparuit,

sed præcipuè visione Sabatij religiosi viri in secessu mentis abducti. Aiebat enim se in cælo vidisse diuersorium quoddam regio luxu instructum, auro gemmisque fulgens: in quo & sedile erat tam opere, quàm materia imprimis insigne: atq; ita coruscans, vt solis radios vincere videretur: audiuisse etiam ea Nicolao puero præparata, & in cælesti reposita regno. Præscius quippe futuræ vitæ eius Deus, præmium ei decreuerat ante pugnam, coronam ante victoriam. ibidem.

De Thoma Cantuariensi Archiepiscopo.

Thomæ quoque Cantuariensi Archiepiscopo adhuc viuo sedem contiguam sedibus Apostolorum à Deo concessam se vidisse dixit quidam, qui mortuus mox euixerat. Inde dum Thomas pro iuribus ecclesiæ sibi cõmissæ staret, ab impijs cæsus, martyrio coronatur: dúmq; illi exequiæ à clero agerentur, Angelorum accinentium vox audita testis beatitudinis eius fuit, fidémque fecit, haud vana fuisse visa de illo hominis rediuiui, quæ Apostolis annumerandum significarunt. ibid.

De Gregorio Pontifice Maximo.

Gregorio Pontifici Maximo (qui vnus ex columnis est ecclesiæ Christi) dum missale sacrificium offerret, & iuxta ritum ad plebem conuersus, Pax Domini vobiscum, diceret, angelica vox, cũctis audientibus, respondit, Et cum spiritu tuo. Exinde mos inoleuit, vt Pontifici ea verba repetenti nihil à clero respondeatur, vt scilicet dignum se exhibeat, cui Angeli respondeant, non homines. præstare enim cæteris vitæ sanctitate debet, qui præstat officij dignitate. Beatitudinis verò Gregorij hoc quoque testimonium additur, quod Petrus eius discipulus pluries capiti ipsius Spiritum sanctum in figura columbæ consedisse viderit. Cúmque id prodidisset, Ne credite, inquit, nisi me nunc mori conspexeritis. Hac tanti veri asser-

tione vsus est, vt inuidiam nõnullorum reprimeret, qui scripta Pontificis lacessentes, delenda ignique tradenda censebant. Sciebat autem se moriturum, vt primùm secretum illud vulgasset. ipso igitur Petro, sicut prædixerat, moriente, expauefacti aduersarij, illum, quem paulò antè petulanter mordere non dubitarant, venerari cœperunt, sanctúmque ac beatum dicere. Itaque Gregorij beatitudinem, & qui sciebat, moriendo probauit, & qui liuebant, admirari compulsi sunt. ibid.

De Torquato Episcopo.

In ciuitate Acitana ad tumulum Torquati Episcopi die eius natalitio, hoc est Idibus Maijs, olea florem mittit, fructũ facit, ac maturat: inde expressũ oleũ cuiusq; generis ægritudini efficax habetur. ibid.

De Baudilio Martyre.

Pari miraculo Nemausi Galliarum vrbis secundum sepulchrũ Baudilij martyris laurus fuit, cuius foliis contacti infirmi curabantur: & ab immundo spiritu vexati, liberi fiebãt. Quid per ista Dominus significare voluit, nisi animas eorum apud se habitare, de quorũ sepulchris tanta procederet virtus? ibidem.

De Alexio Romano.

Alexio Romæ defuncto, vox cælestis insonuit. Quærite virum, qui oret pro Roma: ille sub pauperculi humilitate latens mundo ignotus erat, & monstrante cælo patuit. Cur autem vt pro Roma oret, quæri iussus sit, qui iam mortuus erat, nisi quia post mortem melius viuere cœperat, digniórque esset, qui quod orasset, impetraret? vir iustus igitur & post obitum orat non pro se, quia beatus est, sed pro alijs, qui nondum beati sunt. Siquidem quantò quis proximior Deo est, tantò citius quod orarit, exorat. hinc nempe Ecclesiæ mos est, illos quos in sanctorũ catalogo redactos colit, vt pro se deprecentur, precari. Ita nũc & Alexius ipse, vt oret pro nobis, inuocatur, qui prius à nemine noscebatur.

Sed quoniam soli Deo notus, factus est omnibus: & id quidē post vitæ huius finem, quando multi, qui noti sunt, venire in obliuionem solent, & cum nomine pariter sepeliuntur. ibid.

De Victore Martyre.

Victor Martyr persequutoris gladio cæditur, & cōtinuò vox de cælo auditur, Vicisti, Victor beate. Non propter illum hoc contigit, qui iam cum Deo erat, sed propter illos, qui fortasse tormentorum, quæ perpessus est, memores, beatum esse dubitarent, nisi tam certo indicio verum didicissent. Quanta autem beatitudo ea sit, docet in Martyribus vitæ huius contemptus, intrepida suppliciorum toleratio, & nulla vnquam sæuiendi arte superata Christum confitentium firmitudo. Nihil quippe tam durum est, vt durum esse possit, dum perenne bonum speratur, nec quicquam tā dulce est, vt dulce esse queat, cùm diuina suauitudo degustatur. ibidem.

De Agilo Resbacensi Abbate.

Agilus Resbacensis Abbas, cùm annos plurimos Deo seruisset, confidenter precatus est, vt è vita decederet, & responsō accepto, eiusce voti peracto biennio compotem se futurum gaudere cœpit, vtpote qui tum demum veram vitam inchoaturus esset, cùm hanc finisset. In obitu eius Ado Monachus lætantium Angelorum cantus audiuit: duo præterea, alter febri laborans, alter dentium dolore vexatus, tactu corporis eius curati sunt. Si quis igitur visionū reuelationibus parùm credit, experimento credat operis. Palàm est, beatas esse animas eorum, quorum mortua corpora tanto adiumento viuis sunt. ibidem.

De Sergio & Baccho martyribus.

Sergius & Bacchus martyres carceris angustia constricti, beatæ vitæ spe gaudebant: & cùm prior Bacchus per tormenta cōsumptus animam exhalasset, Sergius relictū se querens, valdè animo affligebatur, vbertimque flebat: flenti noctu Bacchus apparuit visu iocundus, luce decorus, gemmea corona insignis: tum ne lugeret iussit. mox enim fore, vt ipse quoque pœnis conficiatur, sibique iungatur. Nō immeritò igitur Sergio supplicij dilatio supplicium erat, si post supplicia ad tantam gloriā Bacchus peruenerat. ibi.

De Mercurio Martyre.

Mercurij martyris apud Cæsaream passi corpus truncum splendore fulsit, odore fragrauit: quo miraculo plurimi ad Christianam credulitatem conuersi sunt, iam certi animam eius cælesti perfrui beatitudine, in cuius cadauere contra aliorum cadauerum naturam, & lux pro pallore erat, & odor pro fœtore. ibidem.

De Marcello Tudertinæ vrbis ciue.

Marcellus Tudertinæ vrbis nō ignobilis ciuis, magis tamen animi probitate notus (vt in dialogo beati Gregorij relatum legimus) cùm mortuus iaceret, à Fortunato Episcopo ad vitam reuocatus est. Atverò non dissimulauit hoc se oppidò quàm ægrè ferre, quòd diceret, ad quietis beatæ loca iam se perductū fuisse, cùm ad corpus redire iussus est. annuente Domino precibus Fortunati vixit, ita quòd iterum moriturus: ita tamen, vt beatitudinis præmia, quæ acceperat, auxisse potius credatur, quàm imminuisse: adeò seipso melior euasit, dum intermissa amittere timet. ibid.

De duobus Valentij Abbatis discipulis.

Duo Valentis Abbatis discipuli in Valeria prouincia à Longobardis ad arborem laqueo suspensi necatique, vesperi diei illius psallere auditi sunt: ita vt carnifices ipsi, qui eos interemerant, attoniti tenerentur. Quid hoc est, nisi vt credamus, eos, qui Deo seruiunt, tunc demū beatè ac feliciter viuere incipere, cùm cōtigit mori? ibid.

Universidad de Deusto Biblioteca

De quodam religiosæ vitæ viro.

Nec hoc omninò prætermittendum, quod beato Gregorio testante verum fuisse non ambigitur. Quidam religiosæ vitæ vir moriens, Ionam & Ezechielem & Danielem Prophetas vidit, visos cognouit, cognitos salutauit: & dum reuerentiæ illis, quos nemo alius cernebat, cùm multi adessent, officium exhibet, mortem oppetijt. Si hic corpore adhuc grauatus, eos, quos nunquam viderat, statim cognouit, quantò clarior certiórque erit notitia illorum, qui vel modò sarcina carnis deposita, ad cælum euolant, vel postea cùm eadem carne beatifica illuc ascensuri sunt? ibid.

De Maria Magdalena.

Mariam Magdalenam, cùm in solitudine vitam ageret, Solitarius quidam presbyter ab Angelis in cælum tolli, & iterum loco suo restitui vidit. Ab ipsa deinde quid hoc esset, curiosè scisciitans, didicit, triginta iam annos eam non alio cibo sustentatam, præterquam cælestium gaudiorum contemplatione, beatis, quemadmodum ipse conspexerat, spiritibus eò se perducentibus, ac reducẽtibus, & iam finem vitæ huius factura, vt vitam illam inchoet, quæ nullo concluditur fine, nulla carpitur molestia, nullo indiget bono. O quanta hæc diuinæ dilectionis gratia, id mortali corpori concedere, quod concedi solet immortali, vt tandiu sine alimento viuat, & terrenum adhuc tam sublimè ferat. Sed cur tandem solutam animam Deo reddidit? ne scilicet animæ perpetuę beatitudini impedimẽto esset, cuius alternã aliquatenus nõ impedierat. ibi.

De Margarita virgine.

Margaritæ virginis capiti, dũ ipsa grauibus afficeretur supplicijs, nec interim cessaret confiteri Christum, cunctis, qui aderant cernentibus, columba de cælo aduolans, auream coronam imposuit. Eo miraculo quatuor millia hominum, relictis idolis, Christum colere cœpere: nec timuerunt capitis subire discrimen, dũ diuinitus coronari concupiscunt: haud quaquam sic præsentem vitam dispicerẽt, nisi meliorem certissimè expectarẽt. ibidem.

De Dorothea virgine.

Dorothea virgo & martyr ad Paradisum sponsi sui Christi se per tormenta peruenisse probauit, brumæ tempore missis rosis Theophilo scribæ. Quam rem ille impensius considerans, cùm prius Christianorum religionem irrideret, sequi cœpit, ita vt gratanter & ipse iugulum gladio submitteret: nihil tam ambiguus de beatitudine adipiscenda, quàm tali argumento in Christo tãtùm esse dicerat. præferens igitur huius vitæ voluptatibus cælestes rosas, vltro martyrium adiit, & illarum odore decoréque captus, mori optauit. ibid.

De Septem mulieribus.

Septem mulierum, quæ cum beato Blasio Episcopo apud Sebastem martyrium passæ sunt, cùm capite cæderentur, animas virginali forma à corporibus egredi viderunt, cælúmque versus ferri candidas admodum, & coronis circa capita fulgentibus decoras. Hoc ipsi sicarij testabantur, à quibus interemptæ fuerant. Nunquid non satis verum putabitur, quod ne inimici quidem negare potuerũt? eas videlicet statim post necem beatitudinis æternæ fructum percepisse. ibidem.

De Agatha Virgine.

Agatha virgo & martyr per Apostolum à vulneribus curatur, & peractò agonis cursu, cùm mortua efferretur, Angeli sub visibili specie exequias celebrant, & literis in marmore incisis beatitudinis eius testimonia relinquunt, Mentem sanctam, spontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem. Quis dubitat, quin ab iis ad Sponsi vsq; thalamũ perennésque nuptias euecta sit, quorũ tanto obsequio in morte meruit honorari? At cur A-

postolorum consortio non dignã dixerimus, ad quam sanandam Petrus de cælo ad terras descendere iussus sit: ibidem.

De Agnete Virgine.

Agnes virgo post martyriũ parẽtibus ad sepulturam suam excubãtibus gloriosa apparuit, cum splendido elegantique virginum comitatu, aureis armillis candidulóque amictu multùm effulgens, & agnum niue albiorem dextera baiulãs. Tum represso parumper gradu, parentes ipsos dulciter admonuit, ne se velut mortuam flerent, sed potius cum Christo beatè viuenti congratularentur: A sanctarum, inquit, virginum, quas videtis recepta collegio, ei in cælo iuncta sum, quem in terra posita toto corde dilexi. Merito igitur non solũ martyrij eius diem festum agit Ecclesia, sed etiam eum, quo se talem ostendit, celebrem habet. In martyrio, quæ passa sit, recoluntur: hic autem, ad quantam beatitudinem post passionem peruenerit, commemoratur. ibidem.

De Cæcilia virgine.

Cæcilia virgo Angelorum visione fruens, rosarum liliorúmque media hyeme vernantium odoramentis, quæ sibi de paradiso allata fuerant, Valerianum & Tiburtium conuertit: tam suauiter illa redolebãt, vt isti contempto repente simulachrorum cultu, Christum sequerentur, qui sibi seruientes talibus iam impartiret donis: ideóque coronari cupientes libẽter ad martyrium perrexere. Ipsa quoque nullis auerti à Christo suppliciis potuit, quoniã certa erat, eius consortio in cælo vsuram, cuius Angelos videre meruerat in terra. ibid.

De Caterina Virgine.

Caterinam virginem, cùm post tormenta capite trocanda esset, orantem vox de cælo consolata est, quæ diceret, preces suas exauditas esse, & iam aperto cæli aditu, à Domino aduentũ suum expectari. Itaque læta & hilaris ceruicem gladio subiecit persequutoris. detecto autem

collo, lac pro sanguine exilijt: corpus ab Angelis ad mõtem Sinai delatum est. Talis igitur honor corpori exhibitus testatur, quanto magis in cælo spiritus eius honoretur. Colligamus cuncta simul & summatim perpendamus, quali beatitudinis gloria in illius ineffabilis maiestatis conspectu, sanctorúmque omnium virgo ista repleatur, cui in conspectu hominum tot mira cõtigerunt: vox de cælo blandiens, lac pro cruore manans, Angeli corpus transferentes. ibidem.

De Theodora Alexandrina.

Theodora Alexandrina quæ sexu dissimulato, inter Monachos persanctè vixit, cùm decessisset, Abbati in quiete apparuit, cum quadam nuptiali põpa, Sanctarum exultantium agmine eã circunuallante, ipsa in medio gemmis auróque coruscans. Tunc se illam esse confessa est, quæ Theodorus monachus diceretur, mas credita. mox deinde experrectus et sibimet redditus Abbas, continuò cellam eius adiit, & defunctã esse reperit, & fœminam fuisse cognouit: denique constantiam mulieris inter viros tamdiu, tam integræ versatæ mirans, beatitudinem quoque palã prædicare cœpit, atque in quali eam gloria exaltatam conspexerit, vltro prodere. Gloriosa quidem sunt, quæ de illa vidit: sed multò gloriosiora sunt, quæ videre potuit. ibid.

De Paulo Antonij Abbatis discipulo.

Apud Alexandriam Paulus Antonij Abbatis discipulus in spiritu ad cælum vsque pertractus, vidit thalamũ quẽdam miro ornatu excultum, latéque fulgentem, & Antonio paratũ putabat, donec audiuit, Thaidi meretrici illum seruari. Ex quo cognitum est, ei mulieri peccata per pœnitentiam dimissa esse, & cælestis beatitudo condonata, dicente Domino, Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnũ cælorum. ibid.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Getrude Virgine.

Getrudis virgo Nigellani monasterij quæ die obiit, Abbatissæ Treuerensis monasterij ante altare oranti apparuit, séque ad sponsum suum ire dixit, cælesti gloria fruituram. Alio quoque miraculo beatã esse patuit, cùm monasterium arderet, supra tectum visa est candẽti velo flãmas premens, restincto statim incendio, cùm totum ædificium consumptum iri timeretur, nihil damni illatũ fuit, igne virginis imperio cedente, quia illi iuncta erat, cuius volũtati subiecta sunt vniuersa. ibid.

DE PRÆDICATIONE, Nostrorum exempla.

De mũdi redemptore ac domino Iesu Christo.

MVndi Redemptor ac Dominus Iesus Christus reliquarum nationum saluti consulens, discipulos adscisciit sibi, vt quos discedens doctrinæ suæ per orbem propagandæ relinquat magistros, vtq; is, qui docet, aliis etiam docendi disciplinam impendere discat, circuit totam Galilæam, vt doctoribus post se futuris vrbes, castella, vicos peragrandi solicitudinem insinuet: docet in Synagogis, vt & illi ibi magis verba facere studeant, vbi pluribus prodesse possint: prædicat Euangeliũ regni Dei, ne quid aliud in Ecclesia prædicandum inani iactatione præsumant. Cùm discipulos docet, ascendit in montem: cùm turbas, descendit in planum, vt meminerint perfectioribus excellentiora vitæ præcepta dari oportere, imbecillioribus leuiora: lac paruulis, solidum iam adultis cibum. Marul. lib. 3.

Infidelibus verò, his duntaxat, qui audire veritatem concupierint religionis nostræ, quæq; creditu faciliora primùm insinuanda sunt, non statim mysteria ingerenda, ne sanctum detur canibus, & margaritæ committantur ante porcos, & conculcent eas pedibus, contemnentes quicquid capere non possunt. Audiuimus quendam sacerdotalis ordinis virum, cùm ipso præsente inter Mahumetanos quosdam de Deo mentio incidisset, & multa vltrò citróque iactata fuissent, tandem dixisse, Deum ipsum sæpe à se manibus contrectatũ, sæpe ore haustum. Quod etsi verum dixerit, inconsultè tamen apud sacramenti ignaros: atque adeò incautè, vt illi non modò non crederent, sed etiam ipsum quasi blasphemum vlcisci vellẽt: denique parũ abfuit, quin eidem tunc, quod sequitur, cõtingeret: Et canes conuersi dirumpant vos. Cuius quidem periculi non ignarus Solomon, Qui custodit, inquit, os suum, custodit animã suam: qui autem consideratus est ad loquẽdum, sentiet mala. ibidem.

Prædicandi autem donum ne quis leue putaret, nõ nisi precibus proponitur impetrandũ. Rogate, inquit, Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. cæterum ne quis luceri, & non tantum hominum causa prædicationis opus sibi vẽdicet, ait, Gratis accepistis, gratis date. At verò, ne in quærendis vitæ necessariis rebus occupatus animus docendi studium remitteret: Dignus est operarius, inquit, cibo suo, vt scilicet quibus seminant spiritalia, ab iis corporalia metant: non plura tamen, quàm præsens necessitas poposcerit, ne prædicationem, quæ gratuita esse debet, venalẽ faciant. ibid.

Præcipit quoque Dominus, ac monet, vt huiusce professionis viri ciuitatem ingressi, apud dignos maneant, ne scilicet, integritati autoritatique eorũ quicquam deroget turpis hospitij nota, & in suspicionem incidãt, qua linguam honestiorẽ quàm vitam habere existimẽtur. ib.

Præterea licet illi, qui in auditorio conueniunt, parum, aut nihil omnino profecerint, non tamen ei qui docet, premiũ supprimitur laboris, dicente Domino, Si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra: sin minus, ad vos reuertetur. Ne-

que enim inuitantium gratia perire debet, si ad conuiuiũ inuitati venire fastidierint. ibid.

Qui autem vsqueadeo inueterata animi peruicacia obdurent, vt pius hortatibus molescere prorsus nequeant, eos Dominus anathemate videtur execrari, dicens, Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Minis quoque horrendis exterret, subiungens, Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Inexcusabilior proculdubio erit quisquis prædicationes audiens, emendari, corrigique neglexerit, quàm qui omnino non audierit, casu aliquo impeditus. Seruus enim qui cognouit voluntatẽ domini sui, et non fecit, plagis vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna, plagis vapulabit paucis. ibidem.

Postremò ipsos doctores cautè incedere, ne dolis hæresum capiantur: simplicitatem custodire, ne ad hypocrisim malitiámque declinent, iubet dicens, Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut colũbæ (à Serpente enim minus prudens Adam deceptus est) & ne sanctiores videri, quàm esse malint. Nam & spiritui sancto ideo fortasse in columbæ specie interdum apparere libuit, vt ad imitãdum auiculæ illius puritatem nos inuitarent. Profectò qui tales extiterint, non immeritò iam audire poterunt, Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Itaque nihil neq; in præmeditãdo nec in pronuntiando laborabũt. Quibus affatim omnia, quoties vsus fuerit, diuina benignitas suppeditabit. ibidem.

De Paulo & collega Barnaba.

Paulus segregatus in Euangelium

gelium Dei cũ collega suo Barnaba peragrant oppida Iudææ, in Synagogis prædicantes. Inuidentibus verò Iudæis, & ad cõuitia furenti rabie prorumpentibus dixerunt, Vobis oportebat primũ loqui verbũ Dei: sed quoniã repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Relinquendi ergo sunt, qui peruersa obstinatione durati, à peccandi proposito diuelli nullo modo possunt, ne dum in sterili solo semẽ iacimus, fœcundæ interim glebæ nullo subactæ aratro fructu vberiore fraudẽtur. In summa, quicunque Ecclesiam audire voluerit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Nemo saluatur inuitus. ibidem.

Idẽ hi (vt Lucas inquit) prohibiti sunt à Spiritu sancto loqui verbum in Asia. Quæ res documento est, non passim omnibus euangelizare nos debere, & ijs præsertim, quos Euangelium ipsum contemptui habituros nõ ambigimus, ne & hi exinde grauioribus pœnis obnoxij sint, & nos sanctum dedisse canibus arguamur. Vnde & Solomon in Prouerbijs ait, Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit: & qui arguit impiũ, sibi maculam generat. Noli arguere derisorem, ne oderit te: argue sapientem, & diliget te. ibidem.

Rursum illis libentissimè docendi operam debemus exhibere, à quibus vltro inuitamur. Iam enim se institutionibus nostris pro sua virili obsequuturos polliceri videntur, dum inuitãt. Hinc est, quòd Paulus maturauit transire in Macedoniã, cùm vir Macedo in visu apparens ei, suppliciter poposcisset, vt eò veniens, ipsos adiuuaret. Nõ petit auxilium, qui non agnoscit periculum. Quis autem petit, nisi is, qui periculo liberari cupit? ibidem.

Multis tandem vrbibus regionibusque docendo peragratis, Paulus contulit se Athenas, disseruitque cum Epicureis & Stoicis, palàm ostendens quantò præstaret eorum Philosophiæ disciplina Christi. Quanta autem vel argumentorum vi disputa-

rit, vel miraculorum operatione illa, quæ dixerat, approbarit, Dionysius Areopagita indicio est factus Apostoli discipulus, qui magister fuerat Philosophorum. ibidem.

Relictis Athenis, venit Corinthũ, & Aquilæ Priscillæque hospitio vsus, artem scenofactoriam cum illis factitasse dicitur, sabbatis verò in Synagoga disputationes exercuisse. hinc ipsemet quidem ad Corinthios scribens, Laboramus, inquit, operantes manibus nostris. & ad Thessalonicenses, Non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo: sed in labore & fatigatione nocte & die operãtes, ne quẽ vestrum grauaremus, non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis, ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam siquis non vult operari, non manducet. Nemo igitur Euangelio seruiens, assiduè sibi de Euangelio viuendum putet: & quod prædicationis superest temporis otio conterat, ne & petendis eleemosynis crebrius insistens, non petere, sed exigere videatur: & corporis quieti indulgens, ad socordiam paulatim deuolutus, à labore quoque spiritalium actionum animo obtorpescat. ibidem.

De Petro & Paulo & aliis Apostolis.

Petrus & Paulus postremò Romæ ad martyriũ vsque prædicãdo perseuerarũt. Reliqui etiam Apostoli dimissa Iudæa, in diuersas prouincias, idolorum cultores ad religionem Christi conuersuri, disperguntur. Andreas Achaiã, Philippus Scythiam, Bartholomæus Lycaoniam, Iacobus Zebedæi Hispaniam, Ioannes Ephesum, Thomas Parthiam, Hyrcaniamque, & Indiam, Matthæus Macedoniam, Æthiopiam, Iacobus Alphæi Hierosolymam, Iudas Thaddæus Mediam, Mesopotamiã, Pontum, & cum Simone fratre Persidẽ in sortẽ prædicationis accepere: nulli labori parcentes, nullum vitæ discrimen

deuitantes, dum communi omnium saluti consultum volũt. Neque tyrannorum minis nec supplicijs deterriti sunt, ne Christi nomen vbique circumferrẽt. Sic in omnem terram exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum. Sic habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Meritò igitur illi sedebunt super thronos cum Christo iudicantes. qui nunquam cõquierunt, Christum annuntiãtes. ibidem.

De Ambrosio Episcopo.

Inter apostolicos autem viros Ambrosius Episcopus eruditione, ingenio, ac diligentia in prædicando ita præstitit, vt facilè persuasum sit, non commẽtum fuisse, quod de illo quondã iactatum constat, ob os scilicet eius in cunis iacentis volitasse apum examen, stridulo tinnitu eloquij futuri suauitatem portendens. hic Aurelium Augustinum Manichæa hæresi tabescentem suis prædicationibus purgauit, sanimque reddidit. Qui iam catholicæ fidei disciplinis eruditus, omnium tandẽ hæreticorum dogmata certissimis destruxit argumentis, nostráque confirmauit, obscuraque in Scripturis declarauit, & ab ijs quæ dubia erant, ambiguitatem sustulit: religiosis viuendi præcepta dedit: nemo in disserendo acutius vidit, melius explicauit. Quid multa? vnum tunc hominem conuertit Ambrosius: sed in vno homine totũ penè terrarum orbem doctrina illius radijs illustratum recepit. Qui enim docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. ibidem.

De Antonio Abbate.

Abbatem Antonium aliquando ad hæreticos conuincẽdos relicta solitudine Alexãdriam venisse legimus. Intermisit ergo eremi quietem, dum ad bellum egreditur, contra illos pugnaturus, à quibus catholicæ fidei murus quatiebatur.

Universidad de Deusto

Accesserunt quidam Philosophi quasi rusticano homini & literaturæ ignaro illusuri: verum vbi loquentem audissent, demirati verborum vim, sententiarumque grauitatem, veritati ab eo prædicatæ adhæserunt: & cuius corporis habitum paulo ante subsannauerāt, scientiam amplexi sunt, Christo credentes. Nesciebāt vtique sub terra latere aurum, & interdum sub vili panno habitare scientiam. ibidem.

De Regulo Episcopo.

Regulus Episcopus Ioannis Apostoli discipulus in Gallia cælestis frumenti granum oppidatim disseminat, & plurimis baptizatis, fructum vberrimū in horreis Ecclesiæ recondendū cogit. Cæterum cum apud quēdam vicum in magna virorum ac mulierum celebritate suggestum concionaturus ascendisset, ranarum è proximo lacu coaxantium strepitu præpediebatur, ne commodè audiri posset. Igitur vt silerent, imperauit, atque ex illo die etiamnum lacum illum ranis quidem refertum, sed nullam earum vocalem esse asseuerant. Quid mirū, si homines eius doctrinam sequuti sunt, cuius iussis irrationale animal obedit? ibidem.

De Patritio Episcopo.

Patritius Episcopus in partibus prouinciæ Scotiæ Christi fidem euangelizasse primus dicitur: qui cum per Hibernia iter faceret, & se prædicationibus nihil proficere videret, Deum precatus est, vti ostento aliquo hominum illorum duritiem cōmoliret, quo ab erroribus iam tandem resipiscerent, & ad religionem veram conuerterentur: diuinitus admonitus, humi circulum designauit, atque inibi, terra penitus subsidente, hiatus ingens apparuit, magnúmque omnibus iucussit terrorem, ne in profundū acti pœnas iam incredulitatis darēt. Hunc hiatum adhuc extare ferunt, & occulto quodā sinuosóque meatu ad nescio quæ Purgatorij loca deducere. Id vtrùm verum sit scire nihil nostra refert: credimus enim Purgatorium animarum alicubi esse, etiamsi ibi non sit, magísque illud nunc cōsiderare expedit, quanta hic sanctus humanæ salutis cupiditate flagrabat, cui non satis fuit verbis docuisse, nisi etiam miraculorū terrificationibus quod docuerat, credere cogeret vel inuitos. ibidem.

De Seruatio Traiectensi Episcopo.

Seruatium Traiectensem Episcopum hac Spiritus sancti gratia dotatū fuisse ferunt, vt prædicantem audientes alienigenæ diuersæq; nationes, vnaquæque sua lingua loquutū putarent, nihil non intelligentes quod ab illo esset prolatum. ad hæc tot miraculis claruisse dicitur, ita purè sanctéque vixisse, vt prædicatione, virtute, moribus ad perfectionem Apostolorū maximè accessisse videatur. Igitur vitæ sanctimonia præstet oportet, qui præstare cupit prædicandi doctrina, operationéque signorum. ibidem.

De Hiuone presbytero.

Hiuoni presbytero ad prædicandum eunti fluuius non modico incremento ponti superfusus viam intercluserat, mox in sese collectus, ac subsidens, veluti veritus tam salubrem operā remorari, transitum præbuit, rursúmque pontem operuit aquis. huic simili miraculo olim Leuitis arcam ferentibus Iordanis ad fontem reuersus, aridum cessit iter: sed qui illos sequuti sunt, in terrā Promissionis peruenerunt: qui verò Hiuonem, in cælum ascenderunt, alterum legi, alterum Euangelio datum. ibidem.

De Eadmundo Cantuariensi Archiepiscopo.

Eadmundus Cantuariensis Archiepiscopus, cùm in Gallia apud Vigorinā vrbem sub dio prædicaret, & populus imminentem supra se atræ nubis cōtractionem cernens, pluuiam ti-

meret, dilabique sub tecta pararet, ne dubitarent præcepit, & imbri, ne verbum Domini impediret, iussit. Magna vis aquarum circa eos, qui ad audiẽdum cõuenerant, in terram defluxit: nullum tamen ex tanto hominum numero attigit. Et pauor pariter ac pudor omnes cepit, nolle illius præceptis obedire, cui insensibile elementum paruisset. Itaque non sine melioris vitæ proposito finita prædicatione abierunt: multi dum commissa deflerent, lachrymis madidi, pluuia nemo. ibidem.

De Dominico Prædicatorum patre.

Dominicum ordinis Prædicatorum futurum institutorem præsagiis quibusdam antè monstratum fuit. Mater eo fœcũda catellum se peperisse somniauit, qui faculam mordicus arreptã præferens, mundum incendere videbatur. Eodem iam nato, cuidam non ignobili matronæ visum est, stellam fronti eius insedisse, cuius fulgore perinde ac solaribus radiis totus terrarum orbis lucescebat. breui ergo effectum est, vt ab eo plurima euangelizantium turba per omnes ferè prouincias nationesq; diffunderetur, passimq; discurreret. Sic ille ardẽtis prædicationis facibus mundum succendit, sic doctrinæ spiritalis luce illustrauit. ibidem.

De Vincentio Monacho.

Eius itaque collegij vir nominatissimus Vincentius tantum prædicatione valuit, vt in Hispania quinque millia Iudæorũ ad Christum dicatur conuertisse, in Mauritania octo millia Sarracenorum, in vrbe quoque Granata docuit infideles donec à Rege eiectus, ad suos rediit inuitus: Italiã etiam Galliámq; prædicando peragrauit, nec labore victus, nec periculo deterritus, dum ad æternæ salutis beatitudinem adipiscendam omnes inuitat, illud in Psalmo Prophetæ promissum implens, Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. ibid.

De Francisco Minorum patre.

Minorum verò pater Franciscus etiam illud exequutus videtur, Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Sic enim hominibus prædicauit, vt mundum repleret monasteriis: sic auibus, vt ad audiendum dociles intentæq; silentium tenerent, ac se manu ab eo contrectari non formidarent. illos, vt piè religioséq; viuerẽt, hortatus est: has tantùm vt Creatorem suum laudarent, cuius beneficio pennas haberent ad volatum, vocem ad cantum, fructus terræ absque omni vel serendi, vel metendi labore ad alimentum, vitæq; sustentationem. Quo hũc amoris studio eos, quos ad fruendam beatitudinem genitos nouerat, docuisse dixerim, si etiam irrationabilia, quantum illis conueniret, monere non neglexit? ibidem.

De eodem.

Item apud castellum Gallinarium prædicans, hirundinibus multiplici garritu obstrepentibus silentium imperauit, nullâque deinde, quam diu ipse verba fecit, ne minimum quidem sonum aut susurrum edidit. Et quisquam tam imprudens est, vt dubitet Spiritum sanctum per os eius loquutum, cùm etiam bestiæ interdum præter naturæ suæ vsum, quod loquutus est, intellexerint, & quod iusserit, obediendo peregerint? ibidem.

De Antonio Hispano.

Antonius Hispanus huius ordinis vir sanctitate percelebris, cùm apud Forumiulij moram traheret, prædicare verbũ Dei iussus, imperitiam excusabat, nunquam anteà eiusmodi declamationibus vsus. Verumtamen iussioni maiorum obtemperans, talem fecit sermonem, qualis exercitatissimo tribui potuisset. exinde prædicationibus operam dare cœpit. Cúmque aliquando de cruce Domini nostri Iesu Christi verba faceret, patrem Franciscum, qui viuus adhuc alia in prouincia longè sepositus degebat, propè adstare in aere vidit, nutu confirmantem omnia, quæ ab ipso dicebantur. Ad tam sublime Euangelizandi munus non

Universidad de Deusto Biblioteca

nisi per humilitatis gradũ ascendit: hoc est, dum se eo indignum reputat: & tamen quod iubebatur obediẽdo experiri nõ recusat, sed & tunc confitens ac dicens, Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me. ibi.

De Bernardo Clareuallẽsi Abbate.

De Bernardo Clareuallensi Abbate traditũ est, quòd mater eum editura, antè in quiete vidit se catellum in vtero latrantem habere: id interpretatum est, eam diuini verbi præconem egregium parituram. quã sanè interpretationem minimè falsam fuisse euentus docuit. Quanti enim hic sanctus in dicendo ingenij industriaque fuerit, quantæ in exhortando virtutis, eius scripta, quæ in manibus habentur, indicio sunt, quæ quoties legimus, toties dicere occurrit, Argentum electum lingua iusti. ibid.

De eodem.

Hic cùm aliquãdo inter prædicandum sibypse placere cœpisset, ad inanem gloriam inani suggestione allici se animaduertens, aduersus dæmonem protinus inclamauit: Neque per te maligne spiritus prædicationem hãc inchoaui, nec per te finiam: hoc repetens & arrogantiam cauit, & conseruauit humilitatem. Ex quo satis patet, quantum illi reprehendendi sint, qui suis prædicationibus inanem tantum laudationis humanæ fucum captant, seque doctos dici malunt, quàm docere: quandoquidem disciplinis non ita necessariis occupantur, dum docent, dilatantes phylateria sua, & magnificãtes fimbrias: ita sanè, vt qui audiunt, mirentur magis, quàm discant. ibid.

De Æquitio Abbate.

Æquitius apud Valeriam vrbem Abbas, postquam scalpello sibi quandam linguæ rubiginem ab Angelo leuari vidit, ab eodem iussus est ad prædicandum egredi. diuersa igitur peragrauit loca, passim Euangelium prædicans, ac se sacrisque codicibus iumento impositis, iter faciens. Accusatus autem quod nulla Apostolicæ sedis autoritate prædicationis officium exerceret, Romam citatur: & dum eò proficisci pararet, interim Pontifex per somnium exterritus, rursum illi, ne venire fatigaretur, permuntios iussit: simulque opus, quod cœperat facere, pergeret: quandoquidem id faciendi facultatem non ab hominibus, sed à Deo accepisset. Spiritalis enim (vt Apostolus inquit) omnia iudicat, ipse à nemine iudicatur. ibi.

De Maria & Martha sororibus.

Hoc docendi genus Apostoli sententia interdictum fœminis est: Mulieres, inquit, in ecclesiis taceant. non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse: sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. turpe est enim mulieri loqui in ecclesia. Mariæ tamen Magdalenæ prædicatione Massilia Euangelium recepit Christi, & Marthæ sororis eius Rhodani accolæ. decuit solas Apostolatus fungi officio, & quæ cum Christo & viuente, & resurgente conuersatæ fuerant, quicquid de illo vel oculis conspexissent, vel ab illo auribus excepissent, fide certiore testarentur. Siquidem & ijs iure suo dicere licebat, Non possumus quæ vidimus, & audiuimus non loqui. ibidem.

De Obstinatis.

Illos tamen qui plus nimiò duri videntur, & deliquendi assuetudine iam occalluerunt, acrius increpandos esse, cùm Ioannis Baptistæ, tum Saluatoris nostri exemplo edocemur. dum enim Phariseos palàm arguerent, alter illos viperarum progeniem appellauit, alter hypocritas generationémque peruersam & adulterã dixit: & cùm in flagitiis obstinatiores esse vidisset, diabolos, non Abrahæ filios nũcupauit. ferrum enim ferreis malleis procuditur, cera autem (quoniã tenellæ naturæ sit) manibus formatur. Hinc Paulus Corinthios per Epistolam interrogans, Quid,

inquit, vultis in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? denotare vtique volens, quòd si adhuc in errore perseuerarent, quo subuersos fuisse rescierat, virga iam, non mansuetudine opus esse in castigando ibid.

DE POENITENtia peccatorũ, Nostrorum exempla.

De Latrone pœnitente & aliis.

POenitentiæ beneficio Latro de cruce ad paradisum euolauit, negator Petrus princeps constitutus est Apostolorum, persequutor Paulus vas effectus est electionis, Matthæus de telonio ad Apostolatum meruit vocari, Zachæus Iesum meruit accipere hospitio, & ille qui in templo lugens pectus pugnis percusserat, & flagitiorum conscientia cælum suspicere non fuerat ausus, rediit iustificatus. Nemo igitur tãtæ istorũ gloriæ, quãtã assequuti sunt, se participẽ fore diffidat, si ipsorũ imitatus fuerit pœnitentiam. Marul. lib. 4.

De Marcellino Pontifice Maximo.

Marcellinus Pontifex Maximus Diocletiano & Maximiano persequutoribus tormentorum immanitate perterrefactus, dijs thura posuerat. Postea in Campaniam discedens, corã LXXX. episcopis astitit, cilicio & cinere opertus, confitens peccatum sum, ac petens pro eo ab ipsis sibi pœnã indici, atq; decerni. Quibus arbitrium in præsidem recipere nolentibus, ipse in se sententiam tulit. Pontificatũ deposuit, corpori sepulturam denegauit, execrãs eos, qui ipsum non siuissent super terram putrescere, atque dissolui, & cõfestim Romã ad martyriũ est reuersus, vltrò exponens se suppliciis, quę modò expauerat: decollati cadauer insepultũ iacuit, timẽtibus Christianis violare Põtificis interdictum. Sed Petrus apostolus noctu apparens, Marcello presbytero illud iuxta corpus suum sepeliri iussit, dignũ esse asserens, vt qui secum peccauerat, secum fleuerat, secum recumbens honoraretur. ibid.

De Iacobo Martyre.

Iacobus quoque natione Persa, sed professione Christianus, dum inter Regis Persarum aulicos honori precipuo haberetur, ad exercendum idolorum cultum prolapsus est. Mox pœnitẽs grauiter animo angi cœpit: & cùm palam se Christianum esse, & deos vanos falsósque desticere diceret, ipsius Regis iussu supplicia pertulit, mẽbratim articulatimq; dissect°, inde alij denodatũ alij intercisum cognominãt: ego poti° Deartuatũ dicerẽ: nihil tamẽ refert, quo cognomẽto appellandus sit, sed magis cõsiderari decet, à quãta perditione per pœnitẽtiam liberatus, ad qualem peruenerit gloriam, vt inclytissimis Christi martyribus annumeratus sit. ibid.

De quodam Monacho.

Monachum, qui æger de Scythiotico cœnobio ad ciuitatem curationis gratia profectus, in multò grauiorem animæ suæ morbum inciderat, castitatem vertens in libidinẽ: cum puero, quem meretricio coitu sustulerat, reuersum, ac in omniũ fratrum conspectu scelus publicè confitẽtem miserabiliterque lugentem Moyses Abbas, & ipse flens excepit, atque dies aliquot cellæ carcere castigatũ in statum pristinũ ordinemque redegit: & is qui mortuus fuerat peccando, pœnitendo reuixit. Potuit quidẽ crimine, quod occultũ, erat, dissimulato, absq; rubore redire: sed maluit tunc manifestius fieri, & mundari, quàm postea in die iudicij multò cofusibilius detegi, multóque infelicius in igne illo inextingubili sine fine cruciari. ibidem.

De Victorino Episcopo.

Victorino Episcopo, dum eremũ incoleret, diaboli dolis, qui se fœminã effinxerat, capto tãto dolori fuit semel perpetratæ fornicationis crimen, vt manibus

in fissuram ligni impactis, herba cruda, & aqua frigida per triennium se sustentauerit. Post hæc miraculis insignis episcopatum Amiternensem suscepit, magnificeque rexit, & Neruæ persequutione martyrij triumphum reportauit. Magna pœnitentis angustia, magna post pœnitentiam Episcopalis dignitas: sed vtrisque maius deuicto persequutore victoriæ præmiũ. ibidem.

De Bonone.

Bononem in Gallia ex prædone Monachum factum accepimus: & qui in syluis viatores despoliare solitus fuerat, postea in monasterio cella inclusum vixisse, manus ac pedes vinculis ferreis onerasse, hordeaceum panem cinere mixtum esitasse, carne vinóque abstinuisse, cilicium pro stratu, lapidem pro puluillo habuisse. Sæpe dum laudes Deo caneret, eundem lapidem humeris sublatum tenuisse, quibus corporis fatigationibus grauissimorum quondam criminum reus catalogo ascribi meruit Sãctorum. ibid.

De Albano.

Albanum furore percitum patri necem intulisse constat, et peregrinationis perpetuæ labore parricidij crimen diluisse: & cùm martyrio consumptus esset, corporis eius tactu leprosos mundatos fuisse. Nemo igitur dicat, Maius est peccatum meũ, quàm vt veniam merear. nullum tam grande flagitium est, quod non deleat pœnitudo. ibid.

De Iuliano Hospitatore.

Iulianus cognomento Hospitator errore magis, quàm furore parentes interemit: cùm enim summo mane domũ reuersus, in suo vxorisque cubili dormiẽtes offendisset, putauit vxorem esse cum adultero: & educto repente gladio, ambos transfixit: vxor autem antequàm ille aduenisset, ad ecclesiã perrexerat: re tandem cognita, vbertim fleuit. vtq; commissi veniam promereri posset, relicta domo, prope fluminis ripam, vbi multi vado transeuntes deperibant, xenodoxium posuit, & viatores tecto accipere, & naui cula transuectare gratuitò cœpit: postremò Diuinitus dictũ sibi audiuit, quòd culpã eluisset hospitalitatis merito. parẽtũ ergo interfector per pœnitentiam factus est cæli habitator. ibid.

De Euagrio Presbytero.

Euagrium presbyterum eximiæ sanctitudinis virum, cùm eremum incoleret, nescio quod detractationis verbum semel protulisse tradunt: & pro eo ita se castigasse, vt dies quadraginta sub dio permanserit, nec prius tectum subierit, quàm se satis pro delicto fecisse cẽsuisset. Rectè igitur per Prophetam dicitur, Iustus cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam, vt scilicet pœnitendo resurgat, & resurgendo Iusti nomen nõ amittat. ibidem.

De Mauritio Andegauẽsi Episcopo.

Mauritius Andegauẽsis Episcopus, dum expectatur, donec missale sacrificium peragat, interim, quem baptizaturus erat, vita defunctum comperit, suaq; id negligentiæ imputans, vsque adeo doluit, vt relicta ecclesia, nauim conscendens, clàm effugeret, fortè Sanctuarij claues secum tulerat, quibus de manu in mare elapsis existimauit eo indicio se prorsus episcopatu indignum, atque inde iam proposuit, nũquam se in sedem suam reuersurum, nisi inuentas quis ad se retulisset: transmisso mari veste seculari indutus cuidam principi viro operam seruilem locauit olitor eius factus: septẽnio sic peracto, à clericis inuentus, & cognitus nolebat cum illis redire, propter clauium illarum casum, ipsi ergo (quas Episcopus requirebat) claues in medium proferunt (eas autem in itinere capto pisce & exenterato inuenerant) itaque iã manifestæ Dei voluntati contradicere non ausum, cum alacritate secum reducunt, quẽ paulò antè earundem clauium argumento in mari perijsse suspicati

fleuerant. Mauritium igitur ex Episcopo culpa seruum fecit pœnitudo: et post pœnitudinem vitæ sanctimonia extulit supra cælum: fama est, cùm reductus esset, quam primum ad pueri illius vrnam prostratum orasse, atque ipsum à morte suscitatũ Baptismo perfudisse, tãtam iam virtutem diuina cõtulerat pietas pœnitẽtis humiliationi. ib.

De Metrone Confessore.

Metronem confessorem (cuius corpus Veronæ positum venerationi habetur) cùm pœnitentiæ laborem subiret, compede ferrea se vinxisse traditum est, & clausem, qua nexus dissoluebantur, in Athesim fluuium proiecisse, atque orasse, vt tũc illam repertam conspiceret, cùm ipse omni culpæ labe purificatus esset. inde non post multos annos intra capti piscis ventriculum repertam, eique restitutam, sic illum compedem deposuisse, vitáque defunctum viuere in cælesti beatitudine cœpisse. ibid.

De Arnolpho Lothoringiæ Dynaste.

Arnolphus quoque Lothoringiæ Dynastes Caroli magni Imperatoris auus, cùm relicto dominatu Christo in solitudine seruisset, auulum suum in fluuium Mosellam iactauerat, tũc se pro delictis Deo satisfecisse crediturus, cùm ille repertus, sibi redderetur. Postea Metensis Episcopus electus, cùm diu Ecclesiam optimè rexisset, allatus est ei piscis, in cuius intestinis inuento anulo, Deo gratias egit: nec tamen pœnitentiæ rigorem remisit: quinimo remisso episcopatu, eremum repetijt, & ad solitudinis angustias reuersus, diem suum obijt: nunc amplitudine fruitur paradisi. Si quis autem miretur, quomodo aquatile animal vel claues illas, vel anulum hunc deglutierit, cùm eiusmodi cibis non vescatur, legat in Euangelio didrachmam quoque in ore piscis inuentam, & vtrunque diuino factum nutu, nihil dubitet: quippe alterum procuratũ est, vt haberet Petrus, quo pro se & Domino

tributum solueret: alterum, quo isti se solutos à peccatis agnoscerent. ibidem.

De Antonio Abbate Alexandrino.

Antonio Abbati Alexandrino in Spiritu visum legimus, aliquando se ab Angelis in cælũ ferri: & dum ferretur, malos dæmones iter impedire conatos, obijcientes ea, quæ olim ipse in seculo viuẽs commiserat: sed ab Angelis repulsos asserentibus ea omnia monachali professione deleta esse, nec quicquam deinde superextare, quod ab ipso perperã factum argui posset. hoc modo ipsum Satanæ molestia liberatum cælos ascendisse, et rursum redisse ad terram. ib.

De Ioanne Apostolo.

Sanctis viris maximæ semper curæ fuit, vt peccãtes trahe rent ad pœnitentiam: quoniam & sine illa infelices, & per illam beatos fore non ignorabãt. Ioãnes Apostolus (vt quidam tradunt) peregre proficiscens, iuuenem conuersum apud Episcopum reliquit: & vt grande quoddã depositũ custodiẽdum, cõmendauit. at cùm redisset, illum decessisse comperit, & commeantium itinera subsidẽdo latrocinari, statimque conscenso equo, perditã ouem solus quæsitum abijt: sed ille venientem conspicatus præ pudore equum insiliens, fugere cœpit. insequi verò Apostolus, & succlamare, vt patrẽ expectaret, qui pro filio Deo rationẽ reddere paratus esset, si secum modò reuerti vellet. Cõmotus tanta Apostoli solicitudine iuuenis, atque erga se pietate substitit, pœnitentiámq; egit, et de latrone tãdem Episcopus fieri meruit. ib.

De Andrea Apostolo.

Andreas Apostolus cuiusdam Nicolai iam senis fornicãdi incontinentiam vehementer dolens, ab hora tertia ad nonam Deum pro illo cum lachrymis obsecrasse dicitur: deinde cùm etiã inedia se cõficeret, die tandem quinto de cælo sibi à Domino dictum audisse, Tua opera, ò Andrea, Nicolaum, quem amiseram, inueni. Quotus quisque, qui sic suũ lugeret delictũ, vt Apostolus alienum? ibid.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Mutio Abbate.

Mutius Abbas cuidã iam animam agenti, Deum precatus triũ annorũ spatiũ ad pœnitẽtiã impetrasse dicitur, sanũq; secum ad eremum duxisse: & ille cùm triennium peccata sua luxisset in vigiliis, ieiuniis, obsecrationibus, decessisse securus. Et cuius ope vitæ terminum protelauerat, eius & manibus sepultus, in Domino quieuit. ibidem.

De Ægidio Arelatensi Abbate.

Ægidius Arelatensis Abbas, dum missam celebrans pro quodam Regis Caroli delicto, quod nulli confiteri ausus fuerat, precaretur, schedulam super altare reperit, in qua reuelabatur peccatum, & Abbatis merito venia concedebatur Regi, si modò ille se peccasse doluisset. hinc patet quantum proficit peccatoribus iustus precator, vt penè desperantibus eius oratio saluti sit. ibid.

De Odilone Cluniacensi Abbate.

Siquidem & Odilonis Cluniacẽsis Abbatis monitis quidam ex prædone Monachus factus, dum vita decederet, beatam Virginem sibi apparuisse dixit iubentem, ne timeret, eo quòd Odilonis meritis ipsi peccata omnia remissa essent. Fecit itaque magistri sanctitas, vt discipulus diem suũ securior obiret. ibidem.

De quodam pœnitente.

Antonius ordinis fratrum Minorum, sed ipse magnæ virtutis vir, cuidã confitenti, quòd ira concitus patrem calce ferierat, calcem illam abscidi dignã dixit, sed ille pro peccato apponi ratus, domum abiens, pedem sibi amputauit. Postea reuersus, cur claudicaret cùm ab eodem rogaretur, Impleui, inquit, quod dignum iudicasti. Obstupuit hominis patientiam Antonius, ac simplicitatem, qui seruandum sibi duxisset, quod inerepationis causã dictum fuerat. Et pro illo Deum precatus mẽbrum, quod mutilatum erat, integrum atque vtroque pede ambulans abijt, qui vno venerat. Profectò qui sic doluit se patri irrogasse iniuriam, dignus fuit & pro quo oraret Antonius, et cuius misereretur Deus: nec tamen laudamus pœnitentis factum, sed ex facto pœnitẽtiam pensamus, cui quod simpliciter credidit, feliciter cessit. ibidem.

De Piamone.

Piamon in Scythiotico monasterio spectatæ sanctitatis presbyter, dum missæ sacra conficeret, Angelum Domini vidit, qui Monachorum nomina in codice partim scriberet, partim scripta deleret. Visã ergo Monachis explicans, eos peccato obnoxios comperit, quorum nomina subduci vidit: ac tandiu cũ illis lugens, veniam orauit, donec iterum apparens Angelus, etiam illorum nomina conscriberet, quorum antè deleuerat. illi itaque quantum mœroris prius conceperant, tantùm deinde lætati sunt, cùm post pœnitentiam se conscriptos in cælis, ac in libro vitæ repositos agnouissent. ibidem.

De Theophilo presbytero.

Et hoc sanè quod modò dicemus exemplum, magnæ erga pœnitentem misericordiæ indicium est. Theophilus presbyter in Sicilia ab officio archidiaconatus per iniuriam eiectus, diabolo chirographum confecerat, quo se illi tradebat, Christo repudiato, si modò per illum dignitatem amissam recuperasset: cúmque pristino honoris loco restitutus esset, ad se rediens, vehementer animo conflictari cœpit, & ad beatam Dei genitricem Mariam virginem conuersus, auxilium cum lachrymis implorare. Igitur diebus quadraginta in luctu iugíque supplicatione peractis, apparẽs Virgo mœstum consolata est, salutẽ sperare iussit: ac post triduum iterum apparens, peccatum ipsi dimissum nũtiauit. Atque ille, ne tanta Dei erga peccatorẽ

Universidad de Deusto Biblioteca

pœnitentem pietas lateret, publicè in ecclesia peccatum suum confessus, visa enarrauit, ac deinceps ita sanctè vixit, vt miraculis nobilitatus sit. ibidem.

De Petro Apostolo.

Petrus negationis culpam amarè fleuerat, & tamen idem impetrata venia, & clauibus regni acceptis, & summi pontificatus officio sibi delato, post Domini ad cælos ascensum vix vllo die à lachrymis temperasse dicitur: atque ad eas identidem siccandas lineum linteolũ de manibus nũquam dimisisse. ibidem.

De Francisco Minorum patre.

Francisco Minorum patri plorandi assiduitas hebetauerat visum: & cùm oculis parcere moneretur, respondebat, haud esse tanti ipsos corporis sensus, vt eorum causa lãguescere debeat deuotæ mentis vigor: qui certè suspiriis alitur, & per lachrymas sibi ad Deum accessum parat. ibidem.

De Magdalena.

Mulier illa de Euãgelio peccatrix in aliena domo quæsiuit Saluatorem, quoniam in sua nõ habebat. nõ enim habitat Deus in corpore subdito peccatis. Conscientiæ ergo stimulis acta, illuc, vbi Iesus accubuerat, irrupit: accessit retro, & pedes eius lachrymis rigauit, capillis tersit, osculata est, vnguento perfudit, condonantúrque ei peccata multa, quia dilexit multũ: aduenerat peccatrix, & pœnitudinis humiliatione abijt sancta: denique dimittitur in pace, quam turbauerat dolor vitæ nequioris. ibidem.

De Monica Augustini matre.

Pij quidem fletus quanta vis sit, Monica etiam Augustini mater testatur, cui pro filio Manichæa hæresi implicato multùm lugenti, atque oranti Diuinitus dictum est, vbi ipsa, ibi & illum futurum. Ab episcopo etiam, quem, vt pro illo oraret, cum fletu rogauerat, audiuit, fieri non posse, vt tantarum lachrymarũ filius periret. Qui tãdem Ambrosij episcopi prædicatione conuersus, non solùm errorem omnem abiecit, sed etiã errantibus viam veritatis mõstrauit, obscura quæque declarando, dubia edisserendo, certa confirmando, praua falsáque omnia plenissimè confutando: tantùm profecit matris pro filio lugentis assidua solicitudo. ibidem.

De Maria Ægyptiaca.

Et quoniam maius peccatum maiori indiget animaduersione, Maria Ægyptiaca prostibuli voluptatem cum eremi asperitatibus commutauit, & Deũ quem carnis castigatione placauit, XL. annos in deserto vixit, quia fortasse tãtundem tẽporis in obscœnitatibus vitæ cõsumpserat. Antea se ornauerat, vt hominibus placeret: tũc nuda incessit, vt placeret Deo. Antea lasciuis cantibus & delicatis epulis indulserat, tunc assiduis precationibus quotidianisque se fatigauit ieiunijs. hoc itaque XL. annorum labore ad æternæ quietis peruenit felicitatẽ, tantúmque boni percepit pro pœnitentia, quantum perceptura erat mali pro obstinatione, si pœnitere noluisset.

De Pelagia Atiochena.

Pelagia etiam illa, quæ cunctas Antiochiæ fœminas diuitijs, luxuria, libidine superauerat, Nonij Heliopoleos episcopi prædicatione cõuersa fleuit, peccata confiteri cœpit, & non Pelagiam se, sed Pelagus omnium vitiorum vocitandam esse dixit. denique seruos suos & ancillas manumisit, opes pauperibus distribuit, & relictis omnibus, in monte Oliueti solitaria concedit, sexum veste, nomínéque occultans, dicta atque credita Pelagius Monachus. Tãtũ itaque vitæ austeritate profecit, quantum antè effluxerat delicijs. Sic pœnas effugit inferni, & gaudia comparauit paradisi, summúmque bonum summi mali declinatione inuenit: inuento, sine fine fruitura. ibid.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Thaide Alexandrina.

Thais Alexandrina Pannucij Abbatis industria atque exhortatione ad pœnitentiam conuersa, omnia, quæ sibi meretricio quæstu parauerat, in foro congesta, populo spectante combussit, eiusdémque Abbatis cõsilio fœminarum monasterium ingressa, cella se inclusit, lugens peccatum suum, pane tantùm & aqua vitam sustentans, ipsúmque Dei nomen proferre nõ ausa, orabat, dicens, Qui plasmasti me, miserere mei. In tali labore triennio exacto, Paulus Antonij discipulus in quiete vidit supra cælum positum cubile auro gemmísque refulgens, arte ineffabili ac decore costructum: & cùm rogasset, an illud Antonio esset paratum, accepit non Antonio, sed Thaidi meretrici. Educta ergo de cellæ carcere quintodecimo die migrauit ad Dominum, & cælestem thalamum feliciter possedit, quia terrenum & impudicum aliquando possedisse dolenter tulit. ibidem.

De Aurea virgine Parisiensi.

Sed & virginum lampades extinguentur, si pœnitẽtiæ oleũ in vasis suis habere neglexerint. Aurea virgo Parisiensis monasterij præposita, quoniam inter missæ solennia diacono Euãgelium ineptè admodum legenti stolam eripiens, ipsa sibi apponere, & eius officio defungi ausa fuerat: semet arrogantiæ accusans, dignitatem deposuit, annósque septem à cella sua non discessit. Ibi etiam sedile sibi faciendũ curauit, cuius pars, quæ humero tenus considentem hemicyclo amplexabatur, in summo clauorum cuspidibus, ad Psalmorum numerum dispositis, horrescebat. in ea sedili illa, cùm psallere vellet, sese collocabat, & dextro lateri innixa, quinquaginta Psalmos perlegebat, sinistro totidem, & totidem in tergo resupinata, puntentibus quaque versum ferreis aculeis. Dum ergo paulò insolentioris facti eam pœniteret, sponte passa est præsidentiæ depositionem, cellæ carcerem, legendi laborem, sedendi dolorem, ad hæc quotidiana ieiunia noctésque peruigiles. hinc saltẽ discãt ij, qui alijs præsunt, quali pœnitentia expiari debeant, si deliquerint. Quia multũ quidem imputandum est illi, etiam cùm leuiter peccat, à quo reliqui viuendi exempla petunt. ibidem.

DE DIGNITATE, sacerdotali, Nostrorum exempla.

De Anacleto Pontifice.

ANacleti Pontificis Epistolam extare ferunt, qua præcipitur, summumac præcipuum honorem presbyteris à fidelibus deferendum. Nõ solùm igitur presbyterum offendit, qui digne non honorat, sed etiam Pontificis edictum negligit, atque contemnit: & cũ gemini criminis reus existat, alteras irreuerentiæ, alteras inobedientiæ pœnas dabit: si modò pœnitentiam non egerit: & correctus tantò deinde ministros Dei coluerit submissius, quantò erga eosdem insolentius se gesserat peruersus. Marul. lib. 3.

De Constantino Imperatore.

A Constantino quoque Imperatore legem editam tradũt, qua decernit plus honoris deberi homini in sacerdotali dignitate constituto, quàm vlli alij vel domino, vel regi. Certum enim esse, in illis honorari Christum, qui vicem Christi in terra gererent, non in illis, qui imperarent terræ. Solis autem Apostolis, quorum locum sacerdotes tenẽt, à Domino dictum esse, Qui vos recipit, me recipit: et qui me recipit, recipit eum, qui me misit. ibidem.

De Martino Turonensi Episcopo.

Iure igitur Martinus Turonensis Episcopus à Valentiniano Imperatore inuitatus, cùm multis principibus viris vnà

recũbẽtibus primus poculũ accepisset, in quo circũferẽdo (sicuti tunc mos erat) honoris ratio diuebatur, eo gustato, presbytero suo post se hauriendum porrexit, neminem ex omni illo conuiuarũ numero digniorem decernens, cui secundum honoris locũ daret, nẽ ipsum quidẽ Valentinianum Augustum. ibid.

De Valentiniano.

Idem Valentinianus cùm aliquàndo adeunti se Martino nõ assurrexisset, atq; etiam rem quandam petenti subiratus repulsam daret, statim flamma à solo sursùmuersus emicante, assurrexit inuitus, & miraculo perterritus petita concessit, multóque deinde honore afficere Episcopos pariter, & presbyteros cœpit, liquido iam perspiciens, terrenam dignitatem diuinæ cedere debere, & sacerdotio præditos, æquum esse etiam ab Imperatoribus honorari. ibidem.

De Theodosio Augusto.

Propterea quidem & Theodosius Augustus, quoniã iratus in Thessalonicenses, supra quàm quod iustum æquúmque esset, animaduerti fecerat, Mediolani ab Ambrosio Episcopo ecclesiæ aditu prohibitus, palámque reprehensus, patienti animo pertulit, & commissum confitens, pœnitentiam egit. Vide quanta est sacerdotis authoritas, qui tanto principi publicè insultare non dubitauit, & cui tantus princeps populo inspectante cedere non erubuit. ibid.

De eodem.

Idem cùm Paschali quodam die ecclesiam ingressus, intra chorum consedisset, audiuit non eum locum purpuratorum esse, sed sacerdotum: iubentiq; Ambrosio, vt inde recederet, obediuit. Post hæc Constãtinopoli ad ecclesiam veniens, vt in choro sessum accederet, à Patriarcha inuitatus, nequaquam acquieuit, magis Ambrosij sententiam sequens atque probans, qui ne Imperatores quidem sacerdotum confessione satis dignos iudicauit. ibid.

De Antonio Ægyptio Abbate.

Antonius Ægyptius Abbas virtutibus & miraculis vbiq; clarus, ipsos presbyteros ac sacerdotes in summa veneratione dicitur habuisse, solitúsque eisdem caput submittere, benedictionem sibi captare, & pro magno beneficio ducere, si accepisset. profectò tam sanctus vir haud quaquam tãti sacerdotalem benedictionem fecisset, nisi per eam sanctiorem se fore cognouisset. benedici à sacerdote voluit, vt benedici mereretur: adeò non in sola vitæ suæ integritate confidens, verùm etiam aliunde spiritalia sibi subsidia comparans. Nam & palmes ille in Euangelio quanuis fructuosus atque fœcundus, adhuc tamẽ purgatur, vt fructus plus afferat, & prouentu in dies lætiore copiosius exuberet. ibid.

De Francisco Minorum patre.

Fratrum quoque Minorum institutor ac pater Franciscus, licet omni sanctitatis genere præstiterit, non minimum in hoc laudatur, quòd maximo semper honore sacerdotes prosequutus sit: dicere solitum tradunt, si cui Sanctorum è cælo in terram lapso, & cum illo simul sacerdoti fortè occurrisset, prius se sacerdotis manibus osculum daturum, deinde reuerentiam facturum Sancto. Plus quidem se debere illi significans, à quo ministrante sacratissimũ Christi corpus acciperet, quam illi, quem iam cum Christo regnare nosset. Quanta autem res esset sacerdotium, in eo ostẽdens, quòd se indignum illo iudicans, nunquam promoueri passus sit, solóque diaconatus officio contentus, quoad vixit fuit. Cogitent nunc sacerdotes, qualis eos deceat perfectio, si Franciscus suã non sufficere credidit. ibid.

De Ioanne I. Pontifice Maximo.

Ioannes I. qui Hormisdæ in summo Põtificatu successit, Cõstãtinopolim versus pergẽs, cum

Corinthum diuertisset, equum ei, à quo commodatum acceperat, restituit. Hoc equo, quòd inter alios mansuetior esset, vti solebat vxor eius, qui commodauerat. Post hæc verò cùm ille conscendere vellet, ferocire equus, ac veluti effrænis, & indomitus circumagere sese, nec omninò pati, vt cuius dorso Pōtifex iam sedisset, mulier sederet. Cuius rei non mediocris admiratio tum ipsam, tum virum cepit, seq; illo equo deinceps indignos iudicantes, eum Pontifici, cui prius commodatò concesserant, muneri obtulerunt. Docuit iumentum quod homo ignorabat, non solùm Ecclesiæ Antistitis personam esse honorandam, sed etiam locum, in quo constiterit, atq; adeò sedem ipsam, in qua se aliquando collocarit. ibidem.

De Marcellino Anconæ vrbis Episcopo.

Marcellinus Anconæ vrbis Episcopus, cùm podagræ morbo fractus ac debilitatus incedere pedes non posset, gestari se iussit, & contra incendium, quo vrbs ipsa conflagrabat, deponi. Mira res, ad illum vsque flamma perueniens, retrò cedere cœpit, paulatimque vanescens, sæuire desiit, & sopita defecit. Quòd si ignis, id est inanimale elemētum, sacerdotij virtutem sensit, atque refugit, quis tam impudens est, vt eandem reuereri, eidémq; sese inclinare subijcereque contemnat? ibid.

De Maria Ægyptiaca & Zozima abbate.

Mariam Ægyptiacam Zozimas Abbas in deserto orantem corpore supra terram attolli vidit, supra aquas Iordanis ambulantem non mergi: & stupefactus congenuare ante illam reuerentiæ gratia voluit. At mulier sacerdotalē in ipso dignitatem animaduertens, nō permisit: sed econtra honorem, quo se indignam censuit, ei detulit: maius quiddam existimans sacerdotem esse, quàm miracula facere: imò omnibus miraculis mirabilius iudicans, ex pane & vino corpus & sanguinem Christi, quòd solis sacerdotibus est datum. ibid.

De Sacerdotum potestate

Ad hæc ligandi soluendique potestas eis tribuitur, prædicationis officium gubernandæq; Ecclesiæ regimen committitur: & vt credentes expiationis lauacro cæterisque diuini instituti sacramentis ad cælestem beatitudinem adipiscēdam idoneos reddāt, mandatur. Ipsi sunt sal terræ, ipsi lux mundi, ipsi ciuitas supra montem ædificata, ipsi lucerna super candelabrum posita, & lucens omnibus, qui in domo Dei sunt: ipsi ab Apostolo dicuntur genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: denique stellarum, Angelorúmque vocabula in Apocalypsi promerentur. Et in Psalmo audiunt sacerdotes, Eius induam salutari, & sancti eius exultatione exultabunt. Hæc sunt igitur, quæ sanctus Propheta Dauid suspiciens, & admirās clamat, Mihi nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Hæc & nos certè mouere debent, vt illos præcipua, & singulari quadam veneratione afficientes, quicquid honoris, quicquid officij in eos contulerimus, in Deum contulisse arbitremur, & Deo præstitisse. ibid.

Cæterùm & sacerdotes ipsi videant, vt quantùm autoritate atque honore reliquos mortales antecesserunt, tantùm & virtutibus præstent. Cui multum donatum est, multum ab eo exigetur. Quòd si ijs, qui semel in anno sacrosanctam Communionem de manu sacerdotis accipiunt, vt se prius probent, præcipitur, & sic de pane illo edant & de calice bibant: quātò magis debet probari viuéque sincerius is, qui quotidie ad altare Dei accedit, & tam mirabile stupendúmque sacramentum verbis conficit, manibus contrectat, ore sumit, & sumendum quandoq; aliis porrigit. Castum igitur mente & corpore, præ omnibus pium, humilitate multa submissum, patientia firmum, puritate mun-

Universidad de Deusto Biblioteca

dum, sanctitate perfectum, omni denique virtutum odore præter cæteros fragrantem esse oportet sacerdotem, vt ei animo consentiat, cui corpore sic adhærere præsumit. Si enim castitatem illius consideres, virgo est, & virginis filius: si humilitatem, formam serui accepit, cùm esset Deus: si patientiam, opprobria, contumelias, verbera, necem sustinuit, vt nos saluaret: si puritatem, peccatum non fecit, & non est inuentus dolus in ore eius: si sanctitatem, sanctus sanctorũ est, gratia & veritate plenus: si perfectionẽ, nec augeri in illo, nec minui potest. Hic quippe est ille vnigenitus Dei filius, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. α & ω, principium & finis, Christus Iesus, cuius nomen super omne nomen, cui omne genu flectitur, cælestium, terrestriũ, & infernorum. In quem Angeli prospicere desiderãt. Quem cum Patre & Spiritu sancto simplicem inseparabilémque substantiam tremunt Archangeli, reuerentur Dominationes, venerantur Potestates, adorant Virtutes, Cherubim & Seraphim confitentur, omnis spiritus laudat. Ineffabile verbum, incircunscripta Deitas, incõprehensibilis maiestas sub visibili ista palpabiliq; specie ad te è cælo dignatur descendere. O sacerdos, cogita, perpende, examina quem te exhibere debeas, ne talis ac tantus Dominus à te inuitatus, ad te veniẽs, in te inueniat quod ipsum offendat. ibid.

DE SACROSANcta Communione, Nostrorum exempla.

De quodam Sacerdote.

Viterbij (quod oppidũ Piceni est) sacerdos quidam dum missam celebraret, hostiam sacram sumpturus, dubitauit essetne illa vera caro Saluatoris: & cùm de more manibus confregisset, cruor inde manare cœpit, ita vt album panniculum, quod corporale appellant, sibi subiectum magna ex parte inficeret: frustráque tentatum est, maculam illam elui aquis. atque ob miraculi fidem ipse in sacrario Viterbinæ Ecclesiæ adhuc seruari dicitur. Eam potissimè ob rem IIII. Vrbanus Pontifex (cùm fortè ibi adesset) diem corporis Christi festum constituit, qui peractis Pentecostes officiis, feria quinta proxima solennis est. Pontificis Maximi testimonio credat, annuæq; celebritati ab eo indictæ quisquis vel miraculo non interfuit, vel pannum sancto sanguine perfusum non vidit. Marullus lib. 4.

De Eduardo Anglorum Rege.

Eduardo Anglorum Regi sanctitate non minus, quàm regno celebri, dum missali sacrificio interfuisset, in manibus sacrificantis presbyteri Christum ea corporis forma, quam de virgine matre sumpsit, ferunt apparuisse: non quòd sanctus Rex quicquam de veritate sacramenti ambigeret, sed vt ambigentibus ipse cuius (verbis habebatur fides) visa prædicaret. Eo attestante crediderunt, quibus veritatem persuadere ratio nequibat. ibidem.

De beato Gregorio Pontifice.

In beati quoque Põtificis Gregorij vita legimus, cùm corpus Dominicum cuidam fœminæ sumendum offerret, quæ panes ipsos, quos ille consecrabat, facere consueuerat, incredula renuebat accipere, quòd diceret, nequaquam esse illud corpus Domini, sed panem, quem ipsa suis manibus formauerat, ipsáque coxerat. Tunc Pontifex ægreferens incredulitatem mulieris, orauit Dominum, & panis species versa est in speciem carnis. rursum orauit, atque vbi pristina sacramento facies rediit, credenti iam ac pœnitenti illi obtulit. Experimento credidit mulier, quod si absq; eo credidisset, multò maius fidei sibi meritum accessisset. Beati enim, qui non viderunt, & crediderunt. ibidem.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Maria Decegnies.

Mariæ cognomẽto Decegnies idem sacramentum pueri figuræ visum perhibent, dum sacerdos inter sacrificandum de more manus sustulisset. In quo hoc quoque mirum & ineffabile, quomodo eodem tempore aliam alij effigiem viderint, illa pueri, alij panis: illa quod erat, alij quod esse videtur, & non esse creditur. Cur autem ita ei, nisi ad summouendum scrupulum dubietatis, non ab ipsius mente, quæ sancta, & fidelis erat, sed illorum, qui dubitassent, si tantæ opinionis mulierem mentiri posse arbitrarentur? At quare non cæteris, sicut & ipsi vni puer apparuerit? vt scilicet credentes, quod non vident, videre mereantur quod credunt. ibidem.

De Hiuone presbytero.

Igitur haud temerè Hiuoni presbytero missam celebranti, dum sacram hostiam reuerenter offerret, igneus globus super verticem astitisse visus est. Quæres tantæ admirationi fuit, vt quod ipse manibus exulerat, iis etiam, qui prius dubitauerant, diuinum esse appareret, adorarentque deinceps in sacramẽto: non quòd viderent, sed quod esse crederent, Neque enim ad speciesillas visibiles dirigenda adoratio est, sed ad substantiam Christi quę sub ipsis occultatur. ibidem.

De Dominico Prędicatorum patre.

Sic nempe faciens Dominicus ille Prædicatorum pater, dum inter sacrificandum tãti sacramenti maiestatem secum cogitaret, nimio interdum stupore attonitus, exterius obrigescebat, interius ineffabiliter consolabatur. Quantus hic ergo, & qualis est, qui contemplatione sui totum occupat hominem, et manentem in corpore à corpore facit alienum? & nec sic profectò gloriam suam totam pandit, quam nec Angeli quidem comprehendere possunt, cum incircunscripta atque infinita sit. ibidem.

De Onophrio Eremita.

Et ne tã admirabilis sacramenti homines mortales tantùm ministros esse putemus, nonnunquam etiam ab excellentiore, hoc est spiritali creatura ministratum hominibus est. Ferunt Onophrium, in vasta Ægypti solitudine Deo seruientem, Dominico quoque die illud Angelo deferente acceptauisse, cum sacerdotis copiam procul ab humano cultu degẽs habere non posset. ibidem.

De Maioro Episcopo.

Maioro etiam Episcopo in Britannia Paschali die orãti Angelum ter apparuisse, térque sacram Communionem porrexisse prædicẽtem, quòd propediem decessurus esset. Sed qui tali vsus est ministro, tantóque donatus viatico, ad finem vitæ gratanter cucurrit, vt vitam, quæ finem nõ habet, inchoaret. ibidem.

De Marco Scriptore.

Marcus quoque Scriptor, apud Ægyptios ita cognominatus, quoniam curæ illi fuit Anachoretarum Ægypti vitas describere, cùm aliquando genibus prouolutus Eucharistiã à sacerdote poposcisset, apparuit manus eam sibi porrigens: nec dubitauit ille accipere, quod Diuinitùs offerri credidit. nec ambigitur quin Angelus fuerit, qui præripere ausus sit officium sacerdotis, maiorémque incussit hominibus reuerentiæ erga se metũ panis ipse Trinitatis, cùm tam mirabiliter etiam ab Angelis porrigi visus sit. ibid.

De Faustino & Iouita Martyribus.

Non minori admiratione dignum, nec minus ad huius sacramenti spectans dignitatem illud fuit, quod in vita Faustini & Iouitæ martyrum legimus. Hi nanque cùm secũdum militem Mediolani conuersum baptizassent, & Communione quoque membrum ecclesiæ facere voluissent, neq; haberẽt panem, ex quo sacramentum con-

ficerent, à columba alite rostro delatam accepere, eique sumendum porrexerunt, sacrum esse minimè dubitantes, qui sic asserebatur. Quoniam autē in columbæ figuram Spiritū sanctum apparere solitum Euangelia testantur, hoc ideo contigisse potuit, vt credamus, sicut credimus ibi Deum patrem, ibi Spiritum sanctum esse, vbi Filius est, cùm trium personarum simplex vnicáque substantia separari non possit. Quem ergo honorem toti Trinitati exhibendum censes, huic vni sacramento deferre ne dubites: non visibilem eius figuram tantūmodo oculis attendens, sed sub visibili figura inuisibilem veritatem alta mente contēplans. ibidem.

De Honorato Ambiacensi Episcopo.

Eiuscemodi autē honor quāti meriti sit, Honorati Ambianensis Episcopi exemplo disci potest, qui Missam celebrans, cùm ante se in altari attentius sacram hostiam considerasset, iam sumere volens, manibus cōtingere hæsitabat. Itaq; depictæ ibi imaginis Christi manu sublatā, sibiq; porrectam hausit, sumere non recusans, quod Diuinitùs dabatur. & certè dignum fuit, à Christo communicari, qui se tactu etiam eius indignum iudicauit. Non negamus & Iudam à Christo communicatum: sed quia irreuerenter simul, & impiè accesserat, post buccellā diabolo ad se aditum præbuit, & vitæ autorem inhonorans, mortis laqueo se infeliciter implicauit. ibidem.

De Tarsicio Martyre.

At non ita Tarsicius Martyr Romæ passus, qui cùm sacramentum hoc sub veste tectum ad quendam fidelem ægrotantem ferret, in impios Gētiles fortè incidens, quid sub veste haberet, quærentibus non indicauit, magisque ab his rei, quā ferebat, cōtemptum, quàm sibi necem timuit. Itaque illi fustibus cæsum interimunt: &

cùm exanimis vestimenta excussissent, sacramentū nusquam comparuit: ipsi autem lymphatico pauore conuulsi, diffugerūt. Non ergo licuit sacrilegis illud polluto contactu prophanare, cuius honorem Tarsicius vitæ suæ antetulit. Illi infidelitatis errore prolapsi, ad inferos corruerunt: hic armis eorum fortior, cùm martyrij palma cælum petijt, ipsum in sua ibi specie perpetuo, visurus, quem hic in aliena dignè coluit. ibid.

DE SACRAMENTI VTILITATE, Nostrorum exempla.

IN Actis Apostolorum legitur de illis, qui primi ipsis Euangeli Rātibus credidere. Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum & in cōmunicatione fractionis panis, & orationibus. fiebat autem animæ timor. Sicut ergo quotidie cælestem panem hunc illis gustare mos fuit, ita & cælestium desiderio flagrantes, assidui factores Verbi erant, non auditores tātùm, in oratione soliciti, in timore Dei humiles, in charitate feruentes: vnde sequitur, Omnes etiam, qui credebant erant pariter, & habebant omnia cōmunia. Ad tantam perfectionē quid quæso, illos adduxerat, nisi fides Christi & frequens Christi cōmunicatio? Quæ postquam à posteris desita est frequentari, vitæ quoq; integritas languere cœpit. Panis enim qui quotidianus fuerat, factus est annuus. ibid.

De Cassio Narniensi Episcopo.

Cassio Narniensi Episcopo (vt in dialogo Gregorius testatur) quotidie hoc sacrificium Deo offerenti presbyter eius retulit, dicens per visum sibi à Domino fuisse iunctum, vt ei diceret, Age quod agis, nec solitum opus intermitte: natalitio Apostolorū Petri & Pauli die venies ad me, recipiēsque mercedē. Ille itaque anno quidem septimo: sed tamen die quo prædictum fuerat, cùm missam

celebrasset, percepta Communione, vita decessit. beatus qui per quotidianam agni immortalis immolationem ad cœnam nuptiarum eius vocari meruit, celebritate æterna in cælo fruiturus, qua temporalem in altari nullo die intermisit. ibid.

De Liberali Heliodori Episcopi discipulo.

Liberalis Heliodori Attinẽsis Episcopi discipulus hunc vitalem cibum singulis Dominicis diebus percipiens, reliquos dies absque esu potúque peregisse dicitur. In fortitudine ergo cibi huius peruenit ad montem, qui Christus est: sublatus in cælum, cùm se de terris transferri postulasset. Quem enim sumendo assiduè cernebat per speculum & in ænigmate, ipsum iam facie ad faciem videre concupiuit. ibid.

De Banone clerico.

Banon quoque Gandauensis cœnobij clericus multa licet vitæ sanctitate præditus fuisset, cùm ægrotaret, noluit sine tam salutari viatico decedere, statimque vocari, qui illud sibi afferret, presbyterum iussit. Is verò, qui missus fuerat, viæ ignarus, ab Angelo ad presbyterũ vsq; perductus est, vt iã Angelos ei quãprimùm suffragari scias, qui domino communicari expetierit: cui Banon ipse communicatus, nunquam postea ab eo discessit, & nunquam discedet, receptus in paradisum. ibid.

De Ambrosio Mediolanensi Antistite.

Ambrosius item Mediolanẽsis ecclesiæ Antistes doctrina simul & sanctitate insignis, cùm è vita decederet, & communicari Domino exoptaret, sed fari iam non posset, mox Honorato Vercellensi presbytero Eucharistiam afferente, lætus accepit. Qui presbyter, vt hoc faceret, tertia iam vice vocatum se dixit, dum dormiret, neque à quo vocaretur, scire potuisset. Quid hoc est, nisi quia Christus fideles famulos suos absque se duce ad cæleste regnum transmigrare non permittit, ne viam aberrent, si ab ipso, qui veritas est, non continuò dirigãtur? ibi.

De diuo Hieronymo.

Et diuus Hieronymus diem agens extremum, sacrum Christi corpus dari petijt. Illud verò sumpturus de lectulo humi se deponi fecit, saccóque operiri. Tũc genibus prouolutus lachrymas fudit, pectus pugno percussit, & sic sanctam oblationem hausit, gestu habitúque se illa indignum contestans, illam tamen sibi necessariam hauriendo docens. ibidem.

De Eadmundo Cantuariensi Episcopo.

Quòd autem & intelligentiam piè sumentibus præstet, Eadmundus Cantuariensis episcopus testis est: qui die crastino de Trinitate disputationem initurus, noctu in somnijs vidit se sacramentum istud accepisse, columba offerente: & cùm manè in adiutorium venisset, præter spem magna omniũ admiratione disseruit. Siquidem illi tunc Spiritaliter communicauerat, qui Dei sapientia est, & Dei virtus. ibidem.

De Centumcellensi presbytero.

Hæc insuper immortalis & ineffabilis hostia, si in altari pro mortuis offeratur, maximo illis adiumento erit ad commissa in Purgatorij locis diluenda. Gregorius Pontifex refert quẽdam Centumcellensem presbyterum dum in thermis lauaretur, homini ignoto, qui tamen ipsi officiosius ibi inseruiret, panes aliquot referẽdæ gratiæ causa muneri obtulisse, illum verò noluisse accipere, quòd sibi eis opus non esse diceret vita hac iam defuncto, se enim loci illius dominum aliquando fuisse, & eo deinde labore expiare culpam ibi iussum. Quamobrem si sibi gratificari vellet, illos panes pro se cõsecratos Deo offerret. Quod cùm ille fecisset, die octauo ad thermas reuersus, homine non inuento, noxa absolutum agnouit. ille ergo primùm poscendo, deinde non comparendo, quanto

hoc sacrificium defunctis emolumento sit, patefecit. ibidem.

De Agathone Episcopo Panormitano.

Idem testatur Agathonem Episcopum Panormitanũ, cùm Romam versus nauigaret, ad insulam, quæ in Tyberis ostio est, applicuisse, & sacrificium missale obtulisse pro nauta suo Varica nomine, quem in scaphã descendentem, dum nauis plenis velis ferretur, rupto fune, in medio mari reliquerat, & fluctibus obrutum perisse putabat. cùm autem ad Romanum portum peruenisset, egressus in littore Varicam sibi obuium habuit: & vehementer miratus, audiuit, eum, dum scapham regẽdo, partim labore, partim inedia iam deficeret, obdormisse, et dormienti sibi visum à quodã panem accepisse, atque eo gustato, se refocillatum sensisse: deinde expergefactum nauigio iuxtà prætereunte susceptum, Romámque delatum: Rem ergo curiosius exquirens, comperit, ea ipsa die illum pane eo refectum fuisse, qua sacrificium fuerat oblatum: & Deo gratias egit, quia hic ille panis esset, de quo ꝑ Hieremiam dicitur, Inebriaui animam lassam, & omnem animã esurientem saturaui. ibidem.

De Maria Magdalena.

Maria Magdalena vitam agens in deserto, cælestium spirituum societate fruebatur: & tamen cùm sibi vitæ finem imminere cognouisset, Maximinũ Episcopum iussit accersiri, & percepta ab eo Communione, ad cælum migrauit. Non fuit illi satis cum Angelis iter hoc ingredi, nisi Dominum Angelorum ducem habuisset. Sic olim ad sepulchrum eius lugens, dimissis Angelis, quos viderat, illum solum quæsiuit, quem lugebat: & tunc demum consolata abyt, cùm ipsum resurrexisse cognouit. ibidem.

De Petronilla virgine.

Petronilla virgo cupiens iam ad cæleste de terreno transferri

habitaculo, ne sine viatico discederet, à presbytero Nicomede panem Trinitatis accepit. Itaque sponso æterno copulata, cælũ adyt, ne frustra illum procis mortalibus præposuisse videretur, si eidem & in terris posita communicare neglexisset. ibi.

De Lucia virgine.

Luciam virginem nec inter flammas constrictã, nec perfosso à sacrilegis iugulo lethaliter vulneratam mori potuisse accepimus, donec sacram sibi communionem à sacerdote oblatam non sumpsisset. Tunc cum martyrij corona cælum læta petijt, cùm eum, pro cuius amore supplicia contempserat, sibi iunxit itineris ducem. ibidem.

DE VERITATE, Nostrorum exempla.

De Theona Abbate.

Theonas Abbas in eremo Scythi nunquàm mentitus dicitur, cùm tamen tribus millibus Monachorum præfuisset. Mirum est inter tantam multitudinem nõ fuisse lingua lapsum. Hoc idem & Benonem Abbatem in vita præstitisse tradunt. Marul. lib. 4.

Ac semper quidem illo mẽdacij genere abstinendum est, quod in detrimẽtum verti possit animarum, corporũ, rerum: cætera leuiora sunt: nullum tamen (vt arbitror) culpa vacuũ: omne quippe simulatione quantùm à varietate, tantùm & à Deo abesse necesse est, cùm summa veritas ipse sit.

[redacted]

De Archebio.

Archebij quidem sanctissimi viri simulatio non improbanda, qui in quadam Nili insula inter solitarios & ipse solitariam vitam ducens, si quis eò accessisset, eiusdem propositi

cupiditate accẽsus, ei suum ipse domicilium cum vtẽsilibus cedebat, ne qua cellulæ construendæ, quærendæve suppellectilis difficultate victus, abiret: ac ne fortè illũ quod offerebatur, accipere pudor impedisset, certum sibi ac deliberatum esse ad alia transmigrare loca mentiebatur. Et tantisper inde secedens, donec impensas compararet: reuersus alteram sibi cellam non paruo cum labore ponebat. Hac ille simulatione vsus, officio fungebatur veræ charitatis, eos in [illegible] pia circumuentio- [illegible] mens, [illegible] re. ibidem.

De quodam Abbate.

Illius quoque Abbatis laudatur mendacium, qui (vt Cassianus tradit) Simeoni Monacho prospexit, vt in proposito vitæ perfectioris perseueraret. Hic nuperrimè ex Italiæ partibus ad Ægypti solitudinem se contulerat, nullius exercitij gnarus, præterquàm Latinos libros transcribendi, quorum illis in locis vsus nullus erat. Senior igitur fingit olim quæsisse se, qui sibi Pauli Epistolas Latino charactere conscriberet, volens eas (vt aiebat) muneri mittere fratri in cohorte Latina militanti, Latinique sermonis non ignaro, vt aliquid de scripturis diuinis habeat, quo sese etiam inter militiæ labores vtiliter occuparet. Hac itaque simulatione illum ad scribendum compellens, & quæ opera & quæ vitæ necessaria erãt, dedit, tum otio subtrahens adolescentem, tum penuriæ eius mercedis occasione succurrens. Nisi sic Abbas finxisset, Simeon ipse vel cogitationibus per inertiam expugnatus, vel inopia superatꝰ, diu ibi permanere non potuisset. Neque eũ puduit accipere, quod offerebatur pro labore: puduisset autem, si nihil agenti vltro impẽderetur. ibidem.

Profectò fingi aliquid etiam sine vlla culpa posse quis dubitat? quandoquidem Veritas illa, in qua nullum prorsus vitium cadere potest, in Euangelio fingere dicitur: Et ipse, inquit, se finxit longius ire. Et coëgerunt illum, dicentes, Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Sed talis hæc Domini erga discipulos fictio, qualis & illa quondam erga Abraham tentatio. Ille tentatus est, an obediret Deo: isti an hospitalitatem seruarẽt. Non quia Deus futura nesciat, sed vt nos habeamus virtutũ exempla huiusce rei causa fingere, ac simulare patribus, præpositisque proprium atque vsitatum, dum iuniorum animos probare student, dúmque probatos cæteris ad imitãdum exhibent. Non sunt igitur hæ fictiones mendacij, sed veritatis. neque enim aliter ijs mores hominum ingeniáque experimur, quàm artifex experiri solet Indice lapide aurum argẽtúmue, vt quale sit cognoscatur, & experimento veritas ipsa pateat. ibidem.

De Nicolao Peregrino.

Quidam etiã obtegendæ sanctitatis causa simulationis latebram subiere, ne fortè honorati placerent sibi, & pro inani gloria veram amitterent. Nicolaus cognomento Peregrinus natione Græcus in oppido Apuliæ Teano seminudus incedens, & crucem ligneam manu præferens, Kyrie eleeson clamitabat, eo clamore puerorum turbam excitabat: & hoc ipsum iteratis vocibus secum decantarent, innuebat. Excogitauerat vtique quemadmodum stultus hominibus appareret, & à laudibus Dei non cessaret. qua insaniæ simulatione tantùm placuit, vt Deo dorante, defuncti cadauer multorum languores tactu sanaret. ibidem.

De Marco Solone.

Fuisse etiã Alexandriæ quẽdam Marcum Solonem nomine, qui se stultum fingens, nudus incedebat, operibus tamen intentus charitatis. Cum enim

manuum labore victum quæritaret, quicquid in diem sibi superesset, indigentibus erogabat, cùmq; iam sedecim annos in hac simulatione perdurasset, postremò adiuratus manifestauit, se aliquando Monachum fuisse, sed libidini deditum annos quindecim in concubinatu perseuerasse, tandémque ad pœnitentiam conuersum, decreuisse tantundem temporis seruire Christo, quantùm diabolo seruierat, atque mox vita functus est, & in sanctorum numero habitus. ibidem.

De quadam virgine.

In Thebaidis monasterio, quod sancti Hieremiæ nuncupabatur, fuisse virginem quandam, memoriæ proditum est, quam omnes reliquæ mentis impotem existimabant: Danieli autem Abbati reuelatum, quòd fatuum Dei sapientius esset hominibus: proinde ad eã visendam illum perrexisse. At ipsam, cùm se deprehensam vidisset, clàm abisse, schedula postibus monasterij affixa, in qua scriptum erat, Quicquid in vos peccaui, remittite, atque in Domino valete, Quæso, si dementiæ simulatio illi crimini dari debet, quomodo cæteris, quæ ibi erant, sanctior Dei reuelatione iudicaretur? Profectò simulatio ista conseruatio summæ humilitatis erat, non culpa. ibid.

De Fœminis, quæ se viros esse finxerunt.

Sed neque illis figmenta obfuerunt, quas virorum nominibus, eorumq; tegumentis sexũ aliquando celasse constat, cùm id ea ratione egerint, vt commodius Christo (quem nihil latet) deseruirent. Eugenia Philippi Cõsulis filia Eugenius credita, etiam Abbatis officio defungi Alexandriæ meruit. In eadem vrbe Euphrosyna virgo sub Smaragdi nomine latens, monachi vitam duxit. Sic Marina Marinus: Theodora, Theodorus, Pelagia, Pelagius creditæ inter viros præstiterunt sanctitate sexu occultato. finxerũt ergo se esse quod non erãt, vt essent quod esse debuerunt, nihil omittentes quod ad perfectæ cõsummatæq; religionis cultũ pertineret. ibid.

Hæc sunt quidem iustæ atq; interdum etiam (vt diximus) necessariæ fingendi ac metiendi causæ: cætera verò mendaciorũ genera perniciosa mortiferáque habentur. Sicuti fuit mendacium Giezi, pseudoprophetarũ, Ananiæ & Sapphiræ, Pontificũ in Euãgelio, & Pharisæorũ & his similiũ. Simulatio quoq; ac dolus Ioab in Abner, & Amasa, Tryphonis in Ionathã, & in Antiochum, Ismaelis in Godoliam, Andronici in Oniã, Iudæ in Dominum ibid.

DE PECCATORUM confessione, Nostrorum exempla.

De Philiberto Abbate.

Languenti Monacho, qui iam fari nequibat, Philibertus Rothomagensis Abbas Deum precatus, linguam expetiuit ob hoc solum, ne sine confessione decederet. vbi enim confessus est, illicò expirauit. Satis esset in tali necessitate intimus peccatorum dolor, & ipsa cordis contritio: sed sanctus Abbas nescius, an ille conuenienter doleret, à confitente discedere voluit, vt pro eius salute confidentius oraret, simúlque ostenderet, quàm necessaria sit confessio his, qui loqui possunt: quandoquidem & pro multis elaborandum est, vt confitendi causã loquãtur. Marul. lib. 4.

De Seuero sacerdote.

Non solùm muto vocem, verùm etiam mortuo vitam aliquando restitutam hac de causa fuisse legimus. Seuerus enim sacerdos (vt in beati Pontificis Gregorij dialogo relatum est) vocatus ad cuiusdam ægrotantis confessionem audiendam, cùm paulò tardius venisset, vita defunctum offendit, atque ea re vehementer angi afflictarique cœpit, se illius interfectorem, se homicidam clamans: & dum in his lamentis cadaueri incumbẽs, acerrimè fleret, reuixit qui iacebat mortuus, dixitque, se dum ab impiis spiritibus ad horrenda tenebrarum

loca raptim traheretur, ab Angelo protinus dimitti, atq; corpori restitui iussum, quod diceret Deum id Seueri lachrymis indulsisse. Igitur vbi confessus est, peracta septem dierum pœnitetia, iterum obijt, corporis vinculis pariter, peccatorúmq; absolutus. caueat ergo sacerdos horam terere cunctando, quotiens ad tam necessarium opus accersitur, ne si Seueri fletum imitari nequiuerit, reatum subire cogatur mortui non confessi. Caueat & æger differre confessionem, ne confitendi mora peccandi pertinaciæ imputetur: sicuti isti imputata fuisset ad perpetuũ supplicium, nisi aliena ei merita peropportunè succurrissent. Hinc est illud in Ecclesiastico præceptum, Confiteberis viuens viuus, & sanus confiteberis, & laudabis Deũ, & gloriaberis in miserationibus eius. ibid.

De Apollino Abbate.

Caueat præterea sacerdos, ne qua nimis acerba increpatione conturbet confitentem, & vulnus quod leni fotu curandum est, durius contrectans, exasperet, ac suppurare cogat, ne fortè & ipsi contingat, quod contigisse seni cuidam in Ægypto refert Ioannes Cassianus, qui Monachum adolescentem, cum in confessione audisset libidinis incentiuis identidem vrgeri, immoderata reprehensione propè ad desperationem compulit, indignum Monachi nomine cõtestans, cuius pectus impudicis cogitationibus patere potuerit. sed mox ipse iusto Dei iudicio eadem tentatione vehementer inquietari cœpit, vt & hic senex, sicut & ille iuuenis, tam ad seculum redire secum in animo versaret. Cæterùm sapientia ac sanctitate præditus Apollo Abbas iuuenem vultu demissum cernens, cùm tristitiæ causam didicisset, blãditer consolatus est, docens non esse malum fœda cogitatione impugnari, sed vinci. nam se quoque idem sæpe passum, Deo tamen adiuuante, nũquam succubuisse. deinde senem iam relicto, in quo ætatem egerat, tugurio, vagum profugúmque ad se aduocans, vt rediret admonuit, & iam suam expertus imbecillitatem, alienæ misereri disceret, non irasci: posthæc pro illo precatus tentationem oratione abegit. Improuidus igitur iste confessionis auditor nónne & se & confitẽtem perditurus esset? Nónne cæcus cæcum ducens, ambo in foueam corruissent, nisi Apollo Domini miserantis nutu manum suam vtriq; supposuisset? Sapienter itaque ab Apostolo præceptum est, Si occupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, cõsiderans teipsum ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate: & sic adimplebitis legem Christi. ibidem.

De quodam Monacho.

Quanta verò sanctæ confessionis virtus sit, etiam inde disci potest, quod Vgoni Bonæuallensi Abbati quendam ex fratribus post mortem apparuisse ferunt, & mox vt peccatũ confessus est, pœnis, quibus afficiebatur, se liberatum dixisse. hanc autem confitendi facultatem idcirco sibi reseruatam, quoniã absente Abbate decesserat, deliberatum habens illi confiteri, cùm redisset. Etenim fratrum absolutio ex monastico instituto ad solum Abbatem spectabat. Expedit igitur etiam cùm abest, cui confitendum sit, confitendi semper habere propositum. pro incõfesso erit, qui quãuis copiam cõfitendi nõ habeat, non habuerit voluntatem. ibid.

De Serapione abbate.

Illo quoque exemplo vis patuit confessionis, quod in collationibus Cassiani proditum est de Serapione abbate: hic iuuenculus adhuc sub Theona præposito edacitatis morbo tentatus, post nonæ refectionem paximadium furto sublatum vesperi latenter comedere consueuerat: sed tandem conscientiæ stimulo agitatus, coram Abbate prosternitur, peccatum cõfitetur, & cũ pœnitentiæ mœrore veniam exposcit. vixdum verba finierat, & flamma de

sinu eius, in quo paximadia recondere solitus erat, promicans, intolerabili fœtore cellam, in qua erant, repleuit: ille nunquã postea tali edendi auiditate sepulsatum sensit. Vincebatur, quandiu occultum tenuit facinus, porrò vbi confessus est, ita victor euasit, vt ad eandem pugnam redire vltrà necesse non fuerit. Illam quippe diaboli flãmam penitus extinxit humilitas confitentis. ibid.

De quadam fœmina.

Ferunt mulierem quandam peccata sua in volumine descripta Basilio Magno porrexisse supplicantem, vti pro eorum remissione Deum deprecaretur. orauit ille, & omnia deleta apparuere, præter vnum cæteris grauius, cuius causa dum ad Effren eremitam missa mulier nihil profecisset, inde rediens Basilium, iam diem suum obisse comperit, fleuitque vbertim: mox chartam illam super iacentis pectus deponens, cùm tãdem sustulisset, id quoque in ea quod residuum erat, abolitum deprehendit. Hinc nosse licet, quantum prosit confitenti bonum ac sanctum habere auditorem, cuius merita sibi ad veniam facilius pleniùsque assequendum suffragari possint. ibidem.

Quòd verò (vt dictum est) per sacram confessionem abolitio fiat peccatorum, etiam quotidianis experimentis discimus. In iis vtique, qui malignis arrepti spiritibus, quandoque occulta aliorum facinora manifestant, ea palàm obiicientes, quæ illi, quibus obiecta sunt, mox vt confessi sacerdoti fuerint, & ad eum, qui arreptus est, reuersi, nihil vltrà quod sibi exprobrandum sit, audiunt. Quinimo ipse in homine loquens affirmare solet demum, nequaquam ipse eos illos, qui paulo ante fuerant, sed alios omnino. Tanta ergo res est confessio, vt diabolo statim os obstruat, ne hominem accusare possit, quem prius in multis damnare ausus fuerat. ibid.

Finis.

Universidad de Deusto Biblioteca

INDEX COPIOSISSIMVS, OMNIVM NOMINA, QVORVM EXempla in hoc volumine referuntur, complectens.

A

Abbas & monachus in Ptolemaide 251.
Abarthomius Sidoniæ Rex 273.
Abisai Hebræus 17.
Abrahamus Ægyptius 198. 340.
Accius Poëta 198.
Achilles 365.
Adaleda Augusta 270.
Adlanus Marthumbrorum barbarorum Rex 299.
Admiratus Turcorum ratione Arabs. 240
Adolescens Lacedæmonius 17.
Duo adolescentuli 323.
Adrianus Imperator 205.368
Adrianus Seuerus Imperator 287.
Ægæus 61.
Ægles Samius 223.
Ægyptij 173.239.308.
Ægylus Poëta 331.
Ægyptiorum Reges 307.
Ægypta virgo 46.
Ægyptij Monachi 153.
Æmilia Africani vxor 40.
Ælius verus Cæsar 283.
Æmilius Consul ac Cornelius Lentulus 251.
Æmilius Paulus 123.
Æneas 51.67.350.
Æquitius Abbas 42.370.
Æthiopum Reges 1.
Africanus superior 68.203. 212.298.

Africanus Maior 31.55.71. 327.350.
Quidam Afri Episcopi 232.
Agammenon 70.
Agapitus Pontifex 131.
Agatha Catmensis virgo. 43.105.
Agathon Abbas 140.252. 359.
Agathocles Rex Syracusarum 210.
Agesilaus Lacedæmonius 24. 62.75.160.163.
Agis Lacedæmoniorum Rex 201.
Aglaus Psophidius 191.
Agnes virgo 59.414.
Aquinas Thoma & Imagines quæ locutæ sunt 231.
Agrigentini 281.
Agrippina 25.63.218.
Alaricus Gotthorum Rex 4. 31.
Albaga Can, id est Rex Tartarorum 260.
Albertus Bauariæ dux 208.
Albinus Andegauensis Episcopus 322.
Alchibiades Athenienſis 159.265.273.281.325.
Alexandrina virgo Ægyptia 251.
Alexandrina mulier 108.
Alexandrinus Populus 235.
Alexander Magnus 1. 5. 16. 17. 27. 28. 104. 113. 126. 136. 148. 173. 177. 194. 195.246. 255.359. 277.285. 325.327.362.
Alexandri in Iudæos gratitudo 238.
Alexander Rex 315.
Alexander Macedo 233. 292.
Alexius Patritius Romanus 110.412.
Alexius Constãtinopolitanus 70.
Alexius erga Isaac fratrem Constantinopolitanum Imperatorem 249.
Almenon Arabs Tolletanus Rex 91.
Alphonsus Rex. 288.
Alphonsus secundus Legionis Hyspaniæ Rex qui castus cognominatus est 32.
Alphonsus Senior Siciliæ Rex 34.182.
Alphonsus Aragonius Siciliæ Rex 147.

Alphonsus Neapolitanus Rex 22.
Alphonsus Legionensis Rex 7.
Alphonsus Petrus Gusmanus 93.
Alphonsus XI. Castulonensis Rex 146.
Alphonsus X. Castulonensis Rex 367.
Alphonsus Aragoniæ Rex 172.367.369.
Aluarus Luna 272.
Amasis Ægyptiorum Rex 23.
Ambrosius Mediolanensis Episcopus 131.206.397. 418.432.
Amilcar 141.
Amon Ægyptius Abbas 355.
Amor Cuiusdam Patris in Filium 169.
Amor filiæ erga matrem 69.
Amos Ægyptius Abbas 41.
Amphiaraus 216.
Amyntor 64.
Anacharsis 162.
Anacreon 331
Anacletus Pontifex 427.
Anastasius Augustus 89.
Anastasius ij. Pontifex 335.
Anastasia 57.
Anatolia 59.
Anaxagoras 123.191.339. 363.
Anaximenes præceptor Alexandri 165.
Anaxarchus 104.377.
Anchises 350.
Andragasina virgo 45.
Andreas Apostolus 409. 424.
Andreas Lamponianus 20.
Andreas Fundensis Episcopus 391.
Andronicus Imperator 270.
Anianus Alexandriæ Antistes 49.
Anna Romana 82.
Anna Helcanæ 352.
Anna altera 352.
Annibal 34.54.129.141. 149.153.166.195. 210. 256. 296.348.
Anselmus 357.
Antemone 22.
Antigenidas 195.
Antigonus Demetrij Filius

Universidad de Deusto Biblioteca

67.
Antigonus 123.144. 256.
Antiochus Eupator Asiæ ac Syriæ Rex 11.97.
Antipater Macedoniæ Rex 152.
Antipater Poëta 224.
Quidam Antistes Romanus 168.
Antistenes Philosophus 365.
Antonius Triumuir 37.
Antonius & Geta fratres 73.
Antonius 305.
Antonius Hispanus 400. 420.
Antonius spinula Genuensis 100.
Antonius Ægyptius 193. 381.
Antonius Abbas Alexandrinus 134.387.
Antonius Abbas 291.319. 345.353.372.375.395. 418. 424.
M. Antonius Philosophus 130.
Antonius Ægyptius & Cronius 330.
Antonia 81.
Antonius Monachus 398.
Antonius Eremita 116.
Antonius Caracalla Imperator 275.
Appelles Cous 234.
Appianus & Priscus 334.
Appius Claudius 163. 302.
Appius decemuir 302.
Appius 329.
Appolinaris Alexandrinus patriarcha. 181.
Appollonius Tyanes Philosophus 365.
Appollonius Abbas 148.
Appolonins Monachus et martyr 60.
Apollonius Tianæus Philosophus 28.224.
Apostoli Christi 342.353. 374.380.
Appolo vindicans se dei sacrilegio 9.
Appius Claudius 163.302.
Appius Decemuir 302.
Aquila & virgo quædam sextia 240.
Aquileiensis Fœmina. 50.
Aquileienses 266.
Ara Dianæ Scythicæ 1.

Arbogastes comes 99.
Archebius Ægyptius Monachus atque trinita 376.434.
Archelaus 364.
Archemorus Lycurgi Tracum Regis filius 333.
Archesilaus Philosophus 178.
Archimedes Syracusanus 303.
Archimedes Philosophus 364.
Archytas Tarentinus 163. 303.
Areopagus 306.
Argantonius Gaditanus 328.
Duo Argiui fratres 333.
Argo Can 267.
Duæ Ariminenses fœminæ 266.
Ariberthus 336.
Ariobarzanes Rex Cappadociæ 62.
Arion 303.
Aristides 10.75.190.201. 202.219.
Aristobolus & frater 74.
Aristomenes Missenius 15.
Aristophanus 162.
Aristoteles 17. 76. 162. 233.285. 348.
Arnophus Lothoringiæ Dynastis 423.
Arnulphus Turonensis Episcopus 356.
Arnutius Paterculus 155.
Arrius Hæresiarcha. 89. 335.
Arrius aper 98.
Arsaceni 1.
Arsenius Abbas 49.134. 347.348.376.
Artaxerxes persarum Rex 151.
Artaxerxes 64.
Artaxerxes primus persarum Rex 68.
Artaxerxes Memnon Persarũ Rex 36.
Artaxerxes Longimanus Persarum Rex 11.
Artemisia Regina 79. 100.
Asella Virgo 382.
Asclepiades Prusiensis 303.
Asdrubalis percussor 94.
Asdrubal Carthaginensis 22. 151.337.
Quidam Asinarius 165.
Asisiates Franciscus 193.

Universidad de Deusto Biblioteca

Aspis atque Ægyptius 240.
Astriages Medorum Rex 151.
Astulphus Lõgobardorum Rex 335.
Athanasius patriarcha Alexandrinus 221.
Athenienses 14.24.25.29. 119.150.223.239.246.258. 264.250. eorum leges 307. 309.
Athenienses erga Regem Demetrium 247.
Quidam vir Atheniensis 166.
Atheniensis quidam doctus 223.
Attica quædam lex 309.
Attalus Rex 238.
Attalus Philometor 374.
Attila hunnorum Rex 330. 334.
Attilius 105.192.226.377.
Auditus 304.
Augustus 13.58.86.144.164. 202. 205.278.329. 367. 372.410.
Augustinus Angloumr Episcopus 86.
Diuus Augustinus 49. 89. 273. 330.360.397. 410.
Auidius Cassius. 15.
Aulus vitellius Imperator 156.
A Iunius Valens 19.
A Fuluius 66.
Aurea Virgo. 426.
Aurelius Diocletianus Imperator 205.
Aurelius Alexander Seuerus Romanorum princeps. 3.
Aurelianus Imperator 12.119. 334.

B

Babilonij 263.
Balduinus Constantinopolitanus Imperator 266.
Balduinus III. Hierosolymarũ Rex 229.
Banon clericus 432.
Baptista Mirandulanus 335.
Barbara Nicomediæ ciuis 44.
Barbara virgo 357.
Barbari 150.
Barthabaces Cybeles sacerdos 226.
Diuus Bartholomæus 85.351. 372.
Basilius Magnus 85.88.370.
Basilius Imperator 277.
Basolus rhemẽsis Abbas 147.
Baudilus Abbas 412.

Beatus Franciscus 299.
Beatus Martinus Episcopus 108.
Beda venerabilis 399.
Bellissarius patricius romanus 188.
Benedictus abbas 40.108.133. 140.340.262.386.397.
Benedictus pontifex 189.
Benedictus 3.Pontifex 206.
Benedictus abbas ac martinus 228.
Beon abbas 253.
Bercharius abbas 322.
Berenice 216.
Berenice Ptolomæi vxor 24.
Bernardinus 327.349.370.
Bernardus 57.108.111.301. 348.361.370.420.
Bernardus abbatis soror 135.
Bernardus Carpius. 70.
Bernardus beati francisci socius 301.
Bernabo Vicecomes Mediolanensis Principes 218.
Berosus Astronomus 216.
Bethlemij senis emulatio 234.
Bias prinensis 162.
Blauus ac filius 64.
Duæ Bohemæ mulieres 106.
Duæ Bœotiæ virgines 39.
Bona virgo 56.
Bonicius Aruernensis Episcopus. 361.
Bonifacius viij. pontifex 142.
Bonifacius Archiepiscopus 379.
Bonifacius 7.Pontifex 318.
Bonifacius martyr 380.
Bonon 422.
Brasida 15.
Brigida virgo 45.
Britius Turonensis episcopus 222. 298.
Brigida virgo 320.
Burgensis populus 236.
Bulgari 236.
Brutus 337.
Bubulcus Germanus 132.
Budensis populus 237.

C.

Cæcilia Barbarica veneta 83.
Cæcilia virgo 43.369.378. 413.
Cæcus agrigentinus 172.
Cælij fratres Titi Cælij filij 220.
Cæna venetijs data 284.
Cæsar Puer 326.
Caius Cæcilius claudius 187.

Universidad de Deusto Biblioteca

C. Cæsar 31.58.128.178.215.251.267.287.298.305.326.328.
Cæsar Augustus & Caligula 273.
C.Fabricius, & Q. Æmilius 191.
C.Fabritius 199.
C.Flaminius 68.
C.Caligula 37.187.282.248.287.317.337.
C.Claudius nero 203.
Caius Iulius 40.
C. Licinius 334.
C.Marius 105.129.217.244.
C.Mæcenas. 225.
C.Pallans Claudij libertus 318.
C.Plautius 81.
C.Plinius 367.
C.Rabirius 221.
C.Sergius orata 283.
C.Sulpitius Gallus 120.
C.Turanius 154.
Caius Valerius flaccus 268.
Calfurnius Piso 29.
Caligula Imperator 153.156.
Caliguritani 263.
Callidius Bononiensis 220.
Calir Bassa 266.
Cambysis Persarum regis exercitus 264.
Cãbyses 7.8.35.74.119.148.174.264.284.316.
Camillus 301.
Campilus & Paschalis Primicerius 302.
Camma Galata 260.
Canis Iasonis lycij 240.
Canis Titi sabini 245.
Carinthi & alij 314.
Carneades Philosophus 263.293.
Carolus vltimus dux burgundiæ 157.
Carolus & Franciscus guarnicíues salernitani 232.
Carolus Nauarensis Rex 336.
Carolus Caluus gallorum Rex atque Imperator 67.
Carolus comes Charolois Philippi Burgundiæ ducis filius 14.
Carolus magnus Gallorum rex 180.
Carpus Pauli apostoli Piscipulus 56.
Carthaginenses 149.210.261.262.
Carthaginensium matres 62.
Caßius Narniensis Episcopus 399.
Caßius 65.

Caßius Chærea tribunus 78.
Caßius Narniensis episcopus 399.432.
Casilinates 265.
Castor & Pollux 226.
Castrutius castracanis lucensium dominus 122.
Caterina virgo 44.
Caterina virgo Alexandrina 105.414.
Caterina Senensis 361.
Catilina 37.
Cato Vticensis 377.
Cato senior 30.64,198.267.329.366.
Cato Iunior 30.129.71.115.204.366.377.
Catonis filius 19.
Cazimirus Poloniæ Rex 271.
Cecilia virgo 44.414.
Celeritas 304.
Celestinus 5.Põtifex maximus 207.
Censorini exercitus 236.
Censores Romani 313.
Ceremoniarum & Auspiciorũ ratio 84.
Cerites 52.
Cheldiabertus francorum Rex 262.
Cheldibertus & Clotarius frã corum reges 69.
Chilon lacedemonius 129.
Chilon philosophus 160.
Chilonia Spartana Cleombroti Spartani Regis vxor 80.
Chrisarius Romanus 408.
Christus Iesus 320.
Christina virgo 61.
Christiani ad Ptholemaidem sedentes 214.
Chrisippus philosopphus 196
Christophorus martyr 42.59.108.
Ciampus Thessalus & Æmilius Sybaritanus 79.
Ciane Syracusana virgo 39.
Cichus Ordolaphus 73.
Cicilia Barbadica Vineta 83.
Simon Atheniensis 67.125.178.273.294.
Cinigerus 15.
Cyne Pirrhi regis legatus 304.
Cynea Philosophus 160.293.
Cinamus Parthorum rex 10.
Populus Cinaniensis 125.
Ciuitas Romana 264.265.
Clara diui francisci soror 360.
Claudius Imperator 25.170.
Claudius nero & Liuius Salinator 214.
Claudia vestalis 72.

Universidad de Deusto Biblioteca

Claudia virgo Vestalis 68.351.
Cleanthes philosophus 191. 210. 365.
Clearchus 210.
Clemens quartus pontifex 33.
Cleomenes Lacedemoniorũ Rex 142.166.
Cleopatra Ægypti regina 28.
Clericus germanus 227.
Clericus ac eius soror Arrassenses 222.
Clœlia virgo 18.
Clotharius gallorum rex 66.
Cneus Carbo 22.337.
Cn. Cornelius Scipio Asinas 267.
Cn. Pompeius 144.258.316.
Cneus Popilius Lenas 248.
Cn. Scipio. 192.
Cn. Martius 28.
Codrus rex atheniensis 75.
Cicinnatus 290.
Collegium tribunorum 13.
Columbanus monachus 395.
Coma frater diogenis 331.
Comedendi antiquorum modus 312.
Commodus Imperator 155.187 288.
Connibenses & Tentyritæ 51.
Consaluus Agridarius magnus 303.
Constantinus imperator 4.88. 427.
Constantinus militaris tribunus 176.
Constantinus maximus 218.
Constantinopolitanus 262.
Constans 3. Imperator 188.
Constantia mira legatorum Romorum 312.
Constantia Galli Cæsaris conuix 188.
Consuetudines Gallorum 307.
Conuersus Cisterciensis ordinis 131.
Copres presbiter 89.
Corfidius eques Romanus 227.
Corinthij 25.
Cornelia 191.
Cornelius Galus & Titus Ætherius 334.
Cornelius Sylla 2.
Cornelius centurio 183.
Cossitius Tisdritanus 225.
cotta 211.
crassus dictus diues 267.
crato philosophus 182.
cretenses 263.
cretensium statuta 309.
cudbertus 299.

Cunegunda Augusta & aliæ 222.
Curius & fabritius 339.
Curialis quidam 406.
Curius Dentatus & Cato maior 291.
Cyprij 34.
Cyprianus Damascenus 88.
Cypsellus corinthius Tyrannus 35.
Cyrillus 404.
Cyrus maior 325.374.
Cyrus Persarum Rex 315.
Cyrus Rex & L. Scipio 304.
Cyrus & Mithridates 364.

D.

DAlphida 223.
Damatria Spartana 65.
Damon & Pythia 136.
Daniel abbas 298. 375.
Darius 79.143.165.238.
Decij 77.
Darij filia 39.
Deipara virgo 24. 352. 371. 376.
Delphi 84.
Demades 262.
Demetrius Asiæ rex 36.
Demetrius Ærops 374.
Demetrius Philippi macedoniũ regis filius 219.
Demetrius rex antigonis filius 137.
Demetrius & antonius Triumuir. 173.
Democrates athenienſis 125.
Democritus Abderites 190. 365.336.363.362. 328.
Dericles Spartanus 125.
Demostenes 165.362.
Diagoras Rhodius & Chilo Philosophus 332.
Deutera gallorum regina 67.
Dimocles adolescens atheniensis 38.
Dido 350.
Diocletianus Imperator 156.
Diocletianus & maximianus herculeus Imperator 138.
Diodorus cui Tryphon cognomen erat 97.
Diodorus Dialecticus 332.
Diodorus Siculus 365.
Diomedon 2.
Dion Syracusanus 113.
Diogenes cynicus Philosophus 272.
Diogenes 347.272.381.377. 26.94.196.290.344.

Dionysius senior tyrannus Siracusanus 7.104.273.266. 291.171.279.
Dionysius Areopagita Pauli Apostoli auditor 88.
Diuitiæ Romanæ 190.
Diui Hieronymi contemplatio 161. lectio & studium 369. corporis castigatio 382.
Diuæ Cæciliæ studium & lectio 369.
Diua Marcella ibidem.
Domestica duorum regnorum discordia 74.
Dominici Catalusii Lesbij principis fides & amor coniugalis 83.
Dominici Hispani liberalitas 183.
Dominicus prædicatorum pater 410. 419.430.
Beatus Dominicus 400.
Domitij Neronis immanitas 153.
Domitius prætor 120.
Domitianus princeps 153.174. 317.374.
Dorothæus Abbas 376.
Dorothea virgo 414.
Dromichetis Getharum regis humanitas & clementia 143.
Drusus Pompeius Claudij Cæsaris filius 334.
Duæ mulieres 333.
Duæ puellæ Syracusanæ 16.
Duæ Bœotiæ virgines 39.
Duæ vestales 297.
Duo ad bestias damnati 332.
Duo proscripti fratres 72.
Duo philemi fratres Carthaginenses 75.
Duo Romani equites 221.
Durans podiensis 7.
Didymus Græcus Alexandrinus 367.
Dytentus & frater Cappadoces 71.

E

Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus 370. 379.391. 419.
Ægidius abbas 148.
Edouardus Anglorum rex 430.
Ecelinus tyrannus 157. 175.
Edgarus Britannorum rex 5. 140.199.318.

Edibertus Cantuariensis Rex 164.
Eduardus Britanniæ rex 228.
Egidius 112.
Egnatij Metelli seueritas ad vindictam 120.
Eleazar Iudæus 16.
Eliæ Abbatis castitas ac virginitas 43.
Elizabetæ castitas 47. paupertas 193. obedientia 324. diuitiarum contemptus 341. opera quæ manu exercuit 375. oratio 355. humilitas 320.
Elizabeta regis filia 360.378
Emmanuel secundus Imperator 99.
Empedocles 285.332.
Elphegi Cantuariensis charitas erga inimicos 60. 390.
Epaminundæ fortitudo 15. temperantia & moderatio 26. paupertas 191. fiducia sui 195. amicitia 137. eloquentia 293. vestitus 171.
Epictetus philosophus 365.
Epimenidis Cretensis prudentia 23 contemplatio 359.
quidam Episcopus & Gregorius vndecimus pontifex 131.
quidam Eques 221.
Eques quidam Garsiæ Nauarriensis regis 139.
Equus Antiochus 240.
Erchembaldus Burbaiensis 50.
quidam Eremi cultor 300.
Eremita 181.
Erixona Cyrenarum regina 260.
Erus Pamphilius 223.
Eteocles & Polynices 73.
Euagrius presbyter 50. 343. 390. 423.
Eubata 168.
Euagrius abbas 348.
Eucratides Bactrianorum regis filius 152.
Eugenia 59.
Eugenius tyrannus 338.
Eulalia 105.
Eulogius Alexandrinus presbiter 109.
Eumenes atque Attalus Asiæ rex 71. Cardianus 167.
Eumorphus Romanus 405.
Euphemianus et eius vxor 183.
Eunus Syrus 167.
Euoia Spaletij dux 263.
Euphraxia Antigoni filia

Universidad de Deusto Biblioteca

45
Euphraxia 383.
Euphraxia Romana 341.
Euphraxia virgo 111.394.
Euphraxia virginis Euphraxia mater 48.
Euphrosina virgo 324.
Euripides tragicus 194.331.
Eurithrius eunuchus 276.
Eurydice Macedonum regina 75.
Eusebius episcopus & martyr 42.
Eusebius Vercellensis episcopus 170.
Eusebius Cremonensis 379.
Eustachius Romanus 111.
Eustachius 183.
Eustachij filij 327.
Exercitus Titi Vespasiani Romani principis 188.

F

FAbius Maximus 17.24. 169.203.290.
Fabius Senator ac Prætor Romanus 334.
Fabius Rutilanus 63.
Fabius Gurges 174.
Fabrianensis populus 9.
Fabricius Lucinus 28.209.
Fabricianus 221.
Factiosæ Italiæ vrbes 176.
Fasilla Gotthus Pelagij Portugalensis regis filius 335.
Fames Hierosolimitana 264
Fames Verulana 265.
Fames Italica 265.
Fautinus Siracusanus 355.
Farra virgo 45.
Faustina Antonij principis 36.
Febris veneratio 312.
Feciales & patres patrati 313.
Ferdinandus Consalus Castulonensis comes 147. 271.
Ferdinandus Hispanorum rex 6.
Ferdinandus rex Arragonius 13.
Ferdinandus Consalus Castulonis comes 21.
Fidelis hominum societas 103. 104.
Fidelitas seruorum in dominos 94.
Fidelitas erga homines 90. 91.
Fides & taciturnitas Senatus 311.

Filius Cræsi 67.
Filius Tigranis Armeniæ rex 186.
Flauius Iulianus Imperator 146.
Flauius Valerius Zeno Imperator 78.
Flora & Lucilla sorores 46.
Felicianus eques Pannonius 78.
Felicitas ciuis Romana 124.
Fœminæ Indicæ 306.
quædam Fœmina 51.
Folchus Hierosolimarum rex 335.
Fortunatus Tudertinæ ciuitatis episcopus 300.
Franciscus Sforcia Mediolanensis Dux 33.
diuus Franciscus 359. 400.
Franciscus Paulæ Eremita 134.
Franciscus Dandulus eiusque exemplum memorabile 78.
Franciscus iunior Carrariensis 270.
Franciscus Assisias ordinis minorum pater 135.360.291. 378.185. 419. 425.428.
Franciscus Aragonius ordinis minorum 132.
Fratrum odium & domestica discordia 73.
duo Fratres filij regij pro regno patris prælaturi 74.
Fraudes quæ in autorum capita redundarunt 301.
Fridericus Marchio Brãdeburgensis. 208.
Fridericus secundus Imperator 67.
Fridericus secundus Imperator 249.
Fridericus primus Imperator & Sfortia Attendulus militaris dux eiusque modestia 335.
Fronto consul 128.
Frugalitas 25.26.
Fulgentius Rupensis episcopus 343.
quidam Fundensis monasterij monachus 111.
Fuluius Flaccus 114.
Fuluij coniux erga virum 248.
Furius Camillus humanus 144.202.

Universidad de Deusto Biblioteca

GAbini 297.
Gabrias Atheniensis 159.
Galla Symmachi consulis filia 48.
Galba Hispanarum proconsul 187.
Galenus Pergamenus medicus 328.
Galli 307.
Galli & eorum Dux Brennus 173.
diuus Gallicanus 340.
Gallorum pastores atque Ægyptius magus 236.
Gallicanus monachus 318.
Gallo Columbanus abbatis discipulus 324.
Gallorum consuetudines 307.
Gelasius pontifex 57.
Gelulphus & Iua Britanniæ rex 206.
Gemellus Tribunitius 36.
Generositas 142.
Genitius Cippus prætor 77.
Genis Scotiæ rex 38.
Genuenses aduersus Pisanos 143.
Georgius Plantaginetus Clarentiæ dux 336.
Geraldus 357.
Gerbonius populonensis 295.
Germana Thebaidis monasterij soror 301.
Germanus & Martinus antistites 348.
Germanorum leges 307.
Germanicus Cæsar 204.
Germanus Parisiensis Episcopus 399.
Gesualdus Longobardus 115.
Geruasius & Protasius fratres 370.
Gertrudis virgo 46.
414.
Giachetus Geneua Salucianus 336.
Gisberti corregiensis vxor 83.
Gloriæ contemptus 290.
Gloriæ cupiditas 285.
Gratitudo 238.
Grauitas 125.
Gordianus senior Imperator 64.
Gorgia Leontinus 216.
328.

Gottifredus Bollionius Lotharingiæ dux 252.
Greciæ gratitudo 238.
Græcorum leges quædam 309.
Duo serui Gozagiani Persæ 94.
Diuus Gregorius 339.
Gregorius VI. Pontifex Maximus 31.110.112.122. 382.109.295.
Gregorius Pontifex maximus 411.
Gregoria Romana virgo 45.
Gregorius VII. pontifex 122.
Gregorius nonus & Innocentius quartus Pontifices 5.
Gregorius 7. 280.
Gregorius Lingonensis episcopus 344.
Grimoaldus Rex longobardorum 335.
Grimoaldus dux Boneuentanus 214.
Guesiphorus Ephesius 296.
Guido Flandria comes 92.
Gulielmus Guinæ dux & comes pictonensis 176.
Guillelmus monachus 322.
Gyges 277.
Gymnosophistarum consuetudo 309.

H

HAnnon Carthaginensis 23.286.
Hegesia Philosophus 293.
Helia Monachus 346.
Helius 401.
Heliogabalus 22.155. 282.
Heliodorus qui pius dictus est Britannorum rex 73.
Heli Zabet andreæ secundæ Pannoniæ Regis filia 111. 193.
Helmiges æques Longobardus 262.
Hericus quart° imperator 100.
Quidam Hiracleæ regionis vrbis Incola 140.
Heracletus Ephesius & Timo Atheniensis 290.
Heracleus imperator 4.229.
Heraclitus Ephesius Philosophus 331. 344.
Herennius pontius Samnites 163.333.
Henricus imperator 41.
Hercules 94.
Hermia Eunuchus 173.
Hero Triumuir M. Antonij seruus 96.

Universidad de Deusto Biblioteca

Herodias herodis Tetrarchæ vxor 82.
Herodes iniustus 14.25.65. 144.389.
Herodes Antipa Iudæorũ Rex 65.
Hetrusci 150.
Hi qui sine cibo vixerunt 232.
Hiero syracusanus 176.
Diuus Hieronmus 147.322. 343.345.379.409.
Hieronymus Olgiatus 289.
Hieronymus Olgiatus mediolanensis ciuis 107.
Hieronis Siracusani cõiux 27.
Hilario 222.
Hilarion Palestinus 207. 340.
Hilarion et Anachoretæ quidam 348.
Hilarion Abbas 49.193.227. 345.369.381.387.375.
Hiuo presbyter 140.400. 430.
Hippo Greca fœmina 39.
Hippocrates 303.
Hipsicratea vxor Mithridatis 79.
Hirenæ Augusta imperatrix 66.
Quidam Hispanus Toletanus 70.
Homerus Poëta 331.332. 359.
Homo quidam bonus cremonẽsis 400.
Homulus Iurisconsultus Neapolitanus 124.
Homulus ciuis Romanus 126.
Honor senibus impensis à Iuuenibus 310.
Honoratus Abbas 342.
Honoratus Ambiacensis Episcopus 431.
Honoricus Vandalorum Rex 9.
Horatius puluillus 123.
Horatius 120.
Hormisda persa 161.
Hospitius 379.
Hostia Christi immolata 231.
Hugo Abbas 385.
Hugo Abbas & Anselmus 410.
Hurcatus Æthiopum Rex 8.
Hyparchia Maronea 366.
Hypparcus 302.
Hyrenæ Augusta 229.
Hyrene virgo cypria 228.
Duo Hispani Equites 229.

I

Iacheus Cordis biturienſis 277.
Iacobus Adelphotheus liniamentis Christo similis 48.
Iacobus Apostolus atque Hispani 229.
Iacobus cognomento Iustus 342.
Iacobus Martyr 102.422.
Iacobus Apostolus 372.
Iacobus Iustus redẽptoris Christi frater 115.
Iacobus maior 87.
Iacobus minor 218.
Iacobus Alphæus 59.
Iactura memoriæ 304.
Iazates Adiabenorum Rex 71.
Ideæ matris simulachrum 2.
Ildegunda virgo germanica et aliæ 32.
Quidam Indus 286.
Indorum Gymnosophistæ 103.
Infidelium consortium Vitandum 135.
Ingratitudo punita 306.
Diuus Innocentius 349.
Innocentius 5.
Innocentius tertius & Bonifacius octauus Pontif. 5.
Instituta Persarum 306.
Instituta Spartanæ ciuitatis 305.
Instituta ridicula 2.
Intaphernis coniux 70.
Inuidia multorum 284.
Ioannes Constantinopolitanus Imperator & Eugenius quartus Pontifex 6.
Ioannes patriacha Alexãdrinus 183.194.354.
Ioãnes duodecimus Pontifex 318.
Ioannes Armeniacus comes 38.
Ioannes Zisca Bohemus 21. 199.
Ioannes XXIIII. Pontifex maximus 100.
Ioannes 346.
Ioannes Particiacus qui Baduerius dictus & Venetiarum dux 207.
Ioannes Armeniæ Rex 206.
Ioannes Abbas 321.372. 373.
Ioannes Abbas & Pesius Eremita 117.
Ioannes Damascenus 60. 85. 228.

Universidad de Deusto Biblioteca

Ioannes Vitellius Cardinalis 271.
Ioannes Balua Cardinalis 277.
Altes Ioannes 321.
Ioannes septimus pontifex 171.
Ioannes Euangelista 372.
Ioannes Gualbertus eques florentinus 208.
Ioannes Baptista 218.342.
Ioannes Benetus Veronensis 106
Ioannes Campegius 292.
Ioannes Apostolus 134.424.
Iuuenis quidam Ægyptius 31.
Ioannes Capistranus ordinis minorum & quidã Alij 289.
Ioannes qui maurus dicebatur Imperator 335.
Ioannes Zebedæi filius 85. 291.
Ioannes Ægyptius Anachoreta 346.
Ioannes Altauilla 252.
Ioannes Capotius Romanus 131.
Ioannes Staranola Veronensis 263.
Ioannes 23.Pontifex 273.
Ioannes Monachus 291.378.
Ioannes Anachoreta 41.346. 396.
Ioannes Baptista 341.
Ioannes Tampes eques gallus 330.
Ioannes 13.Pontifex 271.
Ioannes primus Castulonensis Rex 335.
Ioannes primus Pontifex 428.
Ioannes primus gallorum Rex 92.
Ioannes atque Hieronymus hus bohemi 106.
Ioannes 7. 302.
Ioannes Eleemosynarius Episcopus 60.394.
Ioanna prima Neapolitanorum regina 157.
Ioanna virgo gallica 20.
Iphigenia Æthiopum regis filia 43.
Iosaphal Indiæ Rex 341.
Iosaphat Auenir 404.
Iouinianus Imperator 334.
Isaachus Syrus 351.
Isimenes Thebanus 167.
Isocrates 327.
Italorum consuetudines 307. 314.
Iua Britanniæ Rex ac Gelulfus 206.

Iubius Paciacus Hispanus 295.
Iudaëllus & Iudocus fratres 341.
Iudocus. 185.
Iuliana virgo 393.
Iulianus Antiochenus 48.
Iuliani hospitatoris peccatorum pœnitentia 422.
Iuliani secundi Imperatoris religionis contemptus 9.temperantia & moderatio 30.
miracula 228.
Diuus Iulius 19.
Iulia Cai Cæsaris filia 81.
Iuno Moneta 226.
Iunius brutus 65.168.
Iustina virgo 394.
Iustinianus 1. Imperator erga Bellissarium 249.
Iustinianus primus Imperator 146.249.
Iuuenis quidam. 385.
Quidam iuuenis Dictus Pluto 68.
Iuuenes Romani & Manlius Torquatus 174.
Iuuenes duo 385.
Iuuenes duo antiocheni 106.
Iuuenta & Fausta martyres 431.

L

Lacedemonij 118.210. 308.
Vir Lacedæmonius 196.
Quidam Lacedæmonius 158.
Lacedæmonius Senex 126.
Lacedæmoniorum magistratus 11.
Lacedæmoniorum leges 307. 309.
Lambertus Traiectensis Episcopus 323.
Lambas Auria Genuensis 124.
Launoniaricus Abbas Carnotensis 358.
Laodice regina cappadociæ 152.
Lasthenia Mantinea et Axiotea phliasea 366.
Latro pœnitens 421.
Latronis spes 101.
Lazates Adiabenorum Rex 143.
Lazarus & Maria & Martha eius sorores 340.
Lenogildus Gottorum Rex in Hispania 66.
Leo imperator 69.
Leo IIII. Pontifex maximus 122.188.
Leo Pontifex 49.

Universidad de Deusto Biblioteca

Leo & Andruodus seruus et alia animalia 245.
Leonardus Corbiacensis monachus 358.
Leonides 15.
Leonidas erga Agidem 247.
Leptitanorum leges. 307.
S. Liberalis 381.
Libertinus Monachus 108.
Ligarij Romani coniux 81.
Liuius salinator 197.198.
Liuius drusus 367.
Liuia Augusti vxor 28.
Liuia Rutilij Terentia Ciceronis & Clodia Auli filia 329.
Locrenses 84.224.
Londinensis populus 236.
Lotharius Gallorum Rex & Sergius III. Pontifex 143.
Lucas Euangelista 374.
Luceia Romana 46.
Lucia virgo 24.185.
Lucia Syracusana virgo 44.
Lucianus auria Genuensis ciuis 181.
Luchinus Viualdus Genuensis 32.
Lucius Albinus 3.
L. Antonius Consul 266.
L.Catilina 154.
L.Cornelius merula 333.
L.Cornelius 257.
L.Gellius 63.
L.Val.Iustinus 176.
Lucius Metellus 279.
L.Lucullus 72. 281.
L.Paulus 258.
Lucius Piso seruus 96.198. 280.
L.Posthumij tribuni militaris exercitus 235.
L.Quintius 202.
L.Rheginus 137.
L.Salinator 174.
L.Sylla 19.153.268.
L.Sylla Dictator 13.199. 287.317.
Lucius Terentius Bononiensis 329.
L.Verus Imperator 283.
L.Tertulla Ariminensis 329.
Lucilius & brutus ciues Romani 138.
Lucretia 40.
Lucinius Fimbria consul 163.
Ludouicus Francorum Rex 377.400.
Ludouicus Patauinus patriarcha 277.
Ludouicus Sfortia 281.

Ludouicus Bossoni filius burgundiæ rex 99.
Ludouicus 7.Gallorum rex 6.
Luiba Gotthorum rex in hyspania 73.
Lupus Trecasinæ vrbis Episcopus 108.
Lupus Sænonum episcopus 299
Lusa Cannusina 180.
Luxus conuiuiorum 284.
Lycij 306.
Lycurgi leges 305.308.309.
Lycurgus Lacedæmonius 76. 104.
Lydes 281.
Lydiades megalopolitanus 201.
Lynceus 224.
Lysander & Archidamus 371.
Lysander Lacedemonius 28. 286.
Lysimachus macedonum rex 17.

M.

Macarius Alexandrinus 110.377.387. 404.
Macrinus Imperator 155.
Magi egyptiaci 234.
Magistona Eliensis comes 113.
Magnus quidam antistes 283.
Mahometes Othomanus 173.
Maiestas & obseruantia linguæ Romanæ 311.
Maiores virtutis exẽplum iuuenibus dantes 311.
Maiorus Sargiensis episcopus 379.380.
Maior Africanus 374.
Malachia Generoth hyberniæ vrbis episcopus 356.
Manfredus friderici II. Imperatoris filius 158.
Manissa rex 238.
Manlius 65.68.129.
Manlius Torquatus 65.68.
Manlius capitolinus 19.
Manlius Torquatus filius Lucij & cæt. 267.
Marcellinus & frater 107.
M.Anneus Lucanus poëta 338.
M. Antonius 198. 258.292. 317.
M.Antonius & Lucius flaccus 209.
M.Antonius & M.Brutus 258.
M.Aquilius 221.337.
Marcus attilius regulus 91.

M. Attilius Regulus & L. Furius 209.
M. Aurelius Antonius Bassianus Heliogabalus 317.
M. Aurelius Claudius II. Imperator 145.
Marcus Bibulus 204.
Marcus Brutus 211.
M. Cato 199.217.326.
M. Crassus & Pompeius 234.
M. Crassus & Q. hortensius 186.
M. Crassus 55.189.
M. Curius 28.
M. Curius consul 120.
M. Drusus Tribunus 316.
M. Fabius consul 72.
Marcus Guterius hispanus 93.
Marcus flauius Valerius Constantinus Max. Imperator 40.
M. Horatius 219.
M. Iulius Philippus. Item M. Quintus Traianus decius & C. Viuius Trebonianus Gallus Imperator 98.
M. Iuuentius Talua Consul 333.
M. Lepidus 81.
M. Marcellus 203.257.329.
Marcellus Tudertinæ vrbis ciuis 413.
Marcus & Barbula 268.
M. Otton Siluius Imperator 174.
M. Perpenna 329.
M. Plautius 81.
M. Rutilius Censorinus 202.
M. Scaurus 198.
Marcus scriptor 431.
Marcus Sergius 18.
M. Seruilius 18.
M. Tullius 177.287.264.366.
M. Tullius & Pericles athenienſis. 303.
M. Valerius 217.
M. Valerius Coruinus 329.
M. Valerius Maximus & C. Iunius 209.
M. valerius Leuinus 192.
M. Varro 218.
M. Volusius Ædilis 169.
M. Vlpius Traianus, Imperator & Surra 138.218.
Marcellinus Anconæ Vrbis Episcopus 428.
Marcellinus pontifex 421.
Margarita Holandiæ comes 222.
Maria Decegnies 46.56.383.430.

Maria Ægyptiaca 345.36. 426.
Maria ægyptia 46.276.
Maria & Martha sorores 421.
Maria Magdalena 53.101.345
Maria Magdalena & Ægyptiaca 101.
Maria Abrahami eremitæ neptis 103.
Marianus monachus 147.
Marethes Calcedonensis episcopus 130.295.
Marinus 148.
Martianus Tyrannus 175.
Martha 296.
Martinus Turonensis Episcopus 42.180.319.346.354. 380.390.398.398.411.427.
Martinus Bituricensis monachus & alius quidam 354.
Martius Sabinus 175.
Martyres 4.53.
Marula Mitylenensis 21.
Ritus Massiliensium circa tela 306.
Masis Rex Ægypti 158.
Marcucus Pisanus 124.
Massilienses 177.
Massiliensium seueri mores 306.
Masinissa rex 328.
Matthæus & Zachæus 1010.
Matthias vngariæ rex 122.
Mater Cleomenes Regis Spartani 77.
Mauricius & Theodosius III. Imperatores. 276.
Mauricius Andegauensis Epicopus 424.176.
Maurus abbas 60.
Naxentius abbas pictauiensis 59.344.
Maxentius Imperator 89.
Maximus Herculeius Imperator & Diocletus 138.
Maximianus Herculeius 269.
Maximinus Imperator 12.
Maximus Imperator 156.
Maximus monachus 358.
Maximus 175.
Medardus & gerardus fratres gemini 232.
Medericus Abbas 386.
Menedemus Cynicus 371.
Memnon 119.
Menna 194.
Memoriæ iactura 119.
Mercurius Trimegistus 216.
Mercurius martyr 413.
Messalina Claudij 36.
Metellus macedonicus 203.
Metellus celer 40.

Metellus 84.211.
Metelli pontificis religio & religionis affectus. 3. Charitas erga Deum. 51.
Alter Metellus 279.
Metron confessor 423.
Michael venetus princeps 133.
Michael Paleologus Imperator 99.
Michaël Imperator constantinopolitanus 252.
Micius Anaxilai seruus 94.
Milites Albini ducis 298.
Quidam miles Cnei Pompei Charitatis fratrum amans 72.
Milo Crotoniates 331.
Milonis Crotoniatis fortitudo 17. mors non vulgaris 331.
Miltiades 247.
Mineruæ Barbaricũ sacrum 1.
Mineruæ Scythicæ Dianæ ara 1.
Minutius magister equitum 243.244.
Miranda quæ in aquis perspecta sunt
misa moabitarum Rex 337.
Misoniani hebræi dictum sapiẽs atque factum 161.
Mitridates Rex 143.149.210. 259.297.304.364.
Mithridates Ponti Rex 167.
Mithridatis exercitus 234.
Mnesarchus 377.
Mnesteus Aureliani Imperatoris libertus 170.
Monica Augustini mater 425.
Monachus Lithophorus 378.
Monachus quidam Mesopotamenus 389.
Monachi duo 385.
Monachi Nitriæ 318.
Quidam Monachus 321.323. 386.389.
Monima milesia 39.
Mons Ætna 405.
Mons 176.
Mors Iasonis 259.
Mors C. Fabij 262.
Mos à maioribus in vrbibus obseruatus 311.
Mos obseruatus in monasterio Thebaidis 350.
Mos in monasterio Tabernensi obseruatus 344.
Moses Ægyptij eremita 133.
Moyses abbas 102.294.
Mulier que matrem interfecit 220.
Mulieres Bœhemæ duæ 106.
Musa Virgo 401.

Mutius 117.
Mutius abbas 86.323.
Mutius sceuola 18.77.105.
Mutius Tribunus plebis 120.
Mutius Latro 275.

N.

NAam Ammonitarum Rex 151.
Narcissus Hierosolymitanus Episcopus 223.330.
Narsetes Eunuchus 176.
Nathanael Anachoreta 386.
Natalia Adriani martyris coniunx 47.
Neapolitani 178.
Neapolitani regni quidam Accola 83.
Nero & L. Ælius verus. 282.
Nero & Adrianus Imperator & Lucanus poëta 288.
Nero princeps 38.174.266. 274.
Nerua corceius Imperator 12. 179.
Nicias atheniensis 54.
Nicolaus. 1. Pontifex maximus 206.
Nicomedes Bityniæ Rex 260.
Nicolaus quidam 392.
Nicolaus Rom. pontifex 379.
Nicolaus Miræ vrbis Episcopus 340.380.411.
Nicolaus senex 102.
Nicolaus V. Pontifex 219.
Nicolaus piciminus 157.172.
Niuardus puer 341.
Ninus Rex 70.
Numa Pompilius 328.344. 351.360.
Numatius flaccus Romanus 154.
Numantini 363.
Nuptiæ 310.

O.

OBstinati 421.
Ochus Artaxerxes 150.
Ochus dictus Darius 150.
Octauia M. Antonij vxor 82.
Octauius Balbus 63.
Oddo Cluniacensis Cœnobij pater 111.
Odilon Cluniacensis Abbas 356.382.424.
Othila 349.
Otium Punitum 308.
Olympias magni Alexandri mater 62.250.
Olympius Arrius 89.
Onophrius Anachoreta 345. 349.373.396.431.

Universidad de Deusto Biblioteca

Opius ciuis Romani filius 69.
Osualdus Britanniæ Rex 182.
Ottho Imperator 51.
Ottho Antonius montis Ferrati comes vrbini princeps 157.
Ottho 2. Imperator 270.

P

PAchita Atheniẽsis 297.
Pacomius Abbas Ægyptius 330.375.378.390.
monachus 55.378.
Pacumius Casinius 167.
Campanus 295.
Pafnutius Abbas 57.
Palladis templum apud Cyzicum 225.
Pallas Claudij libertus 318.
Palemon 343.
Pambo Abbas 252.345.
Panthia mulier 83.
Panthera 240.
Panthites Lacedæmonius 250.
Papirius volucer 40.212.
prætextatus 169.
Paris 35.
Parisatis Cyri mater 62.199.
quidam Pastor suscitatus 227.
Pastor Abbas 140.
Pastumius 349.353.
Patauius princeps. 270.
Pateenses 239.
quidam pater ignotus 63.
Paternianus Abbas 391.
Paternus Scottus monachus 116.
Paula Cornelia 368. Romana 47. Romana mulier 349.
Paulina vxor Senecæ 82.
Paulinus Nolanus antistes 57.399.
Paulus Abbas 41.376. primus Eremi culor & Honophrius 135.
Paulus 354. Thebæus 345. cognomento simplex 110.
Paulus Apostolus 342.404.
Paulus Æmilius 2.29.54.
129.339. & Cn. Pomp. 206.
Paulus & Barnabas 416.
Paulus græcus qui in Hispania tyrannidem vsurpauit 9.
Paulus Tarsensis 52.55.87.
101.342.377.409.
Paulus Simplicius 116.
Paulus monachus 321.
Paulus & Iacobus & Alpheus 353.
Pausanias 285.305.
Pausaniæ mater 64.
Phasellus Iudæus 332.

Phliasia 366.
Pelagia mima Antiochena 191.276.292.426.
Pergentius & Laurentius fratres 59.86.
Pericles Atheniensis & M. Tullius 303.104.144.
& Demostenes 292.
Periclis lex 309.
Perillus Atheniensis 301.
Persarum instituta 306.
Perses rex 22.173.266.
Pestilentiæ arca 225.
Petilini 91.
Petronilla virgo 47.
Petrus monachus 406.
Petrus Moronus Eremita 133.
Petrus Augustini Diocletiani cubicularius minister 105.
Petrus & Paulus & alij Apostoli 417.
P. Bar-Iona Apost. 19.22.85.
101.134.342.408.425.
Petrus Aleres comes 92.
Petrus Castulonensis rex 189.
P. Constantinopolitanus 184.
Petrus Telonarius 319.
P. Catrenus philotimus 95.
Petrus & Ioannes 303.
Petrus Riarius ordinis minorum 284.
P. Clareualensis Abbas 107.
Petrus Hungariæ rex 271.
P. Sermonetanus minorum ordinem profitẽs. Item quidam sacerdos Gallus & quidam alij 10.
Phalaris 148.
Pharao meldensis episcop. 356.
Pharisæus & Publicanus 353.
Pheræus Iason 225.
Pherotima Cyrenaica 149.
Philibertus abbas 354.436.
Philippus Macedonum Rex 126.137.142.158.239. Maria Dux Mediolanensis 249. & Deodatus gallorum Rex qui cognominatus est Augustus 6. Baleatium regis filius 193.
Philocrates C. Gracchi seruo 95.
Philonorius Galata 395. presbyter 379.
Philosophus quidam 54.
Philopæmenes Megapolitanus 16.26.373.
Phocionis coniux 160.
Phraatis Herodis Parthorum regis filius 157.
Phocion Atheniensis 54.58.
113.199.290.328.339.271.
Piscenius niger Galliæ gubernator 119.

Pisistratus 255.293. Athenien sis tyrannus 143.
Pittacus Mitylenæus 11.
Pithagoras samius 360.
Placidia Honorij Cæsaris soror 78.
Plato philosophus 100.163. 363. & Xenophon 233.
Plebs Romana C. Marius & L. Cinna 30.
Polemo Atheniensis philosophus 265.
Polystratus & Hippoclides 224.
Polycarpus Ioannis Apostoli discipulus 134.
Polycrates tyrannus Samiorum 265.
Polydamas 332.
Pompeius 104.251. 297.292. Cæsar & Crassus 77.334.
Pompilius legatus 130.
Pontius & C. Meuius Aufidianus 40.
Pontilius 8.
Pop. Rom. verecundia 350.
Pop. Ro. 119.155.178. 191. 226. 244. 280. & Fabius Maximus 244. & Camillus 247.
Populi Rom. seueritas in Spurium Crassum 119.
Populus Atheniensis 234.
Portia Catonis filia & Bruti vxor 18.81.
Portius Cato 209.372.
Porsa Macedonum rex 186.
Porsena Hetruscorum rex 179.
Posthumius Tiburtius & Titmanlius Torquatus 211.
Publicani 78.
Publicola 54.
Publicolæ propinqui 285.
P. Cassius 12. Clodius. 36. Furius philus 197. Licinius 3. Malleonus 156.
P. Rutilius & C. Mallius Conss. 72.312.
P. Rutilius 72.130.
Publius Sempronius sophus 121.
P. Vatinius 226.
P. Ventidius 279.
P. & Cn. Scipiones 196.
Praxedis virgo 395.
Prænestini 265.
Presbyter pastor 299.
Prætextatus 326.
Prætoriani milites in Galbam Imperatorem 235.
Probus Reatinæ vrbis episcopus 397.

Proscriptus Appius 269.
Principius & Taruntinus fratres 20.
Psylli 24.
Ptolæmeus rex Macedon. 281. Ægypti 34.62. & de Cleopatra 150. rex Cypriorum 186.
Philadelphus Ægypti Rex 177.
Philadelphus 292.
Pyrrhus Epirotarum rex 159. 173.216. 325.
Pythagoras 215.
Pythius celenæus 8.189.

Q

Quintus Antistius vetus 121.
Q. Catulus 217.333.
Quintius Cæso 221.
Q. Cepio 267.
Quintius Cincinnatus 192.
Q. Crassus 187.
Q. Fabius 212. 287.
Q. Fab. Maximus 114.268.
Q. Fab. Gurges, C. Numerius, Fabius Pictor & Q. Vgolinus 29.
Q. Flaminius consul 129.
Q. Martius rex 124.
Q. Metellus 163.
Q. Metellus consul 214.
Q. Metellus 212.257.278.
Q. Scæuola 204. 217.
Quatuor Philippi Apostoli filiæ 43.
Q. Sertorius 297.
Quidam, qui propter gloriam incendere voluit templum Dianæ 285

R

Radagosus Gotthorum rex 270.
Radamistus 97.
Radegundis regis coniux 278.
Raimundus Assain grecus 50.
Ramirus primus qui decimus in Hispania post Arabum aduentum regnauit 73.
Rex Aragonius 6.
Redemptoris sanguinis miranda 230.
Reges Æthiopum 1.
Regia Tarquinij 78.
Regina Tomyri & Beronice 159.
Reginaldus Germanus 338.
Reparatus Romanus 405.
Repudium inter vxorem & virum 310.

Universidad de Deusto Biblioteca

Rex quidam 112.
Rex Bysaltidis in Thracia 65.
Rhodops meretrix 280.
Rhodiorum legatus 333.
Richardus Britanniæ rex 180.
Richimeres patricius 99.
Ricius miles Hispanus 171.
Ricolus Frisonum dux 25.
Robur humani corporis 304.
Roderic° Gutherius comes 171.
Roderius vicarius Hispanus eques 146.
Rodolphus Imperator 121.188.
Rolandus 19.
Romana ciuitas 29.
Romanæ sponsæ 312, matres 63. mulieres 243.350.
Romanus Constantinopolitanus Imperator 269. eques 251.
Romanus senatus 2.244. populus 12.14. miles 18.174.
Romani 209.213.313.314. consules 313. censores 313. in Leonem 3. Pontificem 232.
Romani martyres 63.
Romanorum gratitudo in mulieres 243.
Romilda Sisulphi coniux 38.
Romualdus Abbas 254.344. 355.361.
Romulus 30.100.351. & Remus 326. Rophilus Popiliensis & Mercurialis Linensis 355. Roscius 367.
Rosimundus Baldoinus rex 69.
Rosimunda Bal. regis vxor 69.
Rubertus Franc. rex 4.
Rubrius Flauius & Sulpitius Asper tribunus militū 129.
Rusticana 70.
Rutilius 129.

S

SAbachus Ægyptiorum rex 144.
Sabinianus heresiarcha 90.
Sabinus martyr 58.
Sacerdos quidam 429.
Sacerdotum potestas ibidem.
Sacramenti vtilitas 432.
Saguntini 90.
Salaberga Galliæ 48.
Saladinus Ægyptius 16.
Saluator noster Christus 352.
Sallust. palatij præfectus 204.
Samaritani 364.
Sanctius Castul. comes 262.
Sanctulus Nursiæ abbas 56.
Sanson Dolensis Episcopus 61.
Sapor Persarum rex 316.
Sardanapalus Assy. rex. 36.
Sarra 218.378.392.
Sarra columninus 280.

Quidam Sarracenus 77.
Sariaster fili° tigranis rex 150.
Saturninus vetulio 169.
Sceua Centurio 17.
Scipio Nasica 24.217.
Africanus 18.77.84.128. 168.211.267.278.348. & quidam eques 287.
Æmilianus 30.129.129.197. 217.
Schytæ 67.152.
Scipionis exercitus 235.
Scoti 151.
Seleucus Mētor Syriæ Rex 225.
Syriæ atque asiæ rex 173.
Assyriorum rex 8.62.
Semiramis 35.100.174.325.
Senatus Romanus 2.12.198. 213.243. & Publicola consul 91. erga carthaginenses 256. ac populus Romanus. 261. & matronæ Romanæ 3. & Fabritius 13.
Senex quidam 110.
Senior Dionysius Siracusanus Tyrannus 332.
Septem sapientes 201.
Turonenses Dormientes 336.
Septimus Seuerus Legatus Romanus 119.175.
Serranorum familia 372.
Serapion abbas 55.373.437. Monachus 180.184.
Sergius 2. pontifex maximus 121. Galba 220. 111. Pontifex & Lotharius gallorum Rex 142. et Bacch° martyres 412.
Sertorius 261.
Seruatius Traiectensis episcopus 354.419.
Seruius Terentius 138. Tullus 279.
Seruus menenij 96.
Quidam seruus 95.10.112. Marci Antonij 95. Panopionis 95.
Quidā seruus matronæ Adrumedtanæ 94. Alius proscriptus seruus 96.
Seruulus 369.
Sesoster Ægypti Rex 316.
Seuerus Sulpitius præsbiter 154.
Abbas 381. Sacerdos 436.
Sextus pompeius 92. Tarquinius 36.213.
Sfortia Attendulus militaris dux & Fridericus 1. Imperator 335.
Siculi 50.
Simeon, Susotionis filius 117.

Universidad de Deusto Biblioteca

Similis præfectus Palatij 204.
Simon magnus 86.234. Cleopha 330.
Simulachrum fortunæ 226.
Siphax Rex 266.
Sisinius Elpidij Abbatis Discipulus 353.
Sineta 178.
Sixtus IIII. Pontifex 289.
Sixtus II. Pontifex. 146.
Smirnæa quæ virum & filiũ interemit 220.
Socrates 17.27.104.161.191. 202.364.377.
Solon 61.162.246.364.
Sophocles 331.
Sophronia Romana 50.
Sordellus Vicecomes Mãtuanus Gotti Accola 32.
Soterus Antiochus Syriæ Rex I.
Spartani 246.
Vterque Spartanus. 196.
Quidam Spartanus 125.
Spartanorum lex 309.
Spartana ciuitas 305.
Alia Spartana 122.
Spartius & Bulides Lacedæmonij 76.
Spoletana virgo 45.
Sponsæ Romanæ 312.
Spurina 249.
Stagna palici ac fons Iouis in Asia 225.
Stephan° protomartyr 59.107.
Steph. Romanus 227. Abbas 357. Sacerdos Reatinus 107. Anachoreta & Serapion 374. presbyter Constantinopolitanus 354.381. VI. Pontifex 141.
Stratonica Deiotari Galatarũ regis vxor 80.
Suitenses 175.
Sulpitia 218.
Sulpitius Bituricensis episcopus 358.
Superior Affricanus 286.
Sycionij 239.
Syluanus Nazaretensis Episcopus 300. Abbas 282.
Sylla Dictator 175.334.
Sylueſter Romanus Pontifex 85.295.
Syluia Rufina 370.
Syracusanus Dion 100. 113.
Syracusani 246. 291.

T

Tabernensis monasterij mos 253.
Taletes milesius 332.
Tamburlanus tartarorum qui Scythæ dicti sunt ac persarum Rex 27.
Tamberlanes 149.
Tarẽtini quidã adolescentes 35.
Tarquinius superbus 374.
Tarqui priscus 334.
Taurinus Aurelianensis episcopus 88.
Tatheus Christi Discipulus 31.
Tecla virgo 43.
Teia Ostrogotthorum rex in Italia 21.
Terentius Cubeo 244. varro 250.267.
Termopylarum pugna 215.
Tertullianus 175.
Thais Ægyptia 103. Atheniensis meretrix 259.
Thales Philosophus 162.
Thebani 246.
Thebana quædam virgo 39.
Themistocles 75.126.127.147 159.233.265.285.
Theocritus chius 219.
Theodorus 103. Cominius Macedoniæ princeps 99. Pacomij discipulus 117.
Theodericus Gallorũ Rex 100. Gotthorum Rex 278. Italiæ Rex 405.
Theodora Alexandrina 392. 414. Romana 357. virgo et quidam miles 57.
Theodosius 5. senior 4. Augustus 427.
Theon 116.253.346. Abbas 434. monachus 342.
Theophilus Ciciliæ Archiepiscopus 102.
Theopompus Lacedæmoniorum Rex 160.
Thesimachus Pisistratis orchomoniorum regis filius 152.
Theutonicorum fœminæ 39.
Thomas Apostolus 182.
Thomas Cantuariensis Episcopus 379.411.
Thomas Aquinas et imagines cum eo locutæ 117.231. 254. 356.360.
Thraces 306.
Thrasibulus 75.201.
Thuscia & Candia Vestales 101.
Thucia Vestalis 220.351.
Tiberius Cæsar 37.72.119.124. 153.274.366.
Tiberius Romanus princeps 187. Gracchus & C. blosius 137.153. Gracchus 80.
Tigranes Rex Armeniæ 65. 316.

Universidad de Deusto Biblioteca

Timandridas Lacedemonius 339.
Timoclia Thebana 38.
Timoleon Corinthius 1.215. 290.
Timon Atheniensis 153.344.
Timotheus 281.303. Anachoreta 372.
Tiso de campo sancti petri 51.
Titus Cæsar 58.73.145.180.
Titus Aufidius 268.
T. Quintius Flaminius 17.
Titus Liuius patauinus 130.
T. Pomponius Atticus patritius Romanus 179. fullonius Bononiensis 330.
Tomyris illustris Scytharum regina 14.
Totila Gotthorũ Rex 31.176.
Trasilla virgo 354.401.
Trebellius bulgarorũ Rex 66.
Trebonius adolescens 40.
Tria regum corpora 231.
Triarius maternus 204.
Tribus Pollia 261.
Triumurij 155.
Trœzenij 177.295.
Tubero Catelius 29.
Tullia 154.
Tullius dux volscorum 166. filius hannalis 154. hostilius 179.213.333.351.
Turia vxor et Lucretij 41.
Tyrij & alij gentes 281.
Tyrtheus Poëta Atheniensis 293.

V

Valasca virgo Bohema 20.
Valens imperator 9.89.
Valerius publicola 175.191. 202.239.297. cocles 18.
Valerius Imperator 280.
Valeria Romana 82.
Vbaldus Eugubinæ vrbis Episcopus 138.
Veneranda virgo 61.
Venerius monachus 324.
Venerius Abbas 375.
Veneti 215.229.236.246.
Vespasianus 3.119.145.179. 187.227.297.
Veremũdus primus hyspaniarum Rex 7.
Vergilius vates 366.
Vestales duæ 297.298.
Vetulæ duæ 128.
Viceta martyr 49.
Vicelina ciuitas 262.
Victorinus 219.
Victor martyr 412.
Viualdus Hesdimensis 231.

Vincentius 349.
Vindicta Cereris 8.
Vini visus interdictus mulieribus 310.
Vir Lacedæmonius 195.
Vires corporis 305.
Visus & primum Ilias Homeri 304.
Virginius vir plebeius 40.
Virgo quædam 47.435.
Virtus plurium Romanorum 100.
Visegotthi 236.
Vitalis Monachus 55.298.
Vitallius Alexandrinus monachus 60.
Vitellio Imperator 22.155.269
Vitij Salaßi vxor 155.
Vitaldus 132.157.
Vltio Romanorum in Adrianum 261.
Volsci 235.
Volsiniense 34.
Vox 304.
Vraia Gotthus ac Ludouicus Turingiæ Lantgrauius 206.
Vrbanus sextus pontifex 122.
Vrraca Aragoniæ Regina 9.
Vrsinus Nursiæ presbyter 49.
Vssuncassanus Persidis atque Armeniæ rex 65.
Vxor vitij Sallatij 155.
Vxor Pathæi Lacedæmonij 80. 250.
Vvor Asdrubalis 16.
Vxor Stratonis sidoniæ principis 80.
Vxor Olitoris Ægyptij 216.

X

Xantia mulier 74.
Xantippus 240.
Xenocrates 26.144.332.
Xenocrita Cumea 201.
Xenophon 123.
Xerxes Persarũ Rex darij Hydaspis filius 315.
Xerxes 34.54.336.

Z

Zacharias Põtifex 294.
Zeleucus Locrensis 11.
Zeno 104.
Zenobia Armeniæ Regina 266.
Zenobia regina Palmerensium 126.
Zeusis pictor 196.
Zozimus pontifex Maximus 39.

Finis

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca